
Universidad de Deusto
Biblioteca

SVMMA VITIORVM


Biblioteca
Universidad de Deusto

SVMMAE VIRTVTVM, AC VITIORVM, *Tomus Secundus.*

GVLIELMO PERALDO *Episcopo Lugdunensi, ordinis Prædicatorum, authore.*

OMNIA NVNC DENVO innumeris mendis repurgata, accuratiúsque quàm antehac vnquam excusa.



LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM
ROVILLIVM.
1571.

Universidad de Deusto Biblioteca
24534
Bibliotheca Facult. Philosophiae Prov. Cast. Orient. S. I.

SVMMÆ VITIORVM GENERALIS DISTINCTIO CVM ORDINATIONE rerum in eadem contentarum,

SECVNDVS iste Tomus, qui appellatur ſumma vitiorum, diuiditur in nouem tractatus. Primus eſt de his quæ valent ad deteſtationem vitiorum in communi. Secundus, de vitio Gulæ. Tertius, de vitio Luxurię. Quartus, de Auaritia. Quintus, de Acedia. Sextus, de Superbia. Septimus, de Inuidia. Octauus, de Ira. Nonus, de peccato Linguæ.

¶ TRACTATVS Primus, de vitiis in communi vnicam habet partem. In qua primo ponuntur tres rationes ad probandum quòd vitia ſumma diligentia ſunt vitanda. Secundò iterũ tres rationes ad probãdũ quòd Deus ſummè odiat peccatũ. Tertiò quatuor rationes, ad oſtendendum quòd peccatũ ſummè noceat homini. Et enumerantur ſex quæ peccatum aufert homini. Quartò oſtenditur quòd vita vitiorum ſit aſpera.

¶ TRACTATVS ſecundus. de Gula, diuiditur in quatuor partes. Prima pars eſt de ordine dicendorũ in iſto tractatu. Et de 14. quæ valere poſſunt ad deteſtationẽ vitij Gulę. Secunda de ſpeciebus huius vitij. Primo de comeſſatione & ebrietate. Deinde de quinque ſpeciebus quas diſtinguit Greg. ſuper Gen. 25. Et de aliis quatuor ſpeciebus. Tertia continet de quatuor ſatellitibus, quibus vtitur vitium Gulæ. Quarta continet octo remedia contra vitium Gulæ.

¶ Prima pars principalis huius tractatus poteſt diuidi in quatuordecim particulas: quarum tertia continet tres iniurias quas facit hoc vitium proximo. Quarta, ſeptem contumelias quas facit Deo. Nona cõtinet mala quæ in ſcriptura leguntur prouenire ex hoc vitio, & quæ quotidie euenirũt his qui hoc vitio laborant. Decima continet quomodo hoc vitium ſit grauis infirmitas, & quare. Tertiadecima continet quòd hoc vitium eſt grauis ſeruitus. Et quòd in ſex eſt grauitas illius ſeruitutis. Continentiã aliarũ particularũ cauſa breuitatis non ponimus.

¶ TRACTATVS Tertius de Luxuria, diuiditur in ſex partes. Prima eſt de his quæ valent ad deteſtationẽ Luxuriæ. Secunda eſt de ſpeciebus eius. Tertia de his quæ præſtant occaſionem huic

peccato. Quarta est de remediis contra Luxuriam. Quinta de prohibitione simplicis fornicationis. Sexta continet quædam necessaria contra illos qui impotentiam allegant continendi.

¶Prima harum partium subdiuiditur in tria capitula.

Cap.1.est de ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de sex miseriis annexis peccato Luxuriæ, quæ faciunt ad eius detestationem, vt sunt anxietas, erubescentia &c.

Cap.2.est de quinque quæ similiter ad eius detestationem faciũt. Et primo tripliciter ostenditur quòd vitium istud Angelis valde fœtet. Secũdò sex modis ostẽditur quòd multum placeat dæmonibus. Tertiò septempliciter ostenditur quòd Deo valde cõtumelioſum sit hoc peccatẽ. Quartò quomodo sit iniuriosũ proximo. Quintò quomodo nociuũ sit proprio subiecto.

Cap.3.est de quatuor quæ etiam faciunt ad detestationẽ huius viti. Primò quàm efficax sit hoc vitium ad hominen capiendũ. Secundò quàm potens ad detinendum. Tertiò de vilitate in quam hominem ponit. Quartò de misera seruitute, in qua sunt luxurioſi. Et postea ponitur q̃ Luxuria videtur esse de numero illorum peccatorum de quibus etiam dæmones erubescunt.

¶Secunda pars subdiuiditur in nonem capitula.

Cap. 1.est de Luxuria cordis. & corporis.

Cap. 2.est de duplici acceptione hui⁹ nominis Luxuria, & enumerantur quinque ſpecies Luxuriæ secundũ vtrãq; acceptionem.

Cap.3.est de peccato contra naturam: vbi octo modis ostenditur magnitudo illius peccati.

Cap.4.est de Incestu: vbi quadrupliciter ostenditur magnitudo illius peccati.

Cap.5.est de Adulterio: vbi eius ſpecies primò tanguntur, deinde septẽ ponuntur per quæ magnitudo huius peccati ostenditur.

Cap.6. est de Stupro: vbi aliqua ponuntur, per quæ magnitudo huius peccati ostenditur.

Cap.7.est de simplici Fornicatione, vbi tangitur de peccato viduarũ, meretricum & concubinarũ. Ibidẽ etiã de raptu tãgitur.

Cap. 8.de alia diuisione Luxuriæ. Et primò de Luxuria clericorũ: vbi primò tanguntur septem, quæ aggrauant hoc peccatum in his qui sunt in sacris ordinibus: deinde ponũtur quinque causæ propter quas hoc peccatum indecens sit in sacerdotibus.

Cap.9.est de peccato carnis in personis religioſis: vbi primò sex tanguntur, quæ valent ad ostendendum quòd peccatum carnis valde graue est in personis religioſis: deinde quinque tanguntur specialiter quæ illud aggrauant in monialibus.

¶Ter

¶Tertia pars subdiuiditur in septem capitula.

Cap.1.est de his quæ dant occasionem Luxuriæ: & enumerantur octo. Et de duobus breuiter agitur.

Cap.2.est de peccato vetularum turpitudinem consulentium: vbi multipliciter ostenditur magnitudo peccati earum.

Cap.3.est de malo exemplo, quod frequenter dat occasionem peccato luxuriæ.

Cap.4.est de aspectu mulierum: vbi ostenditur q̃ aspectus mulierum sit timendus: primò authoritatibus & exemplis, deinde tribus rationibus sumptis ex parte mulierum, & septem ex parte oculorum sumptis.

Cap.5. quòd colloquium mulierum valde sit timendum.

Cap.6.de auditu cantionum amatoriarum, & similium quæ ad libidinem incitant.

Cap.7.quod tactus mulierum sit valde periculoſus.

¶Quarta pars subdiuiditur in quatuor capitula.

Cap.1.est de tribus remediis contra Luxuriam: vbi ponuntur tres rationes quare fugiendo contra Luxuriam sit pugnandum.

Cap. 2. de tribus quæ homines quandoque decipiunt, qui cum mulieribus habitant.

Cap.3.de choreis: ibi primò ostenditur authoritatibus quàm malũ sit choreas ducere. Secundò, ostẽditur rationibus quàm periculoſũ sit. Tertiò, ostẽditur similiter rationib⁹ quã fatuũ sit.

Cap.4.de quinque aliis remediis contra Luxuriam.

¶Quinta pars subdiuiditur in quatuor capitula.

Cap.1.de ordine dicendorum in iſta parte. Et quòd ſimplex fornicatio sit prohibita, ostenditur authoritatibus.

Cap.2.quòd fornicatio sit prohibita, ostenditur octo rationibus.

Cap.3.quòd fatuum est qnærere quare Dominus ſimplicem fornicationem prohibuerit.

Cap.4.quòd dominus prohibendo eam, miſericorditer egit cum genere humano.

¶Sexta pars subdiuiditur in duo capitula.

Cap.1.est de illis qui dicunt se non posse continere: contra quos ponuntur diuerſa testimonia ſcripturarum.

Cap.2.de fatuitate illorũ qui dicũt se cõtinere non posse: contra quos aliquæ ponũtur rationes, vbi versus finẽ probatur q̃ ſine Dei auxilio nihil possumus. Ibi etiam tanguntur tria necessaria ei qui debet iuſtificari.

¶TRACTATVS quartus, de auaritia, diuiditur in quinq; partes. Prima est de his quæ faciunt ad detestationem auaritiæ. Se-

cunda est de speciebus Auaritiæ. Tertia de his quæ dant occasionem huic vitio. Quarta de remediis contra hoc vitium. Quinta de Prodigalitate.

¶ Prima pars subdiuiditur in nouem capitula.

Cap.1.de ordine dicendorum in isto tractatu,& quòd nãtura dissuadeat Auaritiam.

Cap.2.de xii.maledictionibus quas facit Sacra scriptura auaris.

Cap.3.de quatuor authoritatibus sacræ scripturæ, quibus ostenditur magnitudo huius vitij: vbi etiam ostenditur quomodo auarus iniquus sit in Deum, in se, & in proximum: præcipuè in domesticos & etiam in creaturas inferiores. Ibidem etiam ostenditur quomodo Auarus sit idololatra.

Cap. 4. quòd grauis infirmitas sit Auaritia. Vbi primò ponuntur duodecim ex quibus ostenditur grauitas huius infirmitatis.Secundò,septem tanguntur infirmitates quæ sunt in Auaro.Tertiò ponuntur aliquæ causæ quare Auarus diuitiis non satietur.

Cap.5. de seruitute Auaritiæ: vbi ostenditur, quòd Auarus sit seruus diuitiarum. Et sex tanguntur, quæ faciunt ad miseriam huius seruitutis.

Cap.6. quòd magnam vim habeat Auaritia ad capiendum, detinendum vel submergendum: vbi ostenditur quòd laquei Auaritiæ tripliciter sunt occulti.

Cap. 7. quòd Auaritia sit exosa Deo, iniuriosa proximo, nociua proprio subiecto. Vbi verò ostenditur quòd Auaritia Deo sit exosa, tangitur quadruplex stultitia Auari, & ponitur quadruplex ratio quare Deus Auaritiam odiat. Et tanguntur quinque rusticitates, quas diues Auarus facit Deo. Vbi verò ostenditur Auaritia nociua proprio subiecto, ponuntur decem mala,quæ ipsa facit suo subiecto. Quorum primum est stultitia vel insania. Et ostenditur ibi sex modis insania Auari. Et assignantur xviij.stultitiæ Auari.Vbi verò assignatur secunda stultitia Auari, ostenditur quòd quatuor sunt quæ possumus dicere nostra: & quòd temporalia nostra non sint. Vbi verò assignatur tertia stultitia Auari, assignantur quinque fructus quos videntur habere diuitiæ. Vbi verò assignatur sexta stultitia Auari, ponuntur quinque casus in quibus fatuus est,qui pecuniam suam vult secum habere. Vbi verò assignatur tertiadecima stultitia Auari,ostenditur quòd præsens felicitas somno in quatuor assimiletur.Ostensa stultitia Auari,quę est primum malum quod facit ei Auaritia,ostenduntur nouem alia quæ facit ei Auaritia.

Cap.8.de his quibus scriptura comparat Auarum.

Cap.9.

Cap.9.de exemplis quæ valent ad detestationem Auaritiæ.

¶ Secunda pars subdiuiditur in xv.capitula.Cap.1.de peccato Vsuræ:vbi primò ponuntur verba sacrę scripturę quæ faciunt contrà hoc peccatum. Secundo assignantur sex stultitiæ vsurarij. Tertiò xij.iniquitates eius. Quartò xij.alia quæ faciunt ad detestationem huius peccati: vbi vltimò tanguntur quinque pœnæ Vsurarij.Quintò agitur de speciebus Vsuræ. Sextò ponuntur octo reprehensibilia circa restitutionem. Septimo ponuntur octo per quæ potest aliquis induci vt restituat.

Cap.2.de rapina:vbi sex ponuntur quæ debent homines cohibere à rapina.Et xij.quæ ostendunt magnitudinem huius peccati:& ostẽditur quadruplici ratione,quòd raptores multũ à Domino sunt puniendi.& tangũtur sex pœnę raptorũ.Et circa primam, assignãtur v.ratiões quare raptores in hoc mũdo sint pauperes.

Cap.3.est de iniustis talliis:vbi primò ostẽditur huius peccati magnitudo.Secundò ponuntur sex mala quę proueniunt alicui eò quòd tallias faciat.Tertiò tangitur de vilitate huius peccati.

Cap. 4. est de fraudibus negotiatorum: vbi ponuntur duo mala quæ abundant mercatoribus.Et vbi quartum assignatur,tripliciter ostenditur,quòd magnum peccatum est fraus in ponderibus & mensuris.

Cap. 5. est de acceptione munerum, vbi primò ostenduntur decem mala quę faciunt munera acceptoribus suis.Secundò tanguntur quinque quæ possunt esse reprehensibilia circa acceptores munerum,vbi ostenditur quòd delicię munerum mortem continent, & quòd possunt ibi esse septem mortes. In fine tangitur de diuersis speciebus munerum.

Cap.6.est de Auaritia aduocatorum: vbi octo tanguntur quæ deberẽt homines ab officio Aduocationis retrahere.Et vbi secundũ ponitur,tãgũtur xij.pericula,quæ sunt circa illud officiũ. In fine tangitur de cõditionibus scientiæ detractorũ & similium.

Cap.7.de Auaritia ministrorũ Ecclesię.Et de ordine dicendorum de illa Auaritia.& primò de Simonia:vbi octo ponuntur quę faciunt ad detestationem simonię.Et tanguntur xij.contumeliæ quas simonia facit Deo.Et multiplex damnũ quod ex simonia prouenit.Et in fine ponũtur diuisiones ad simoniã pertinentes.

Cap.8.est de peccato ędificantium Sion in sanguinibus:vbi primò ostenduntur maledicti. Secundò ponuntur exempla & verba sacræ scripturæ,quæ valent contra hoc peccatum.Tertio mala quę ex hoc peccato proueniunt.Vbi ostenditur tripliciter quòd sunt infideles qui bona ecclesiastica carnali amori conferunt.

Et in fine triplici ratione ostenditur, quòd amor carnalis plus noceat in ministris Ecclesiæ quàm simonia.

Cap.9.est de peccato choritarum:vbi tripliciter ostenditur, quòd hoc peccatum sit detestabile. Deinde tanguntur quatuor modi,quibus aliquis vocatur à Deo ad dignitatem.

Cap.10.est de Auaritia mercenariorum:vbi ponuntur sex quę faciunt ad detestationem huius peccati. Et in fine sex rationes tanguntur, quare CHRISTVS noluit in primitiua Ecclesia temporalia coniuncta esse spiritualibus.

Cap.11. est de septem signis Auaritiæ quæ apparent in ecclesia Dei,quæ sunt pluralitas beneficiorum, pluralitas missarum ab eadem persona in eadem die dictarum: pluralitas officiorum in eadem missa, multiplicatio altarium sine necessitate, auara obseruatio fructuum, promotio puerorum ad sacros ordines & ecclesiasticas dignitates: concursus ad loca in quibus solet offerri.Vbi verò agitur de primo signo Auaritiæ,Primò ostenditur, quòd non liceat habere plura beneficia ecclesiastica, quando vnum sufficit: vbi enumerantur causæ propter quas aliqui credunt hoc sibi licere.Secundò sex ponuntur quæ videntur valere ad detestationem huius peccati. Tertiò tanguntur, quæ sunt reprehensibilia in talibus personis:vbi ostenditur tripliciter,quòd præsentia pastoris gregi sit necessaria.Et tanguntur sex ad quæ se obligat qui curam animarum recepit.In fine verò ostenditur tripliciter quòd periculosa sit bonorum ecclesiasticorum dispensatio. Vbi verò agitur de pluralitate Missarum, ponuntur primò casus diuersi, in quibus licet celebrare duas missas in die.Secundò ponuntur sex rationes ad hoc quòd non sit licitum simpliciter aliquem celebrare duas missas in vna die. Vbi verò agitur de conseruatione fructuum, ostenditur quinque modis fatuitas eorum, qui quum habeant annuos reditus sufficientes,ex Auaritia tamen conseruant fructus. Vbi verò agitur de promotione puerorum, septem causæ tanguntur quare cauendum esset Ecclesiæ à promotione talium.

Cap.12. est primò de his quæ pertinent ad dignitatem conficiendi. Secundò de his quæ faciunt ad detestationem peccati indignè conficientium. Tertiò de peccato eorũ qui nunquam curant communicare: vbi quinque causæ tanguntur, quare tales multum deberent dolere. Quartò de peccato eorum qui per mortale peccatum Deum à se expellunt.

Cap.13.est de vitio proprietatis:vbi primò ponuntur xij. exempla, quibus possumus vti contra hoc peccatum.Secundò tanguntur

xij.

xij. stultitiæ, quibus laborant proprietarij. Tertiò multiplex peruersitas, quam facit hoc peccatum. Quartò multiplex malum,quod est in proprietario. Quintò ostenditur,quòd religio maximè debeat persequi hoc vitium.

Cap.14.est de auaritia scientiæ:vbi ponuntur xij.quę possunt contra hoc vitium valere.Et in fine ponitur de prædicatoribus sibi solùm viuere eligentibus.

Cap.15.est de peccato lusorum:vbi quinque ponuntur quę faciunt ad detestationem huius peccati. Enumerantur etiam xvj. peccata quæ circa ludum accidunt. Et ostenditur transgressio totius Decalogi vbi accidere possit.Tanguntur etiam ibi xij.stultitiæ lusorum. In fine tangitur de his qui lusoribus se immiscent causa spectandi. Et de illis qui locant necessaria ad ludum.Et de his in quorum domibus luditur.

¶ Tertia pars est de his quæ auaritiæ solent dare occasionem.

¶ Quarta pars est de octo remediis contra aueritiam.

¶ Quinta pars de prodigalitate subdiuiditur in quatuor capitula.

Cap.1. de ordine dicendorum in ista parte. Et primò de distinctione prodigalitatis à largitate.

Cap.2.de malis quæ ex prodigalitate sequuntur.

Cap.3.de septem stultitiis prodigi.

Cap.4.de prodigalitate clericorum: vbi tangũtur sex quæ debent cohibere clericos,ne de bonis Ecclesiæ sint prodigi.Et tripliciter ostenditur rapina talium personarum esse periculosa.

¶ TRACTATVS quintus de Acedia,diuiditur in quatuor partes.

¶ Prima pars est de his quæ valere possunt ad detestationem Acediæ.Secunda,de diuersis generibus peccatorum,quę ad hoc vitium pertinent.Tertia de diuersis remediis contra hoc vitium. Quarta de indiscreto feruore,qui acedię videtur esse cõtrarius.

¶ Prima pars subdiuiditur in quatuor capitula.

Cap.1.de ordine dicendorum in isto tractatu.Et de diuersis exemplis quæ valere possunt ad detestationem acediæ.

Cap.2.de verbis Sacræ scripturæ,quæ laborem suadent & otium, vel pigritiam dissuadent.

Cap.3. quantum Acedia displiceat Deo, & placeat diabolo,& noceat proprio subiecto.Vbi verò ostẽditur,quomodo acedia noceat proprio subiecto.Primò ostenditur quòd ipsa replet homi nem malis pœnæ.Secundò quòd malis culpæ. Tertiò quòd aufert homini bonum gloriæ, gratiæ,& naturæ. Et ponuntur ibi octo,quæ deberẽt homines mouere ad cõseruationem tẽporis.

Cap.4.de sex aliis quæ valere possunt ad detestationem acediæ.

¶ Secunda pars subdiuiditur in septemdecim capitula.

Cap.1. est de diuersis speciebus vitiorũ quę ad acediam pertinent. Et primò de tepiditate & eius descriptione, & de malis quæ tepiditas in homine facit. Cap.2. de mollitie.

Cap.3. de somnolentia: vbi primò ponuntur duo exempla contra eos qui nomine contemplationis palliant pigritiam suam. Secundò ostenduntur quinque reprehensibilia circa somnum corporis. Tertiò tanguntur tria quæ debent homines cohibere à nimietate somni. Vltimo similiter ponuntur tria, quæ sunt necessaria ad hoc quòd aliquis debito modo dormiat.

Cap.4. de otiositate: vbi primò ostenditur, quòd otiosus sit multum stultus. Secundò ponuntur xij. stultitiæ otiosi. Et vbi ponitur tertia stultitia, tangitur de octo fructibus oris. Tertiò quadruplici ratione ostenditur, quòd potius sint reprehensibiles otiosi in tempore gratiæ quàm ante. Quartò tanguntur tria, quæ sunt attendenda in occupatione.

Cap.5. de vitio dilationis. Et primò de dilatione conuersionis: secundò de dilatione confessionis. Vbi verò agitur de dilatione conuersionis, Primò ponuntur verba sacræ scripturæ contra hoc vitium. Secundò ponũtur duo quæ impediunt ne Deus intret ad cor peccatoris. Et ostenditur quòd repromissio eius, qui sic differt conuerti, sit nequam, nequior, nequissima. Tertiò verò ponuntur octo quæ deberẽt homines mouere ad acceleranda conuersionem. Et vbi ponitur secũdum illorum, tanguntur octo bona quę sequuntur ex hac acceleratione. Vbi verò ponitur tertium priorum octo, multipliciter ostenditur quantum sit periculum malæ consuetudinis. Vbi verò ponitur quartum, tanguntur duodecim quæ faciunt ad hoc quòd cõuersio dilata sit difficilior. Vbi verò ponitur quintũ, ostenditur quòd ille qui differt cõuerti, iniquus sit in Deum, & angelũ, in seipsum & in proximũ, & in inferiores creaturas. Vbi verò sextum ponitur, ostenditur quòd difficile est aliquem verè conuerti. Vbi verò ponitur septimum, ostenditur magnum periculum in quo est peccator. Vbi verò ponitur octauum, ostenditur magna fatuitas eius qui differt conuerti. Et ad probandam fatuitatem hanc, assumuntur octo casus, in quibus est fatua dilatio. Vbi verò agitur de dilatione confessionis, Primò octo rationibus ostenditur fatuitas eorum qui differunt confiteri. Et vbi ponitur quarta ratio, tanguntur bona quæ ex confessione proueniunt. Secundò quinque rationibus ostẽditur specialiter fatuitas eorum, qui vsque ad mortem differũt confiteri. Tertiò verò ostend

ostenditur fatuitas eorũ, qui in Quadragesima differunt confiteri donec ferè tota Quadragesima sit transacta.

Capitu. 6. est de vitio tarditatis: vbi tanguntur sex quæ possunt nobis dissuadere hoc vitium.

Capitu. 7. est de negligentia: vbi primo sex ponuntur quæ valere possunt ad detestationem huius vitij. Pòst verò tanguntur duo remedia contra hoc vitium. Et in fine ponuntur tria quæ impediunt diligentiam studij.

Capitulum 8. de vitio imperseuerantiæ: vbi quinque tanguntur, quæ possunt valere ad detestationem huius vitij.

Capitulum 9. est de vitio remissionis: vbi in fine tria mala tanguntur quæ ex hoc vitio proueniunt.

Capitulum 10. est de dissolutione.

Capitulum 11. est de incuria.

Capitulum 12. est de ignauia: vbi ponuntur xii. ignauiæ, quæ solent inueniri in omnibus acediosis.

Capitu. 13. est de indeuotione: vbi primo tanguntur quatuor causæ vnde solet prouenire indeuotio vel ariditas spiritualis, deinde ostenditur multiplex effectus huius ariditatis.

Capitulum 14. est de tristitia in diuino seruitio: vbi primò ostenditur quòd hoc vitium multum displiceat Deo. Et ibi tanguntur tres causæ lætandi in diuino seruitio. Secundò ostenditur quòd hoc vitium multum placeat diabolo. Tertiò quòd valde noceat homini.

Capitulum 15. est de tædio vitæ, vbi tanguntur quatuor causæ, ex quibus solet tædium prouenire.

Capitulum 16. de desperatione: vbi ostenditur quòd hoc peccatum multum displiceat Deo, & multum placeat diabolo, & multum noceat homini. Et in fine tanguntur quinque remedia contra hoc peccatum.

Capitulum 17. de acedia clausstralium: vbi tanguntur duodecim mala quæ solent in clausstralibus inuueniri ex acedia.

¶ Tertia pars est de octo remediis contra peccatum acediæ.

¶ Quarta pars subdiuiditur in quinque capitula.

Capitulum primum, de indiscreto feruore. Et de tribus quæ exiguntur ad hoc, quòd aliquis Deo discretè seruiat.

Cap.2. de multiplici malo, quod ex indiscreto feruore prouenit.

Cap. 3. de duodecim stultitiis eorũ qui habẽt indiscretũ feruorẽ.

Capitulum quartum, qualiter sumendus est cibus.

Capitulum quintum, quòd oporteat patres spirituales quandoque condescendere fratribus.

Tracta

¶ Tractatvs sextus, de superbia, diuiditur in quatuor partes. ¶ Prima pars assignat rationem quare vitia sic ordinẽtur in hoc tractatu: vbi etiam tangitur de radicibus horum vitiorum. ¶ Secunda pars est de his quæ valent ad detestationẽ superbiæ in communi. ¶ Tertia pars est de diuersis generibus peccatorum quæ ad superbiam pertinent. ¶ Quarta est de remediis contra peccatum superbiæ.

¶ Secunda pars subdiuiditur in duodecim capitula.

Capitulum primum, quomodo se habeat superbia ad bona.

Cap. 2. quomodo se habeat Superbia ad alia vitia.

Capitulum tertium, quomodo se habeat ad diabolum.

Capit. 4. quomodo se habeat Superbia ad proximum.

Capit. quintum, quomodo se habeat superbia ad Deum.

Capit. 6. quomodo se habeat Deus ad superbum: vbi ostenditur quòd Deus superbum vilipendit & detestatur, odit, & abominatur. Vbi verò ostenditur, quòd Deus superbum odiat, ponuntur sex signa huius odij. Deinde ponuntur duodecim exẽpla ad hoc odium ostendẽdum. Tertiò ostenditur hoc odium esse inueteratum. Et tangitur multiplex causa huius odij.

Capit. 7. quòd superbia hominem inflet, & infelicem reddat, & eum arefaciat, & bona eius consumat. Vbi verò ostenditur quòd hominem infelicem reddat, tanguntur octo, in quibus consistit infelicitas illa.

Capit. 8. quòd superbia hominem decipiat, excæcet, & infatuet. Vbi verò agitur de illa infatuatione, ostenditur, quòd superbia infatuet quinque modis. Deinde ponuntur duodecim stultitię quibus laborat superbus. Vbi verò ponitur quarta stultitia, assignatur quadruplex ratio quare mons superbiæ sit infelicissimus. Vbi verò ponitur sexta stultitia, distinguuntur sex species exaltationis, quarum vna bona est, quinque sunt malæ.

Capit. 9. quòd superbia sit valde periculosa infirmitas, eò quòd de facili incurratur, & non de facili sanetur, & de facili in eam recidiuetur. Ad primum probandum ponuntur tres rationes. Ad secundum probandum ponuntur quinque rationes.

Capitulum decimum, quòd superbia sit magna deformitas, & quòd ponat hominem in misera seruitute & magna debilitate: vbi etiam diuersa vitia tanguntur, quæ hominem repellunt à ministerio Dei.

Capitulum vndecimum, de diuersis rebus quibus superbus vel superbia comparatur.

Cap. 12. quã diligenter velit dominus cauere suis à vitio superbię.

¶ Ter

¶ Tertia pars subdiuiditur in quadraginta ca. Habet enim quinque partes, in quibus ponuntur quinque diuisiones ad peccatum superbiæ pertinentes. & de membris illarum tractatur. Quarum prima habet 24. cap. Secunda septem. Tertia tria Quarta vnicũ. Quinta quinque. Vnde in vniuerso sunt 40. ca.

Cap. 1. est de diuisione Superbiæ. Et de illa specie superbiæ, quæ est quando aliquis credit se bona sua habere à se: vbi ponitur dubitatio quomodo aliquis credat se bona habere à se, & soluitur. Et tanguntur sex, quæ quantum ad se, dicitur facere superbus, quasi crederet bona sua habere à se, & non à Deo.

Capitulum secundum, de illa specie superbiæ, quæ est quando aliquis credit se habere bona sua à Deo, sed tamen pro meritis suis: vbi ponuntur quatuor quæ faciunt ad detestationem huius peccati. Et quinque rationibus ostenditur fatuus, qui hoc vitio laborat.

Capitulum tertium, de illa specie, superbiæ, quæ est quando aliquis credit se habere bonum quod non habet: vbi tanguntur sex quę possunt facere ad detestationem huius peccati. Et in fine ponitur triplex remedium contra hoc peccatum.

Cap. 4. de illa specie superbię, qua aliquis se pręponit aliis: vbi primo ostenditur rusticitas eius qui tali specie superbiæ laborat. Secundo ponuntur quinque rationes, per quas potest ostendi, quòd talis sit fatuus. Tertiò ostenditur, quòd talis sit iniquus quadrupliciter in Deum, & dupliciter in proximum.

Capit. quintum, de Præsumptione: vbi primò ostenditur tripliciter quòd hoc vitium sit valde timendum. Et tangitur triplex damnum, quod prouenit ex vitio isto. Secundò quatuor tanguntur, per quæ potest ostendi fatuitas præsumentium. Tertiò distinguntur quatuor species præsumptionis.

Cap. 6. de diuisione appetitus propriæ excellentiæ in tres species. Et primò agitur de appetitu dominij, hoc modo, quòd primo ostenditur talis appetitus esse malus. Secundò tanguntur quinque, quibus possumus vti ad detestationẽ huius peccati. Vbi verò ponitur tertium illorum, ostenditur quòd malè sit ambitiosis, dum tendunt ad dignitatem: peius, cum iam in dignitate sunt: pessimè verò quando pro abusione eius puniũtur: in fine verò ponitur responsio contra illud verbũ Apostoli, Si quis episcopatum &c. quod ambitiosi pro se allegant.

Capitulum septimum, de appetitu magisterij: vbi primò ostenditur quòd appetitus talis possit esse culpabilis quinque de causis. Vbi ponitur secundum illorũ, ostenditur quòd habere bo-

nam

nam doctrinam & malam vitam, sit homini valde verecundum & erubescentia plenum, & quòd multum Deo displiceat & ecclesiæ multum noceat. Secundò ostenditur quòd magisterium curiosorum sit occupatio mala, peior, pessima: & quòd magistri sint in triplici periculo. Tertiò ostéditur quanti meriti sit ministerium bonorum doctorum: vbi tria genera hominum distinguuntur.

Capitulum octauum, de appetitu simplicis excessus: vbi quatuor tanguntur quæ faciunt ad detestationem huius peccati.

Capitulum nonum, de octo speciebus superbiæ exterioris, & de prima, scilicet superbia, quæ apparet in ipso corpore hominis.

Capitulum decimum, de superbia ornatus virorũ & mulierum: contra quam ponuntur verba sacræ scripturæ.

Capitulum vndecimum, de exemplis quæ dissuadent ornatum superbum, & humilem suadent.

Capitulum duodecimum, de stultitiis se ornantium. Et vbi ponitur octaua stultitia, ostenditur triplici ratione, quòd de veste debeat homo erubescere potius quàm gloriari.

Capitulum decimumtertium de aliis quinque quæ debent homines cohibere ab amore superbi ornatus.

Capitulum decimumquartum, de duodecim causis, ex quibus aliquis potest esse culpabilis in habitu suo. Et vbi ponitur quarta causa, tangitur de caudis mulierum: vbi verò ponitur quinta, ostenditur de superbia corrigiarum: vbi verò ponitur sexta, ostenditur quadruplici ratione quòd croceus color sit reprehensibilis in peplis: vbi verò ponitur septima causa, agitur de peccato illarum quæ colorem præsumunt ponere in vultibus suis. Et pòst sex tanguntur quæ deberent cohibere mulieres, ne alienis crinibus vterentur. vbi verò ponitur decima causa, tanguntur quinque quæ deberent cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis, vbi verò ponitur vndecima causa, ostenditur quantum & quot personis noceat superbus habitus. vbi vero duodecima ponitur, ostenduntur diuersæ intentiones, quibus mulieres solent se ornare. Et ostenditur quòd mulieres ornatæ ostentantes se, sunt incendiariæ sacrorum locorum, homicidæ, imò fratricidæ, & gladij & laquei, & retia diaboli, & cisternæ quæ incautis sunt occasio præcipitij.

Capitulum decimumquintum de erubescentia bona: vbi primò ponuntur verba Sacræ scripturæ ad commendationem huius erubescentiæ. Secundò ostenditur multipliciter, quòd peccatum

tum sit valde erubescibile. Tertiò sedecim enumerantur, de quibus debet homo erubescere.

Capitulum decimumsextum, de erubescentia mala: vbi ponuntur tria quæ possunt valere ad detestationem huius peccati. Et vbi ponitur primum, tangitur triplex causa timiditatis. Vbi verò secundum ponitur, ostenditur triplex fatuitas eorum qui erubescunt bene agere. Vbi verò ponitur tertium, ostenditur quòd erubescentes de bono, malè se habent ad Deum tripliciter & ad bona opera. Et quòd bona opera tripliciter glorificant hominem. In fine tanguntur quatuor remedia contra erubescentiam malam.

Capitulum decimumseptimum de malitia irrisorum, quæ multum nociua est Ecclesiæ.

Capitulum decimumoctauum de superbo ornatu lectorum: vbi primo tanguntur reprehensibilia in lectis. Secundò ponuntur sex quæ deberent homines cohibere à lectis superbis.

Capitulum decimumnonum de illa superbia, quæ apparet in equitaturis: vbi primò tanguntur quatuor, in quibus hæc superbia potest apparere. Deinde ponuntur septem, quæ deberent homines cohibere ab hac superbia.

Capitulum vigesimum de superbia quæ apparet in familia: vbi tria reprehensibilia tanguntur circa familiam.

Capitulum vigesimumprimum de superbia conuiuiorum: vbi quinque tanguntur, in quibus apparet hæc superbia.

Capitulum vigesimumsecundum de superbia ædificiorum: vbi primò tanguntur sex quæ possunt esse reprehensibilia circa ædificia: Secundò ponuntur sex quæ deberent cohibere ab amore superborum ædificiorum. Et vbi ponitur sextum, ostenditur multipliciter fatuus esse qui superba ædificia constituit. Deinde tanguntur quæ deberent prohibere claustrales à superbis ædificiis.

Capitulum vigesimumtertium de superbia librorum: vbi octo ponuntur quæ possunt valere contra hoc peccatum.

Capitulum vigesimumquartum de superbia cantus: vbi breuiter tanguntur quæ videntur esse reprehensibilia circa cantum.

Capitulum vigesimũquintum ex quibus bonis nascatur superbia.

Capitulum vigesimumsextum quòd fatuus sit & impius qui de bonis suis superbit: quod ostenditur quinque rationibus.

Capitulum vigesimumseptimum quòd fatuus sit qui de bonis corporalibus superbit: videlicet de sanitate, fortitudine &c.

Capitulum vigesimumoctauum, quòd fatuum est de nobilitate

gene

generis superbire: quoſt oſtenditur decem rationibus.

Capitulum vigeſimumnonum de duplici nobilitate animi. Et de ſex ſignis veræ nobilitatis.

Capitulum trigeſimum de conſuetudine illarum eccleſiarum quæ nolunt canonicare niſi nobiles: vbi tanguntur ſex cauſæ, quare iſta conſuetudo videtur reprehenſibilis. Vbi verò ponitur prima cauſa, tanguntur quinque peruerſitates quæ videntur eſſe his eccleſiis.

Capitulum trigeſimumprimum quòd fatui ſunt qui ſuperbiunt de his bonis, ſcilicet libertate corporis, & de bonis naturalibus animæ, diuitiis, poteſtate, gratia, vel gloria humana, ſcientia, vel virtute.

Capitulum trigeſimumſecundum de ſuperbia miniſtrorum eccleſiæ: vbi primò tanguntur quinque cauſæ propter quas timenda eſt eis ſuperbia. Deinde multipliciter obiicitur contra quatuor reſponſiones quas ſolent obiicere ſuperbi clerici, contra perſuaſiones, quæ eis fiunt, vt ſuperbiam exteriorem caueant. Vbi verò obiicitur contra primam reſponſionem, ponitur quadruplex ratio, quòd non ſufficiat miniſtris eccleſiæ humilitas interior, ſi non adſit exterior.

Capitulum trigeſimumtertium de ſuperbia prælatorum, vbi ſex rationes ponuntur ad hoc, quòd prælatis ſit multum conandum contra ſuperbiam, & ad humilitatem.

Capitulum trigeſimumquartum de ſuperbia clauſtralium: vbi diſtinguuntur quatuor ſpecies ſuperbiæ, quæ ſolent inueniri in clauſtralibus.

Capitulum trigeſimumquintum de duodecim gradibus ſuperbię ſecundum Bernardum.

Capitulum trigeſimumſextum de quibuſdam erroribus quæ ſanæ fidei aduerſantur: vbi primò tanguntur nouem rationes, quare multum diabolus conetur ſeminare errores fidei contrarios. Secundò agitur de errore diuinationis. Tertiò, de errore maleficiorum. Quartò, de errore ſuperſtitioſorum remediorum. Quintò, de errore illorum qui credunt corporaliter & in veritate fieri, quæ tantum in ſomno fiunt. ¶ Vbi verò agitur de errore diuinationis, primò diſtinguuntur quatuordecim ſpecies diuinationis. Secundò ponuntur quinque, quæ poſſunt valere ad deteſtationem huius peccati. Tertiò habetur ſpecialiter de Sortibus quòd nō liceat eis vti. Quartò, an ſint obſeruanda ſomnia, & diſtinguuntur ſex ſpecies ſomniorum. Quintò, oſtenditur quomodo eueniant frequenter quæ

quæ prædicunt diuini. Deinde quomodo diabolus prædicat futura. Et de Pythoniſſa quæ Samuelem ſuſcitauit. Poſt errorem verò maleficiorum & ſuperſtitioſorum remediorum v. tanguntur quæ faciunt ad hoc, quòd maleficia vim habeant.

Capitul. 37. de peccato irreuerentiæ: vbi primò oſtenditur, q̃ reuerentia ſit exhibenda Deo, angelo, rebus ſacratis, vt eccleſiæ, & hominibus. Diſtinguntur etiam diuerſæ perſonæ quibus reuerentia eſt exhibenda. Et ſpecialiter oſtenditur qualiter, & quare reuerentia ſit exhibenda, & ſpiritualibus parentibus & carnalibus. Deinde tangũtur quinque quę debẽt homines monere ad ſoluendũ decimas. Et vbi primum ponitur, oſtẽditur illũ, qui bene ſoluit decimas, in iij. remunerari. Et qui malè ſoluit, in paupertate puniri. Et oſtẽditur q̃ decimæ, & ſimilia ſoluenda ſunt de melioribus integrè & abſque mora, & libenter.

Capitul. 38. de Inobedientia: vbi primò ponuntur quinque quæ valere poſſunt ad deteſtationem huius vitij, in quorum primo ponitur meltiplex pœna qua legitur punitum eſſe hoc peccatũ. Et in tertio horum tanguntur mala quæ ſequuntur ex inobedientia. Secundò oſtenditur q̃ cuncta moneãt ad obedientiã. Tertiò diſtinguuntur quatuor quæ pertinent ad obſeruantiam ſolennitatum. Et vbi ponitur quartũ, oſtenditur q̃ quinque ſunt quibus vacandum eſt in feſtis. Quorum vnũ eſt meditatio ſancta: & diſtinguitur circa quæ meditatio illa verſari debeat. Quartò oſtenditur peruerſitas eorũ qui contraria agũt illis quatuor propter quæ feſta ſunt inſtituta. Et vbi agitur de peruerſitate illorum qui in feſtis non ceſſant à terreno opere, tanguntur quatuor cauſæ quare dies Dominica celebris eſt. Et aliæ quatuor quare in die Sabbati honor ſpecialiter beatę Virgini exhibeatur. Quintò agitur de inobediẽtia eorum qui excommunicationem contemnunt: vbi primò diſtinguntur duæ ſpecies excommunicationis. Et primò ponuntur xij. rationes quare multum timenda ſit maior excommunicatio. Deinde oſtenditur in quot perſonas peccat, qui minorem excommunicationem contemnit, nec timet communicare cum excommunicato. Sextò agitur de peccato indiſcretè præcipientium. Vbi quatuor modi tanguntur indiſcretę præcipiẽtium. Et ſex ponuntur, quæ deberẽt cohibere prælatos à multitudine præceptorum. Et oſtenditur q̃ multa præcipientes ſunt valde impij. Et q̃ in clauſtris præcipuè ſit cauẽdum à multitudine præceptorum: vbi tanguntur tria quæ religionem deſtruunt. Septimò agitur de his qui nimis de facili excommunicant: vbi

quatuor ponuntur quæ deberent ab hoc cohibere. In fine tangitur de sententia iusta & iniusta.

Cap.39. de peccato Vanæ gloriæ: vbi primò ostenditur quid sit vana gloria. Secundò ponuntur sex quæ faciunt ad detestationem huius peccati. Et vbi ponitur quartum, tanguntur octo fatuitates eorum, qui vanam gloriam amant. Vbi verò ponitur quintum, ostenditur quomodo hoc peccatum sit contumeliosum Deo, & nociuum homini. Vbi verò vltimo ponitur, tanguntur diuersa, quibus vana gloria cõparatur. Et q9 vana gloria oculo spirituali insidietur. Tertiò verò ponitur diuisio gloriæ, & tanguntur quædam ad detestationem carnalis gloriæ. Quartò ponuntur octo remedia contra vanam gloriam.

Cap.40. de Hypocrisi: vbi ponuntur octo ad detestationẽ huius peccati. Et vbi secundum ponitur, tangũtur diuersa quibus hypocryta comparatur. Deinde quæritur quare dominus hypocritas in Euangelio ita persequatur. Et in fine distinguntur tres species hypocrisis.

¶ Quarta pars, & vltima in tractatu de Superbia, est de octo remediis contra peccatum superbiæ.

¶ TRACTATVS SEPTIMVS *de Inuidia, diuiditur in tres partes.*

¶ Prima est de ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de his quæ possunt valere ad detestationẽ inuidiæ. Et primò ponuntur viginti ad hoc: deinde tanguntur pauca alia quæ valẽt ad idem. Secunda pars est de speciebus inuidiæ. Tertia est de quatuor remediis contra peccatum inuidiæ.

¶ TRACTATVS OCTAVVS *de ira, diuiditur in quatuor partes.*

¶ Prima pars est de his quæ possunt valere ad detestationem iræ. Secunda pars est de diuersis diuisionibus iræ. Tertia, de peccatis quæ ex ira sequuntur. Quarta de remediis contra iram.

¶ Prima pars subdiuiditur in quinque capitula.

Capitulum primum, de ordine dicẽdorum in isto tractatu. Et de verbis Sacræ scripturæ quæ dissuadent iram: vbi quatuor causæ tanguntur quare ira à corde sit auferenda.

Capitulum secundum, de quinque causis quare ira multum displiceat Deo: deinde de quatuor quare placeat diabolo. Tertiò de malis magnis & multis quæ infert homini. Vbi triplex ratio ponitur, q9 familiaritas iracundorum quærenda non sit. Et in fine de triplici damno, quod prouenit ex impatientia.

Capitulum tertium, quòd iracundus diuersis generibus rerum comparetur.

Capitulum quartum, de xviij. stultitiis iracundi. Pòst ostenditur quòd

quòd iracundus stultus sit iram recipiendo & conseruando, & indicando.

Capitulum quintum, de sex iniquitatibus eius qui vult se vindicare. Et ponuntur duo vltima, quæ possunt valere ad detestationem iræ. Secunda pars est de diuisionibus ad iram pertinentibus. Et de sex quæ faciunt ad detestationem odij.

¶ Tertia pars subdiuiditur in tria capitula.

Capitulum primum, de peccatis quę ex ira prouenium. Et de xij. quæ debent homines à guerra cohibere. Vbi verò ponitur secundum illorum, tanguntur sex signa amoris, quæ Deus habet ad pacem.

Capitulum secundum de incendiariis: vbi primò ostenditur quis dicatur incendiarius. Deinde ponuntur octo quæ deberent homines cohibere ab hoc peccato.

Capitulum tertium, de homicidio: vbi xij. ponuntur quæ deberẽt homines cohibere ab hoc peccato. Vbi verò ponitur quintum eorum, distinguuntur quatuor peccata quæ dicitur ad Deum clamare. In fine tangitur de morte iniustorum hominum.

¶ Pars quarta est de tribus remediis contra alienam iram: & de octo remediis contra propriam iram.

¶ TRACTATVS NONVS, *de peccato linguæ, diuiditur in tres partes.*

¶ Pars prima est de ordine dicendorũ in isto tractatu. Et de xviij. quæ deberent hominem monere ad diligentem custodiã linguæ. Vbi octauum illorum ponitur, ostenditur quantum, & quot modis, & quàm velociter lingua noceat. Vbi verò ponitur xv. illorum, ponuntur quinque ad quæ habendus est respectus in moderatione prædicationis. Secunda pars est de xxiij. peccatis linguæ. Tertia est de octo remediis contra peccatum linguæ.

¶ Secunda pars subdiuiditur in xxiiij. capitula.

Capitulum primum de ordine dicendorum in ista parte. Et de xxiiij. peccatis linguæ. Et primò de blasphemia, pòst de sex quę faciunt ad detestationem huius peccati. Primum est multiplex pœna blasphemorum: & vbi ponitur quartum illorũ, tanguntur alia sex quæ faciunt ad magnitudinem huius peccati. Pòst tangitur de personis quæ videntur consentire blasphemantibus. Vltimò tangitur de spirituali blasphemia, & eius remedio.

Capitulum secundum de murmure. Vbi primò ponuntur septem ad detestationem huius vitij. Deinde ponuntur tres diuisiones murmuris, & quædam contra murmurantes contra infirmitatẽ, paupertatem temporis, importunitatem, & malorũ pro-

sperítatem,& bonorum aduersitatem. Tertiò multa ponuntur contra murmur clauſtralium. In fine ponuntur quatuor remedia contra peccatum murmuris.

Capitulum tertium de defenſione proprij peccati: vbi nouem ponuntur quæ valere poſſunt ad deteſtationẽ huius peccati. Vbi verò ponitur quintum, oſtenditur tripliciter, quòd defendens peccatum ſuum ſtultus ſit, & in fine tangitur de diuerſis modis excuſandi peccatum ſuum.

Capitulum quartum, de periurio: vbi primò diſtinguuntur duæ ſpecies periurij. Secundò duodecim ponuntur quæ valere poſſunt ad deteſtationem huius peccati. In fine ſeptem ponuntur quæ Sacra ſcriptura diſſuadet circa iuramentum.

Capitulum quintum, de mendacio: & primò dicitur quid ſit mendacium. Secundò ponuntur duodecim quæ poſſunt valere ad deteſtationem mendacij. Tertiò ponuntur diuiſiones mendacij. Quartò tanguntur quatuor quæ poſſunt ſpecialiter valere contra peccatum falſi teſtimonij.

Capitulum ſextum, de detractione: vbi ponuntur duodecim quæ poſſunt valere ad deteſtationem huius peccati. Et vbi ponitur ſecundum, tanguntur multa quibus comparatur detractor. Deinde ponuntur diuerſæ ſpecies detractionum. Tertiò multis de cauſis oſtenduntur reprehenſibiles qui audiunt detractiones. In fine tanguntur de his qui impatienter ſuſtinent detractiones.

Capitulum ſeptimum, de Adulatione: vbi ponuntur ſex ad deteſtationem huius peccati. Vbi verò ponitur tertium illorum, tanguntur multa quibus adulator vel adulatio comparatur. In fine ponuntur quatuor remedia contra peccatum Adulationis.

Capitulum octauum, de peccato maledictionis: vbi quinque tanguntur quæ valere poſſunt contra hoc peccatum.

Capitulum nonum, de conuitio: vbi ſeptem ponuntur quæ deberent hominem cohibere ab hoc peccato. Et in fine tangitur quòd conuitium non eſt admiſcendum correctioni.

Capitulum decimum, de peccato contentionis: vbi quinque ponuntur quæ deberent homines cohibere ab hoc peccato. Et in fine tanguntur quædam perſonæ à quarum contentione cauendum eſt.

Capitulum vndecimum, de peccato deriſionis.

Capitulum duodecimum, de peccato praui conſilij: vbi ponuntur quinque quæ deberent hominem cohibere ab hoc peccato. In fine tanguntur quædam perſonæ à quibus conſilium ſumen-

mendum non eſt.

Capitulum decimumtertium, de peccato eorum qui ſeminant diſcordias: vbi tria ponuntur quæ homines deberent cohibere ab hoc peccato.

Capitulum decimum quartum, de peccato bilinguium: vbi tria ponuntur quę hominem deberent cohibere ab hoc peccato: & oſtenditur quòd hoc peccatum, tripliciter noceat proprio ſubiecto.

Capitulum decimumquintum, de peccato eorum qui rumores amant.

Capitulum decimumſextum, de iactantia: vbi tria ponuntur contra hoc peccatum.

Capitulum decimum ſeptimum, de ſecretorum reuelatione: vbi tria tanguntur contra illud peccatum.

Capitulum decimumoctauum, de indiſcreta comminatione: vbi quatuor ponuntur contra hoc vitium.

Capitulum decimumnonũ, de indiſcreta promiſſione: vbi etiam tria tanguntur, contra hoc peccatum.

Capitulum viceſimum, de verbo otioſo: vbi primò tangitur quid dicatur verbum otioſum. Deinde ponuntur ſeptem quæ deberent homines cohibere à verbis otioſis. In fine tãguntur quinque quæ ſunt timenda circa venialia peccata.

Capitulum viceſimumprimum, de multiloquio: vbi octo ponuntur quæ deberent homines cohibere ab hoc peccato.

Capitulum viceſimumſecundum, de turpiloquio.

Capitulum viceſimumtertium, de ſcurrilitate: vbi tria ponuntur quæ poſſunt valere contra hoc peccatum. Deinde ponuntur quæ inueniuntur in ſcripturis de ritu huius temporis.

Capitulum viceſimumquartum, de indiſcreta taciturnitate: vbi oſtenditur quòd ſemper tacere vitioſum eſt. Et quòd nimia taciturnitas præcipuè ſit reprehenſibilis in prælatis. Tertia pars eſt de octo remediis contra peccatum linguę. Et poſt octauum illorum ponuntur quædam ad commendationem ſilentij clauſtralis. Vbi verò ponitur tertia commendatio, tanguntur plura multum bona, quæ ex ſilentio proueniunt, &c.

FINIS.

REVERENDISSIMI AC EXIMII SACRÆ THEOLOgiæ professoris Gulielmi Peraldi Episcopi Lugdunensis, ex sacro Ordine Prædicatorum, Tomus Secundus, qui SVMMA VITIORVM appellatur.

TRACTATVS I. DE VITIIS IN COMMVNI, PARS I.

DICTVRI de singulis Vitiis, cùm opportunitas se offert, incipiemus à vitio Gulæ: & quia locus se offert, & propter hoc quod dicit Gloss. super Mat. 4. In pugna Christi prius contra gulã agitur, quia nisi hæc prius refrænetur, frustra cõtra alia vitia laboratur. Et alia gloss. dicit ibi, ꝙ diabolus victus de gula, non tentat de libidine. Ante omnia tamen ostendemus, doctrinam vitiorum perutilem esse, per hoc ꝙ vitia studio & summa diligentia sunt vitanda: vitari autem non possunt, nisi prius cognoscantur.

¶ Quòd vitia summa diligẽtia sint vitanda, tribus rationibus ostenditur.

TRIPLICI autẽ ratione potest ostẽdi vitia summa diligentia esse vitanda: scilicet quia dæmonibus valde placẽt, Deo summè displicent, homini verò summè nocent. Quòd valde placeant vitia dæmonibus, ostenditur ex assiduitate tentandi. De qua dicit Greg. Assidua tentatione diabolus tentat, vt saltem tædio vincat. Tentatio verò diaboli ad hoc est immediatè, vt in malum culpæ hominem impellat. Vnde Greg. de illo: Nihil se fecisse æstimat, quum animas non sauciat.

¶ Quòd Deus summè odiat peccatum, triplici ratione ostenditur.

QVOD autẽ Deus summè odiat peccatum, ostenditur tripli ci ratione. ¶ Primò, ex hoc, ꝙ illud quod maximè videtur odire, scilicet diabolũ, non odit nisi ratione peccati: & eũ amaret, si pec catũ non esset, tanquã creaturam suam. Vnde Sap. 11. Nihil odisti eorũ quæ fecisti. Quod intelligendũ est, nisi propter peccatũ adiunctũ, quod ipse nõ fecit. Vnde quũ illud propter quod aliquid est ta

est tale, sit magis tale, constat vitiũ esse magis exosum Deo quàm diabolum. Secundò, potest idem ostẽdi per hoc quòd Deus non habet ita bonum amicum in cælo, nec in terra, quem non haberet odio ad mortem, si inueniret peccatum mortale in eo. Vnde licet Petrus ardentius amasset Christum quàm cæteri Apostoli: tamen Christus eum damnasset, si decessisset in peccato trinæ negationis. Bene ostendit Deus quantum odiat peccatum, quando filios suos quos tantum dilexit ꝙ pro illis mori voluit, in ignem inextinguibilem proiiciet, quando inueniet in eis peccatum mortale. ¶ Tertio potest ostendi idem per hoc, quòd Deus filiũ suum crucifigi voluit, vt cum eo peccatum crucifigeretur. Vnde Aug. super illud ad Colos. 2. vbi loquitur de chirographo: Innocens occiditur, & peccatum crucifigitur. Et Deus pater dicit de Filio suo, Esa. 53. Propter scelus populi mei percussi eum. Si quis diceret se tantum odire aliquẽ ꝙ vellet eum cum proprio filio gladio vno transuerberasse, vel cum propria matre, satis videtur ꝙ haberet eum odio. Sic Christus odiuit peccatum, voluit enim vno gladio illud secum transuerberari. Animam etiam matris suæ voluit cum peccato eodem gladio transuerberari. Vnde Luc. 2. dicit Simeon ad beatam Virginem: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Pertransibit, inquam, per compassionem.

¶ Quòd peccatum noceat homini, quatuor rationibus ostenditur. Et enumerantur sex quæ peccatum auferunt homini.

QVOD autẽ peccatum summè noceat homini, potest ostendi multis rationibus. ¶ Primò, per hoc ꝙ nihil potest homini nocere nisi per peccatũ. Vnde solũ caueat homo sibi ab isto hoste: & non sunt timendi ei alij hostes. Nec diabolus, nec homo malus, nec infirmitas, nec mors, nec alia aduersitas potest ei nocere, si à peccato cauerit sibi. Ad hoc pertinent hæc testimonia scripturæ quę sequũtur. Gre. Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. Et illud Eccle. 8. Qui custodit mandatum, non experietur quicquam mali. Nihil enim erit ei malum vel nociuũ. Esa. 3. Dicite iusto, quia bene &c. Et ad Ro. 8. Scimus quoniã diligentibus Deũ omnia cooperãtur in bonũ. Ad plus non potest nocere diabolus vel persecutor iusto, nisi quia fabricabit ei coronã æternã. Bernardus: Iucundũ Dei iudiciũ: quia ille superbus humilium malleator nescientes eis coronas fabricat perpetuas omnes impugnãdo & omnibus succumbẽdo. Et Dauid: Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Fabricauerũt, inquam, coronam perpetuam. ¶ Secundò, potest ostendi quantũ noceat homini peccatum, per hoc ꝙ nihil est homini adeò salubre, quòd peccatũ non

reddat ei noxium. Ipsam vitam conuertit peccatum hominiin mortem,& ipsam salutẽ in damnationẽ:sicut patet in sacramento altaris,quod qui indignè accipit, iudiciũ sibi manducat & bibit,id est,damnationẽ.Peccatum ad illum qui non solũ est benignus & mansuetus,sed ipsa benignitas &mãsuetudo nobis quasi furibundum reddit.Dauid.Domine ne in furore,&c. Furor eius videbitur,quando filios suos in ignẽ proiiciet,nec inde extrahet eos.¶ Tertiò,potest ostẽdi quantũ noceat peccatũ homini: quia meliori parti hominis nocet,scilicet animæ.Vnde Eccl.21.Dentes illius dentes leonis,interficientes animas hominũ.Nec solùm animæ nocet,imò etiam corpori.Vnde sequitur: Quasi rõphæa bis acuta omnis iniquitas.Bis acuta dicitur:quia interficit animã & corpus.Sequitur,Plagę illius nõ est sanitas.Intellige post vitã istã.In quo innuitur, quòd non parũ noceat peccatum tam corpori quàm animę.¶ Ad vltimũ: peccatũ omnia bona aufert homini,& ferè omnia mala infert.¶ Primò,aufert Deũ.Secũdò,regnũ æternũ.Tertiò,fraternitatem Ecclesiæ.Vnde Eccle.13.Quæ communicatio hominis sancti ad canem? Quartò, bona Ecclesiæ.Dauid:Particeps ego sum omniũ,&c.Quintò,bona propria. Amb.Qui charitatẽ nõ habet,omne bonum amittit quod habet. Sextò,aufert homini seipsum.Et hoc duobus modis.Primò,quia in seruitutem diaboli transit.Secundò,quia melius esset ei ꝙ natus nõ fuisset,si sic perseuerauerit.Vnde quũ ante peccatũ quoddã pretiosum esset,esse per peccatum transit ad statum in quo minus eligendũ est esse quàm nõ esse. Patet,quia plus nocet homini,quàm si omnino auferret ei esse.Ferè etiã omnia mala infert peccatum,sicut manifestũ erit cum de singulis peccatis agetur.

¶ Quòd via Vitiorum sit aspera & molesta in præsenti, tribus rationibus ostenditur.

Sed hic ad præsens sufficiat ostẽdere, ꝙ via vitiorũ est aspera & molesta etiam in præsenti.¶ Ostendemus autẽ hoc triplici ter.¶ Primò,per iustitiã Dei,quæ non sinit dedecus culpæ esse in homine vsq; decore vindictæ:sicut dicit Aug. Vnde idem Augu. Iussit Deus, & verum est, vt sua pœna inordinatus sit animus. Multæ molestiæ sequuntur odiũ,vel irã,vel vnũ de aliis vitiis.Vnde Hiere.2.Scito, & vide quàm malũ & amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuũ. Ad minus sequitur hæc pœna de peccato,scilicet remorsio cõscientiæ.¶ Secũdò,potest ostẽdi idẽ,per hoc ꝙ opus vitij est in extremis,sicut opus virtutis est in medietate.Natura verò in medietate delectatur:in extremis verò contristatur.Vnde Dauid:Iustitiæ Domini rectæ,lætificantes corda.

Tertiò,

¶ Tertiò, ostenditur idem per hoc quòd vitium innaturale est: sed virtus est secũdum naturam.Vnde Ber.Nullũ vitium naturale est:omnis verò virtus homini naturalis est.Deinde subiungit: Virtus,quoniam res naturæ est,cùm venit in animum, aliquando non venit sine labore:sed venit in locum suum,& fideliter sedet,& bene cum ea conuenit natura. Via ergo vitiorum aspera est:via verò virtutũ est suauis. Sed sicut dicit Hieron. insuauem & asperam fecit nobis viã virtutum longa consuetudo peccandi.Et habetur simile in lumine solis, quod est delectabile oculis. Vnde Eccle.11.Dulce lumen est, & delectabile oculis videre solem.Contristat tamen lux solis,oculos tenebris assuetos. ¶ Peccatum ergo dæmonibus placet,Deo summè displicet, & homini summè nocet,sicut ostensum est. Abominabilem etiã reddit hominem,& Deo,& Angelis,& hominibus.Vnde Dauid:Corrupti sunt,& abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.Summa ergo diligentia est vitandũ.Si vniuersi dęmones,& mali homines, & bestiæ & omnes aliæ creaturæ quę possent homini nocere,essent simul cõgregatæ ex vna parte,magis timendũ esset vnũ peccatũ mortale quàm omnia illa. Ad hoc autem quòd nos debeamus ita fugere peccatũ,pertinet quod legitur Eccle. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum.Et illud Sene. Cùm hominibus pacem habe,cum vitiis bellum.Et iterũ:Vitia sine modo & sine ordine persequenda sunt:quia modum & ordinem non habent.

TRACTATVS II. De vitio Gulæ.

De ordine dicendorum in hoc tractatu, Et de quatuordecim quæ valere possunt ad detestationem vitij Gulæ. PARS I.

Hoc ordine dicemus de vitio Gulæ. Primò dicemus de his quæ faciunt ad detestationem huius vitij. Secũdò,de speciebus eius.Tertiò, de satellitibus quibus vtitur vitiũ istud.Quartò,de remediis contra hoc vitiũ.¶ Quatuordecim autẽ sunt quæ faciunt ad detestationẽ huius vitij. Primũ est hoc ꝙ natura dissuadet nobis illud. Vnde legitur in scientia naturali, ꝙ inter animalia magnorũ corporũ nulli dedit natura tã strictũ os secundũ corporis qualitatẽ,sicut homini, quod sine dubio factum est ad commendationem temperantiæ & detestationẽ Gulositatis.¶ Secundũ est hoc ꝙ vitium istud est requies dæmonum:vnde Matt.12. Quũ immundus spiritus exierit ab homine,ambulat per loca arida quærẽs requiẽ, & non inuenit.Loca arida sunt homines separatè viuentes,in quibus diabolus nõ inuenit requiem. Vnde legio dæmonũ dixit Domino,

vt legitur Matth.8. Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. quod Dominus permisit eis. Postquã enim aliquis quasi porcus vitio gulæ est subditus, dæmonum habitaculum est. Vnde dicit Gloss. Nisi quis more porci vixerit, diabolus potestatem in eo non accipit.

¶ De triplici iniuria quæ fit proximo ex vitio Gulæ.

TERTIVM est multiplex iniuria proximi quæ sequitur ex vitio isto. Triplicem autem iniuriam proximi quæ sequitur ex vitio isto ponemus ad præsens. Prima est, proximi corruptio. Vnde in Psal. Sepulchrum patẽs est guttur eorum. Ad literã, homo qui se inebriat vespere, os fœtidum habet sequenti mane ad modum sepulchri. Sed ad corruptionem mali exẽpli possumus hoc referre. Malo enim exẽplo corrumpunt gulosi proximos suos. Ad quod pertinet quod legitur ad Ro.14. Si propter cibũ tuum frater tuus cõtristatur, iam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illũ perdere, pro quo Christus mortuus est. Et in epistola Iudæ de gulosis dicitur: Hi sunt in epulis suis maculæ conuiuãtes. Non solũ sunt maculati, imò sunt maculæ alios maculãtes suo exẽplo. Secunda iniuria est, q̃ vnus gulosus expendit in piscibus, vnde viginti pauperes satis haberẽt de pane. In quo fratres suos de portione eorũ defraudat. Omnes fideles fratres sunt. Vnde Ber. Noli putare gratuitum, q̃ impendis proximo: ve lis nolis debitor es. Tertia iniuria est, conuitia & verbera quæ ebrij & variis repleti ferculis solent inferre vicinis suis. Tumultuosa enim res est ebrietas: vt legitur Prouerbio.20.

¶ De multiplici contumelia quæ sequitur ex vitio Gulæ.

QVARTO facit ad detestationẽ huius vitij multiplex cõtumelia Dei, quę sequitur ex vitio isto. Ex quibus septẽ ponemus ad præsens. ¶ Prima est, quia vitiũ istud vilissimã creaturã deificat, ventrẽ scilicet, iuxta illud Apost. ad Phil.3. Quorũ Deus vẽter est. vbi dicit Aug. Hoc ab homine colitur quod præ cęteris diligitur. Idololatria ista deterior est in hoc, idololatria paganorũ: quia illi auro & argento & marmoreis lapidibus honores diuinos impẽdere solẽt: sed gulosus ventrẽ pro Deo honorat, qui est quasi latrina. In hoc videtur hoc vitium detestabilius esse cunctis aliis vitiis. Secũda cõtumelia est, quia de tẽplo spiritussancti coquinam facit. Vnde 2. ad Cor.6. Vos enim tẽplum Dei viui estis. De hoc templo facit coquinã, qui adeò se implet cibis & potibus, q̃ igniculus naturalis non sufficit illud decoquere: sed tanquã ex lignis viridibus vel humidis fumũ producit qui hominẽ pigrũ & somnolentũ reddit. ¶ Tertia cõtumelia est, quòd animã quæ imago est

est beatæ Trinitatis, multum deturpat obscurando eam. vnde in hominibus, qui laborãt vitio isto, impletur illud verbũ Prophetę: Denigrata est facies eorũ super carbones. Vnde Hieron. Nihil adeò obruit intelligẽtiam, vt commessatio & ebrietas. ¶ Quartũ est, quòd hoc vitiũ multũ elõgat à Deo. Ad quod pertinet quod dicitur in Psal. In chamo & fræno maxillas eorũ constringe, qui non approximant ad te. Non approximantes ad Deũ, sunt homines cibo & potu se replentes, quibus optat Dauid magis ac magis cõstringi maxillas, id est, parcius victualia dari: vt sic saltẽ cogãtur approximare sicut accedit famelicus ad dominũ. ¶ Quintum est, quòd vitiũ hoc Dei obliuionem inducit. Vnde Osee 13. Saturati sunt & eleuauerunt cor suum: & obliti sũt mei. ¶ Sextũ est, quòd Deũ blasphemat. Vnde super illud 1. ad Corint.10. Siue comeditis, siue bibitis, omnia ad gloriam Dei facite. dicit Augu. Si quod manducas & bibis, ad refectionem corporis sumis, sustẽtationémque membrorum, gratias agens ei qui tibi mortali & fragili tribuit ista supplementorum solatia, cibus tuus & potus tuus laudant Deũ. Si verò modũ naturæ debitũ immoderatione edacitatis excedas, & vinolentia te ingurgites, quantaslibet Dei laudes lingua tua resonet, vita tua blaphemat. Sicut formositas operis artificem laudat, sic eius deformitas eum quodammodo blasphemat. Hier. Valde absurdũ est nimia saturitate velle honorare sanctũ, quẽ scimus Deo placuisse per ieiuniũ. Quidã sanctus dixit. Venter receptaculum ciborum omnes hominum labores & momentanea gulæ blandimenta stercoris fine condẽnat: id est, vana fuisse probat. Vnde male viuẽs, creatorem suum blasphemat ¶ Septimum est, quòd hoc vitium contemnit Deum & quicquid Deus habet. Vnde Esau qui tenet figuram gulosorũ, dicit Genes. 25. Quid mihi proderunt primogenita? Et paucis interpositis subditur: Et abiit parui pendens quòd primogenita vẽdidisset. De gulosis verum est illud, quòd pro nihilo habẽt terrã desiderabilẽ. & illud Thren.1. dederunt pretiosa quæque pro cibo ad refocillandas animas. ¶ Quintum quod facit ad detestationem huius vitij est hoc, quòd vitium istud inquinat membrũ illud, in quo magis indecens est immunditia quàm in alio membro. In ore minus tolerabilis est immunditia, quàm in alio membro, duplici ratione. Primo propter nobilitatem membri. Secundo, quia præcæteris mẽbris deputatum est diuino officio. ¶ Sextũ est, quòd prima prohibitio quam Deus dedit, data fuit contra vitiũ istud. Vnde Gen.2. De omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. ¶ Septimum est, hoc

quòd

quòd vitium istud laqueus est in via per quam necesse est nos ire: & ideo magis timendum est nobis. Vnde diabolus hoc vitio hominem tentauit cùm esset in paradiso, & in statu innocentiæ. isto etiam vitio primo aggressus est tentator filium Dei. Vnde Gregorius loquês de illo verbo, De necessitatibus meis erue me: dicit, Necessitates corporales hoc habent periculosum; quòd in eis sæpe minimè dignoscitur quid circa eas vitio vel vtilitatis studio agatur. Has necessitates Psalmista cupit euadere, sciens plerunque voluptatum culpas occasione necessitatis prorumpere. Ait Augustinus. Sumenda sunt alimenta tanquam medicamenta: sed dum ad quietem satietatis ab indigentia trâsitur, in ipso trâsitu laqueus concupiscentię insidiatur. Frequenter enim dum hoc fit, adiũgit se quasi pedissequa periculosa iocũditas, & plerũque præcurrit vt eius causa fiat quod causa salutis fieri debuit, & gaudet infelix anima, vt obtẽtu salutis obumbret negotiũ voluptatis. ¶ Octauũ est hoc quòd totiẽs in Euãgelio exprimitur tormentũ huic vitio reddẽdũ. Vnde pluries dicit Dominus in Euangelio: Ibi erit fletus & stridor dẽtiũ. & dicit glo. qui de edacitate gauisi sunt. Et Luc. 16. Mitte Lazarum vt intingat extremũ digiti sui in aquã vt refrigeret linguã meam: quia crucior in hac flamma.

¶ De multiplici malo quod legitur in Scriptura ex vitio Gulæ subsecutum.

NONO facit ad detestationẽ huius vitij multiplex malũ proueniens ex hoc vitio. Et primo enumeremus mala quæ in Sacra scriptura reperiuntur euenisse occasione gulæ. Secundo mala quæ eueniũt quotidie his in quibus est vitiũ istud. Primo enim occurrit nobis quòd vitiũ gulæ in matre nostra Eua occasio fuit omniũ malorũ. Secũdo legitur Gen. 9. quòd Noë qui perfectus fuit in generationibus suis, vitio isto deuictus sit. Bibẽs enim vinũ inebriatus est & nudatus in tabernaculo suo. Tertio legitur Ge. 19. quòd Loth, quẽ Sodoma nõ vicit, vino inebriatus, duplicẽ incestũ cõmisit. Quarto legitur Gen. 25. quòd Esau vitio isto dignitatẽ primogenituræ amiserit. Quinto legitur Gen. 4. quòd Pharao faciẽs conuiuiũ grãde, magistrũ pistorũ suspẽdit. Vitio etiã gulæ populus Israël iram Dei meruit. Vnde in Ps. Adhuc escę eorum erãt in ore ipsorũ, & ira Dei, &c. Et 2. Reg. 13. Absalon fecit conuiuiũ, & interfecit fratrem suũ Amon, cùm temulentus esset vino. Et de Holoferne legitur Iudith 11. quòd bibit vinũ multum nimis quantum vna die nunquam biberat in tota vita sua, & interfectus est à Iudith. Legitur etiã in principio Iob, quòd filij Iob bibẽtes vinũ in domo fratris sui primogeniti sunt oppressi. & dicit Greg. In maioris fratris conuiuio filios Iob Sathan obruit. Nũquid illi ventri vacabant? Quasi diceret: Non: sed tamen inter conuiuia, mentis bona intentio minus feruet & minus prouidet. Et in Euãgelio legitur, quòd Herodes conuiuium faciens, Ioannem Baptistam occiderit.

¶ De multiplici malo quotidie corpori & animæ ex vitio Gulæ proueniẽte.

MALA verò quæ proueniunt quotidie ex hoc vitio illis qui habent hoc vitium, multa sunt. Et primò enumeremus ea mala quæ eueniunt spiritui. Inter quę primũ est grauamẽ spiritus. Vnde dominus Luc. 21. Attẽdite ne grauẽtur corda vestra in crapula & ebrietate. Crapula est cruda epula, quãdo tantum de cibo sumitur quòd calor naturalis nõ sufficit ad decoctionem eius. Adeò enim grauatur spiritus nimietate cibi & potus, vt sit quasi sepultus. vnde Osee 9. Mẽphis sepeliet eos. Memphis interpretatur, ex ore. Nimietas cibi & potus ex oris vitio occasionẽ habẽs homines sepelit. Greg. Quãto corpus impletur, tãto anima minoratur. Vnde Hier. Qui luxuriatur, viuens mortuus est: & qui inebriatur, mortuus est, & sepultus. Rabanus: Vile sepulchrũ est ebrietas. Sepultura ista quasi quædã submersio spiritualis est. In aqua enim sepeliri est submergi. ¶ Secũdũ malũ est loquacitas. Vnde Greg. in homilia, de diuite epulone: Prima in male cõuiuantibus famula tur culpa loquacitatis: post loquacitatem ludi etiam leuitas sequitur. ¶ Tertium est, lasciuia. Exod. 32. Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. ¶ Quartum malũ est luxuria. Vnde Hierem. 5. Saturaui eos, & mœchati sunt. Ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria. Prou. 20. Luxuriosa res est vinum. Hier. ad Eustochium: Virgo Christi vinum fugiat vt venenum. Idẽ: Quicquid seminariũ est voluptatis, venenũ puta. Idẽ, Quãdiu Eua in paradiso abstinuit, virgo fuit. quàm citò præceptum abstinẽtiæ violauit, corruptionem sensit. Idem ad Furiã virginẽ: O filia si Apostolus castigauit corpus suum, & in seruitutẽ redegit, ne cùm aliis prædicasset reprobus efficeretur: quomodo tu iuuencula adhuc in furore iuuẽtutis posita, dapibus & vino plena de castitate eris secura? Ipsa etiã auaritia quãdoque prouenit ex vitio gulę. Vnde Hier. Deliciæ & epularum varietas auaritiæ fomenta sunt. Idem: Tolle epularũ & libidinis luxuriã, nemo quærit diuitias; quarum vsus vel in ventre vel sub ventre sunt.

¶ De innumeris vitijs prouenientibus ex hoc vitio, scilicet Immisericordia, &c.

SEQVITVR ex hoc vitio similiter Immisericordia. Vnde Amos 6. Bibẽtes vinũ in phialis & optimo vnguẽto delibuti, nihil

hil cõpatiebãtur super cõtritione Ioseph. Ad idẽ facit quòd legitur Luc.16. de diuite epulone qui Lazaro cõpassus nõ est. Et vniuersaliter homo vitio gulę subiectus nulli alij vitio resistere potest. Vnde Galenus: Ebriosus, seruus est omniũ peccatorũ. Nullũ peccatũ potest vincere qui captus est hoc vitio. Ex quo enim ori, quod est quasi porta hominis, vitiũ gulę, quod est quasi de familia diaboli, dominatur, totã familiã diabolicã, scilicet vniuersitatẽ vitiorũ permittit intrare. ¶ Vitiũ gulę reddit hominẽ stultũ, imò insanũ, & ad vltimũ reddit eũ quasi porcũ. ¶ Ad primũ faciũt hęc testimonia scripturæ. Prou.20. vbi loquitur de vino & ebrietate. Quicũque his delectatur, nõ erit sapiẽs. Et in Iob 28. Sapientia nõ inuenitur in terra suauiter viuẽtiũ. Sen. Copia ciborum subtilitas impeditur. Hiero. Venter pinguis nõ gignit tenuẽ sensum. Tullius: Mẽte recta vti nõ possũt multo cibo & potu repleti. ¶ Ad secũdũ pertinet quod legitur Osee 4. Vinũ & ebrietas auferũt cor: id est, mẽtẽ. Et eiusdẽ 7. Cœperũt principes furere à vino. Seneca: Nihil aliud est ebrietas, quàm volũtaria insania. ¶ Ad tertiũ facit quod dicit Senec. Quosdã vẽtri obedientes loco animaliũ numeremus, nõ hominũ. Hiero. Qui post carnẽ ambulãt in vẽtrẽ & libidinẽ proni, quasi irrationabilia animalia reputantur. Et 2. Petr. 2. dicitur de talibus: Hi velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & pernicię. Et glossa interlin. supple tendunt. In hoc tamen deteriores sunt irrationabilibus animalibus, quia illa non incidunt in laqueos quos vident, vel in laqueos in quos alia vice ceciderunt, quod isti faciunt. Vnde Hieron. Bruta animalia & vagæ aues in easdem pedicas retiáque non incidunt. ¶ Præter ista mala quæ spiritualia videntur esse, sequuntur multa alia mala ex vitio gulæ. Primò fames. Vnde de gulosis in Psal. dicitur: Famẽ patientur vt canes. Osee 4. Comedent & non saturabuntur. Hieron. Voluptas habita, famem, non saturitatẽ parit. Et Luc.15. dicit filius prodigus, qui tenet figurã gulosorũ: Ego autẽ hic fame pereo. Et ad literã est hoc verũ de illo qui inebriat se vespere, quòd sitit in sequenti mane. Vnde Prou.23. dicit Salomon in persona talis: Quãdo euigilabo, & rursus vina repetiam? Deinde sitit vsque ad prãdiũ, nisi prius biberit. Idẽ accidit de esurie: quia in prandio non cessat esuries, vel quia non habet ea quæ vellet, vel quantũ vellet, vel præparata vt vellet. Sicut enim dicit Augustinus: Vbicũque quærit caro refectionẽ, inuenit defectionẽ. Si autem accidat quòd habeat, quæ, & qualia, & qualiter vult, non habet tantum vẽtrem quantum vellet habere, aut deest ei annona, aut saccus. Non potest esse sine fame, cui ex defectu

fectu famis fames nascitur: tũc oportet eum ire spatiatum, vt sic esuriat, & sic famẽ venetur. Lædit etiã natura. Vnde Iob. 20. Cùm satiatus fuerit arctabitur, & omnis dolor irruet super eũ. Homo satiatus arctatur: id est, arctus sibi uidetur: sicut angusta videntur alicui horrea sua propter multitudinem frumenti. Dolor enim irruit super eum: non enim consequitur voluptatem quam quæsiuit. Vnde Tullius: Si videres istos epulones velut opimos boues stertere & sudare, intelligeres eos qui maximè sequuntur voluptates minimè assequi quod volunt. Qui vitio gulæ laborat, patitur pro delectatione vnius horæ molestiã diei vnius vel mensis: quia in acutam vel altam infirmitatem incidit. Seneca: Ebrietas vnius horæ hilarem insaniam longi temporis tædio pensat. Eccles.31. Amaritudo animæ, vinum multum potatum. Ex vitio etiam gulæ sequitur vigilia. Vnde Eccles.5. Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multũ comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. Sequitur etiã inde paupertas. Vnde. Eccles.19. Operarius ebriosus non locupletabitur. Prouerb.21. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. Causa verò quare talis non ditatur, tangitur in Aggæo, vbi sic legitur cap.1. Qui congregauit merces, misit eas in saccum pertusum. Quãdoque ebriosus quod per totam hebdomadam laborauit, in die Dominica ponit in saccum pertusum, scilicet in ventrem. ¶ Sequitur etiam ex vitio gulæ, corporis infirmitas: nec vna tantùm, sed plures & quandoque mors. ¶ Ad primum pertinet quod legitur Eccl. 37. In multis escis erit infirmitas. ¶ Ad secundum pertinet quod dicit Seneca: Quis hostis in quęquã tam contumeliosus fuit, quàm in quosdam voluptates suæ sunt? Sufficit alicui si hostem suum excæcat: sed voluptates non solùm excæcant voluptuosos, sed etiam impotentes reddunt, & contractos, & leprosos ex diuersis aliis infirmitatibus affligunt. Ad tertium pertinet quod legitur. Eccle. 37. Propter crapulam multi obierunt. Et Sene. Potest nostra pro videntia huic corpusculo lõgiorẽ prorogare morã, si voluptates quibus maior pars perit, poterimus regere & coercere. ¶ Ad quartum pertinet quod legitur Eccle. 7. Inueni mulierem morte amariorem. Hæc mulier est voluptas carnis quæ morte est amarior: quia non vna sola morte interficit, sed triplici: scilicet morte temporali, morte culpæ, & damnationis ęternæ. Ad idem pertinet quod legitur Prouerbior. 23. Vacantes potibus, & dantes symbola, consumentur. Et pòst in eodem: Ingreditur blande: sed in nouissimo mordebit vt coluber, & sicut regulus venena diffund

fundet. Et Nah 1. Sicut spinę se inuicē cōplectuntur, sic cōuiuium eorū pariter potantium cōsumetur quasi stipula ariditate plena. Hoc vitiū seruū nostrū naturalē dominari nobis facit. vnde Ecc. 12. Benefac humili: id est, animę: & ne dederis impio: id est, corpo ri. Prohibe panes illi dari, ne in ipsis potētior te sit. Et Pro. 29. Qui delicatē à pueritia nutrit seruū suū, postea sentiet eū contumacē.

¶ Quòd vitium Gulæ est vna de grauioribus infirmitatibus.

DECIMVM faciens ad detestationē huius vitij est hoc, quòd vitium istud est vna de grauioribus infirmitatibus spiritualibus. Perpenditur autem grauitas huius infirmitatis ex hoc, quòd citò interficit vel suffocat, durè affligit, vix curatur, multas expensas requirit, quæ tamen potius nocent quàm prosint. Omnia etiam genera infirmitatum & spiritualium & corporalium inducit hæc infirmitas. Propter primum assimilatur hæc infirmitas squinantiæ, quæ est infirmitas gulæ citò suffocans hominem. Propter secundum assimilatur hæc infirmitas cuidam infirmitati quæ dicitur appetitus caninus, vel bolismus. Affligit enim hæc infirmitas hominem fame insatiabili, sicut ostensum est prius. Vnde Prouer. 13. Iustus comedit, & implet animam suam: venter autē impiorum insatiabilis est. Vix etiam curatur vitium istud: quia initiū habet ab humana necessitate, sicut ostensum est prius. Nec senectute videtur deficere sicut luxuria: imò tunc augetur, & medicamētum eius vertitur in nacumētū. Vnde Grego. in Moral. Quot solatia ad viuendi vsum quærimus, quasi tot nostræ ęgritudinis medicamētis obuiamus: quia hoc ipsum medicamentum in vulnus vertitur: quia exquisito remedio paulò diutius inhærentes, ex eo grauius reficimur, quòd prouidè ad refectionē paramus. Senes enim magis amāt bonum vinū: expensas etiā tantas requirit hæc infirmitas, vt multi hoc vitio depauperētur, & semper deterius se habent. Quomodo autē ex hac infirmitate cæteræ introducātur, satis manifestū est ex prædictis. ¶ Vndecimū faciēs ad detestationē huius vitij est hoc, quòd ille qui hoc vitio capitur, à diabolo valde periculosè capitur. Vnde cum diabolus quærat eum mortificare, secundū illud Psal. Cōsiderat peccator iustū, & quærit mortificare eum: iam est prope intentionē suā, cùm ad gulam manū ei tenet. Ad hoc referri potest illud verbum Sen. Voluptates inter res vilissimas præcipuè extirpa, quæ more latronū in hoc nos amplectūtur vt strangulent. ¶ Duodecimū faciēs ad detestationem huius vitij est hoc quòd ille qui hoc vitio à diabolo tenetur, valde firmiter tenetur. Hoc enim vitiū est quasi quoddam frænū ori ipsius impositum. Vnde

Vnde potest eum circunducere ad voluntatem suam: iuxta illud Iac. 3. Fræna in equorum ora ad consentiendum nobis mittimus, & omne corpus eorū circunferimus. Est etiam vitium istud inter difformitates spirituales, quasi latitudo oris: nō talis, qualem habent ora canū, qui dicuntur leporarij vel venatici, sed talis qualem habet os inferni. Insatiabilis enim est, nec sufficit ei quod gignit terra, nisi & aquatilia & volatilia habeat. Vnde Hiero. Tauri paucorum iugerum pascuis aluntur, vnica sylua pluribus elephantibus sufficit: homo verò terra, & mari pascitur.

¶ De graui seruitute quæ laborat gulosus, quæ in sex attenditur.

PENVLTIMVM faciens ad detestationē huius vitij est hoc, quòd ille qui laborat hoc vitio, est in seruitute valde graui & valde ignominiosa. Sex autē sunt in quibus attenditur grauitas huius seruitutis. ¶ Primū est hoc, quòd ipse est seruus eius qui naturaliter debet seruire ei, scilicet corporis sui. Ad hoc pertinet illud quod legitur Prou. 19. Non decet seruū dominari principibus. Et illud Prou. 30. Per tria mouetur terra, & quartū sustinere non potest, per seruū cùm regnare cœperit. Seruus iste corpus est, ex cuius dominatione terra mouetur: quia homo vel ecclesia turbatur. ¶ Secundū est, quòd talis omniū illorum seruus est quibus indiget corpus. Vnde Sen. Multis seruit, qui corpori seruit. ¶ Tertium est, quia talem oportet seruire cuidam dominæ, scilicet gulæ, cui nullus potest seruire ad suam voluntatē, quæ vult singulis diebus parari bis sibi varia fercula, de quibus nihil remanet: sed postquā tetigerit, proiicit, & in locum turpitudinis, & quasi perditionis transmittit. Ad hoc pertinet quod legitur Ioël. 1. Vlulate qui bibitis vinū in dulcedine: perit enim ab ore vestro. Et illud verbū Ber. Voluptas gutturis, quæ tanti hodie æstimatur, vix duorum habet latitudinem digitorū. Non durat delectatio, nisi quantum durat transitus ille per gulam, & pro illo transitu vult domina gula tot & tanta sibi parari. ¶ Quartum est, quod ipse vili labori intendit: quia implerioni loci immundi, scilicet vētris. Qua enim ratione locorum immundorū euacuatio est vile opus, eadē ratione etiam impletio. Intendit enim sacci vnius refectioni, & sacci immunditia pleni, cùm intendit refectioni corporis. Corpus enim saccus est. Vnde in Psa. Concidisti saccum meū. Ipsa etiam gloriosa & beata caro Christi saccus vocatur. Quid autē est hoc, intendere refectioni sacci vnius XL. annis, quem ad vltimū scio putrefiendū? Quintum est hoc, quòd vanus & quasi inutilis est labor eius. Satis vanus videtur labor quo aliquis laborat, vt delicioſe pascat latronem vnū morti damnatū. Latro iste morti damnatus est, corpus

Universidad de Deusto
Biblioteca

nostrum. Vnde Sen. Omnes capitali supplicio cõdemnati sumus. Satis etiã videtur vanus labor quo homo laborat vt vermes spendidè paſcat. Non est curandũ qualem inueniant carnẽ vermes, vel pinguẽ, vel macilentam. Carnẽ impinguare, est vermibus escam præparare. ¶ Sextũ est quòd domina gula totũ laborem hominis requirit. Vnde Eccle. Omnis labor in ore eius. ¶ Vltimũ faciens ad detestationem huius vitij est cõmendatio sui contrarij, scilicet cõmendatio Tẽperantiæ vel Ieiunij. Sed de hoc alibi dicetur.

De speciebus Gulæ. PARS II.

SEquitur de speciebus huius vitij, quæ sunt gastrimargia, siue comeſſatio & ebrietas. Dicitur autem gastrimargia, eò quòd in castris ventris omnia mergantur. Ad cuius detestationem sufficiant ea quæ ad detestationem gulositatis superius dicta sunt.

¶ *Quæ mala veniant ex Ebrietate.*

SED ad detestationẽ ebrietatis, quæ semper vitiosior est, aliqua addemus. ¶ Primũ est, quòd ebrietas proditiosè agit. Exercitus enim illius pacificè recipitur, & pòst nocet. Vnde Prou. 23. Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè: ecce pacificus ingressus, sed in fine mordebit vt coluber: ecce nocumentũ. ¶ Secundo facit ad detestationẽ huius vitij multiplex maledictio, quã Deus ebriis facit. Vnde Esa. 5. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatẽ sectandam & potandum vsq; ad vesperũ. Et pòst eodem cap. Væ qui potentes estis ad bibendum vinũ. Et dicitur contra aliquos qui gloriantur ex hoc quòd possunt multum vinũ sustinere. Et Esa. 28. Væ coronæ superbiæ ebriis Ephraim. Et Pro. 23. Cui vę? cuius patri vę? cui rixæ? cui foueæ? cui sine causa vulnerã? cui suffossio oculorum? nónne his qui morantur in vino, & studẽt calicibus epotandis? Et dicit Gloss. super illud, Cui suffossio oculorum. Immoderatus haustus vini, exterioris & interioris visus ingerit cęcitatem. ¶ Tertiò facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd omnia bona dissipat in homine. Bona gratiæ dissipat vsq; ad fundamentũ eorum, scilicet vsque ad fidem. Vnde Eccl. 19. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes: bona etiam naturæ exterminant vsq; ad insensibilitatem. Vnde Prouerb. 23. dicit ebriosus: Verberauerunt me, & non dolui: vulnerauerunt me, & non sensi. Vnde August. Ebrietas aufert memoriam, dissipat sensum, confundit intellectum, concitat libidinem, inuoluit linguam, corrumpit sanguinem, omnia membra debilitat, vitam diminuit, & omnem salutem exterminat. ¶ Quartò facit ad detestationẽ huius vitij hoc quòd dicit August. super illud Gene. 43. Biberunt, & inebriati

sunt

sunt cum illo. verbum inebriandi vt ait August. pro saturitate ponitur. Et pòst subiungit Inebriari, vt inebriantur ebriosi, nec ipsi terræ est vtile, quoniam maiore humore quàm sufficit, corrumpitur: sic vita ebriosi qui non satietate se replet, sed emergitur diluuio. ¶ Quintò facit ad detestationem huius vitij, quod Gregor. de illo dicit: Ebrietas, inquam, est blandus dæmon, dulce venenum, suaue peccatum: quam qui habet, non se habet: quam qui facit, non facit peccatum, sed totus est peccatum.

¶ *De aliis quinque speciebus Gulæ secundum Gregorium.*

ALITER distinguntur quinque species huius vitij à Gregor. super illud Gen. 25. vbi dicit Esau Iacob: Da mihi de coctione hac rufa. ¶ Prima species est, cùm quis horam comedendi præuenit: vt legitur de Ionath 1. Reg. 14. Talis timere potest illam maledictionẽ quæ habetur Eccl. 10. Væ tibi terra, cuius rex puer est, & cuius principes manè comedunt. Terra intelligitur hic homo. Terra enim est, & in terram ibit. Rex est liberum arbitrium, qui animam habet regere. Principes intelliguntur quinque sensus: sicut illi qui verum Deum colunt, ab honore & obsequio diuino diem inchoare volũt: sic illi quorum Deus venter est, primo quærunt regnum Dei sui. Regnum Dei eorum, est esca & potus. ¶ Secunda species est, quando aliquis nimis delicata vult habere, vt legitur Numeri 11. de filiis Israël, qui in eremo carnes desiderabãt. Et in Luca legitur de Diuite epulone, quòd epulabatur quotidiè splendidè. Seneca: Palatum tuum fames excitet, non sapores.

¶ *Triplici ratione ostenditur quare homo non debeat quærere delicata.*

TRIPLICI autem ratione non debet homo quærere delicata. ¶ Primò propter naturam vasis cui cibos quos sumimus infundimus: corrumpit enim quicquid infunditur. Si quis haberet aliquod vas quod corrumperet vinum quando est infusum, ipse non infunderet ibi de meliori quod haberet. Ad hoc pertinet quod legitur Ioël. 1. Vlulate qui bibitis vinum in dulcedine: perit enim ab ore vestro. ¶ Secundò propter hoc: quia cùm delectabilia tibi dantur in adiutorium carni aduersus spiritum concupiscenti, fiunt duo contra vnum, & vincitur spiritus. Vnde Bernard. de condimentis: Sufficit vt comestibilia fiant, non concupiscibilia. Sufficit enim concupiscentiæ malitia sua: quæ cùm vix aut nullo modo pertransire possit ad finem explendæ necessitatis, nisi per viam quantæcunque delectationis si cœperit habere irritamenta, fiunt duo contra vnum, & periclitatur continentia. ¶ Tertiò, cùm carni deliciæ dantur, vult eas pòst ex consuetudine habere. Vnde Prouerbiorum 23. Prouerbium est,

Adolescens iuxta viã suam,etiam cum senuerit,nõ recedet ab ea. Cum homines timeant tantũ malam consuetudinẽ,quòd etiam à dilectissimis non sustineant eam super se adinueniri: mirum est quomodo seruo nequam, scilicet corpori hoc tolerare volunt. ¶ Tertia species est quando quis nimis sumit:vt legitur de Sodomitis, Ezech.16. Hierony. Pluuia illa optima est quæ sensim descendit: subitus autem & nimius & præceps imber, arua subuertit. Similiter nimius cibus nocet. ¶ Quarta species est studiositas quæ pertinet ad solicitudinem & curiositatẽ lautè præparandi:vt legitur de filiis Heli.1.Reg.2.De studioso dicit Isid.Tota die epulas ruminat, qui ad explendam gulam vespere delicias præparat. Talis est quasi animal ruminans.Sed in hoc differt à ruminantibus animalibus, quia bruta animalia ruminantia ruminant post sumptionem cibi,sed talis ruminat ante. ¶ Quinta species, est quum quis nimis auidè, vel ardenter sumit cibum: vt legitur de Esau. Gen.25.Vnde Eccle.27. Noli auidus esse in omni epulatione, neque te effundas super omnem escam. Et August. Melius est piscibus vesci more domini, quàm lenticula more iumentorum.Signum fœdæ auiditatis est in sumendo cibum,tremor manuum scyphum & bolum tenentium,effusio vultus exterioris super cibaria,cum totis oculis, quam comitatur effusio vultus exterioris super escam, quæ est quando sic animus ad cibum ardore trahitur,vt aliquid cogitare non sinatur.Signum etiam huius fœdæ auiditatis est inordinatio scindendi panem, masticandi cibum & sumendi. Bern. Etiam ad sanitatem corporis quanto cibus honestius & ordinatius ingeritur, tanto facilius & salubrius digeritur. Contra auiditatem istam consilium est interponere psalmum vel aliam orationem. Hæ species continentur in hoc versu: Præ,properè,lautè,nimis ardenter,studiosè.

¶ *De alijs quatuor speciebus Gulæ.*

POSSVNT etiam addi his quinq; speciebus aliæ quatuor species.Prima est,quum quis nimis frequenter sumit cibum.Sufficit homini sano sumere bis in die ad plus cibũ. Frequens autẽ sumptio cibi multùm nociua est,corpori:secundũ enim artẽ medicinalem,vna de deterioribus rebus est apponere cibũ super cibum indecoctũ.Alia species est,quando quis variis ferculis vult vti.De qua varietate dicit Seneca:Fastidientis stomachi est multa degustare,quæ vt varia sunt & diuersa inquinãt,non alũt.Sicut aliqua sunt,quę diuisa placent,coniuncta verò nobis abominabilia sunt: sic coniunctio tot diuersorũ ferculorum in stomacho interdũ est abominabilis naturæ. Tertia species est,quum quis noua requirit & inconsueta.Quarta,cum pretiosa vel sumptuosa,non habens etiam respectum ad hoc quòd sint magis saporosa.

De quatuor satellitibus quibus vtitur vitiũ Gulæ. PARS III.

DIcto de speciebus huius vitij, cõsequenter dicendum est de quibusdam satellitibus,quibus vtitur uitium istud:quæ quatuor sunt præcipuè.Primum est ambitio, de qua dicit Sapiens: Non magno nobis constat fames, sed ambitio. Maiorem partem eorum quæ expendunt superbi, faciunt ad pascendum oculos hominum. Sed si nullus hoc deberet scire, ipsi quandoque non expenderent decimam pertem eorum, quæ expendunt. Alia tria sunt,ciborum delectabilitas, siue sit ex generibus ciborum, siue ex modo præparandi,& ciborum varietas,& qualitas.

De octo remedijs contra vitium Gulæ. PAAS. IIII.

SEquitur de remedijs contra vitiũ istud, quæ octo sunt. ¶ Primum est sermo diuinus. Hoc remediũ docet nos Dominus Matth. 4. vbi dicit diabolo tentanti ipsum de vitio gulæ: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei:Et Greg. Frequens sumptio cibi spiritualis interdũ inducit contemptum & obliuionẽ cibi corporalis. ¶ Secundum remedium est moderata occupatio. Hoc remedium insinuat nobis Salomon in Prouerb.21. Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquã operari manus eius: tota die concupiscit & desiderat.Homo otiosus patitur famem vniuersalem. Aures enim eius esuriunt rumores,oculi vanitates,gula cibos:sed occupatio in magna parte sedat famem istam.Mallent autẽ specialiter hæc duo remedia,ad hoc ne homo horã præueniat,vel ne nimiam solicitudinem de cibo sibi præparãdo habeat. Tertiũ remedium est, elongatio ab his qui dant occasionem excedendi in cibo vel potu,sicut est delectabilitas, vel varietas, vel nimietas ciborum. Licet enim illud quod legitur Eccles. 21. Quasi à facie colubri fuge peccata:& si accesseris ad ea, suscipiẽt te:videatur generaliter dictum de omni peccato: specialiter tamen hoc referri potest ad illa peccata in quibus tentat suauitas vel voluptas.In illis enim in quibus aduersitas tentat, melius potest expectari conflictus: vnde non est securum accedere ad mensam,vbi nimia,vel varia,vel delicata sunt apposita homini, qui vult curari ab hoc vitio. Hoc insinuatur nobis Genes. 3. vbi sic legitur:Vidit mulier lignum quòd bonum esset ad vescendũ, & pulchrum oculis & delectabile aspectu,& tulit de fructu illius& comedit.Vnde dicit Gregorius: Non licet intueri quod non licet concupisci.Et Esa.28.loquens de flore glorię exultationis,di-

cit: Quòd cum aspexerit videns, statim vt manu tenuerit, deuorabit illud. Non est securũ intueri vel videre delectabilia. ¶ Quartum remedium est, frequenter considerare qualis post mortem caro sit futura. Hoc remedium docet nos Gregor. dicens: Nihil adeò valet ad domanda carnis desideria, sicut cogitare qualis sit futura mortua. ¶ Quintum remediũ est, æternæ cœnæ meditatio, ad quam inuitati sumus. Hoc remedium docuit nos Dominus, vbi nos ad cœnam illam inuitatos esse docuit. Aliter comedit ad cœnam delicatam inuitatus, & aliter non inuitatus. Qui enim inuitatus est, parum comedit in prandio ne cœnam amittat. Sed sunt quidam qui adeò similes sunt factiiumentis, quòd de siliquis porcorum hîc impleri desiderant, & de illa delicata cœna, & æterna non curant, cuius sola esuries hominem beatum reddit. Beati enim qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. quid faciet ipsa refectio, si esuries ipsa beatum reddit? ¶ Sextum remedium est, cõsideratio malorum quæ excessum cibi, & potus sequuntur. Sequitur enim inde triplex mors, scilicet mors culpæ: & interdum mors corporis in præsenti, & in futuro æterna mors, scilicet corporis & animæ. Ad hoc pertinet quod legitur Iob 6. Aut gustare quis poterit, quòd gustatum affert mortem? Cum magna mensura sumuntur medicamenta, sic & alimenta sumi debent, secundum Augustinum. ¶ Septimum remedium est, cõsideratio penuriæ Christi & in se, & in membris suis. Ad primũ monemur Thr. 3. Recordare paupertatis meæ & transgressionis, & absynthij, & fellis. Paupertas etiam ipsius in membris suis multũ deberet homines retrahere à superfluitate, quam faciunt in conuiuiis suis, quum cogitant quantã paupertatem sustinet Christus in pauperibus & infirmis ad mortem, qui vix possunt interdũ panem habere. Mirũ est quomodo sæpe non remordet cõscientia diuites huius seculi, quando cogitant, quòd ipsi subtrahunt ori Dei in pauperibus q̃ ponunt in ore diaboli. Pascunt enim filios diaboli, scilicet malos, & Dei filios fame ferire permittunt. ¶ Vltimum remedium est & summũ, Dei gratia. Vnde qui laborat hoc vitio, orationi debet instare, & Dei gratiam postulare, quæ ardorem huius vitij sedat. Vnde Ioan. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Et ad Hebr. 13. Optimum est gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Ad idem pertinet illud verbum Senecæ: Si vis, inquit, in perpetua voluptate esse, non voluptatibus adiiciendum est, sed cupiditatibus detrahendum. Cupiditatibus verò non detrahitur, nisi quum ros gratiæ infunditur.

TRA

TRACTATVS III.

De Luxuria.

De his quæ faciunt ad detestationem huius vitij PARS I. *quæ habet tria capitula.*

De ordine dicendorum in isto tractatus. Et de sex miseriis annexis peccato Luxuriæ. CAP. I.

HERODES autem Tetrarcha, &c. Quia peccatum Luxuriæ occasio fuit incarcerationis & decollationis Ioannis: Ideò hîc dicemus de peccato isto & satis cõgruo ordine post vitium gulæ, quia nascitur ex illo. Dicemus autem hoc ordine. ¶ Primò, dicemus de his quæ faciũt ad detestationẽ huius vitij. ¶ Secũdo, de speciebus eius. Tertiò, de his quæ præstãt occasionẽ huic peccato. ¶ Quartò, de remediis cõtra vitiũ istud. ¶ Quintò, quare Deus prohibuit simplicẽ fornicationẽ. Minus enim misericorditer videtur Deus egisse cũ genere humano in hac prohibitione, cũ propter hãc prohibitionẽ fere totus mũdus pereat. ¶ Sextò, tangemus aliquid de impotentia cõtinẽdi quã multi allegãt. ¶ Primò, autẽ faciũt ad detestationẽ huius vitij ista sex quæ circa hoc peccatũ inueniũtur, scilicet anxietas, pœnitẽtia, erubescentia, fœtor, fœditas, infamia. ¶ De anxietate & pœnitentia, dicit Hier. Appetitus fornicationis anxietas est, satietas pœnitẽtia. Nec solum præcedit illud peccatũ anxietas appetitus, imò & multæ aliæ molestiæ quas dominus spinas vocat. Osee 2. Dicẽs: Sepiã vias tuas spinis. Spinæ illæ sunt vigiliæ, timores, expensæ, & solicitudines hoc peccatũ præcedẽtes. Ber. O quãtæ præcedũt vigiliæ tã modicũ festũ. Sequitur: Interdũ extẽdũtur vigiliæ per annũ, & sequitur momẽtaneę delectationis fectũ. Tãta est insania luxuriosorũ, vt super spinas currãt ad mortẽ suã, & expẽsis multis parẽt sibi viã in infernũ. ¶ Ad pœnitentiã pertinet qđ legitur Pro. 5. de muliere fallace, per quã voluptas intelligitur. Nouissima autẽ illius amara quasi absynthiũ. Et quidã qui sibi abscidit linguã, vt vehemẽtia doloris tẽperaret vehemẽtia tẽtationis, dixit: Absit vt tãti emã, vnde postea pœnitẽã. Insipiens mercator est, qui forũ facit, vnde certũ est q̃ pœnitebit. Exẽplũ: Quædã virgo æstimãs qđ delectatio huius peccati quippiam magnum esset, desiderio illius virginitatem suam auferri permisit. Deinde videns quòd pro tam vili re tantum thesaurum amiserat, adeò pœnituit, quòd voluit se interficere. ¶ Erubescentiã verò, quæ est in hoc peccato, ostendit abscõsio. Vnde Iob 24. Oculus adulteri obseruat caliginem. Erubescentia autem osten-

dit indecentiam huius peccati. Erubescentia enim fuga est rei indecentis. Magna ergo erubescentia, quæ in peccato isto, ostendit magnam eius indecentiam. ¶Fœtor etiam est in hoc peccato qui à viris spiritualibus aliquãdo sentitur. Vnde quidam scholaris præsentiam scorti in domo sua fœtore eius cognoscebat. Et quidam Archidiaconus sentiebat, quum seruus eius fornicatus fuerat. Et de fœditate dicit Senec. In voluptate nihil est magnificum, nihil quod naturam Deo proximam deceat, membrorum vilium ac turpium ministerio veniens, exitu fœda. Ista fœditas est inquinatio corporis. Vnde super illud ad Corinth. 6. Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. dicit Glos. Cætera peccata tantum animam maculant, fornicatio verò non tantum animam, sed etiam corpus contaminat. Ibi enim nõ solum est immunditia spiritualis, sed etiam corporalis. ¶Est etiam infamia in peccato isto. Vnde macula gloriæ vocatur. Eccli. 47. Inclinasti femora tua mulieribus. Et pòst: Maculam dedisti in gloria tua. Hieronym. etiam dicit hoc peccato pollui quæ in homine honesta sunt. Palma, inquit, vitiorum est, honesta polluere: tunc vitia bene de aliquo triumphauerunt, quum per peccatum Luxuriæ honesta in eo polluerunt. Ad idem pertinet quod legitur Prouerb. 6. de adultero: Turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur. Non enim habebit opprobrium solùm in præsenti, imò etiã in futuro. Vnde de ipso Eccles. 22. In plateis ciuitatis vindicabitur, quasi pullus equinus fugabitur: & vbi nõ sperauit apprehẽdetur, & erit dedecus omnibus, quia nõ intellexit timorẽ domini. Luxuriosus quo dammodo iam habet gehennã suam. Habet enim ad modum gehennæ ignem, fœtorem, & vermem. Ignem concupiscentiæ. Vnde Oseæ 7. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente. Et fœtorem, de quo iam diximus, & etiam fœtorem infamiæ, & vermem remordentis conscientiæ.

Quòd quinque faciunt ad delectationem Luxuriæ. Et primò quòd luxuria angelis valde fœtet. CAP. II.

AD detestationem huius vitij faciunt etiã ista quinq; scilicet quòd vitium istud angelis valde fœtet vel displicet, dæmonibus valde placet, Deo est valde contumeliosum, proximo valde iniuriosum, subiecto suo valde nociuũ. ¶Primũ potest ostẽdi tripliciter. Primò, per hoc quod in Vitis patrũ legitur de angelo quodã, quòd obturauit nares ad aspectum cuiusdam luxuriosi. ¶Secundò, per hoc quod scriptum est: Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. Si filia regis Franciæ tradita esset alicui vt custodiret eã, nõ parum displiceret ei si in eius custodia fornicaretur. Quantũ ergo angelis displicere potest si filiæ regis cælestis, quibus ipsi ad custodiam deputati sunt fornicantur? Ideò dicit Bern. In quouis diuersorio, in quouis angulo, reuerentiam habe angelo tuo, nec audeas illo præsente quod me vidente non auderes. Ad idem potest referri quod dicit Apostolus 1. ad Corint. 11. scilicet quòd mulier debet habere caput velatum propter angelos. Tertiò, potest ostendi per hoc, quòd in isto peccato quædam cotumelia fit spirituali naturæ, quũ anima magis eligit iumentinæ naturæ assimilari, quàm in spiritualitate se seruare, & carnẽ sibi assimilare, à brutali delectatione eam cohibendo. Hoc autẽ non fit absq; cõtumelia angelicæ naturæ, quæ est spiritualis natura vt animæ: sicut non fit absq; dedecore aliorũ clericorũ, quando aliquis clericus apostatat, & fit laicus, malens similis esse rusticis quàm clericis. Ad istam tertiã rationem pertinet quod dicit glos. 1. ad. Corint. 6. super illud, Qui fornicatur, in corpus suum peccat. In hoc peccato est anima sub corpore. Itẽ dicit gl. In fornicationis opere sic totus homo absorbetur à carne, vt iã dici nõ possit ipse animus suus esse, sed simul totus homo possit dici caro.

¶ *Quòd peccatum Luxuriæ multum placeat dæmonibus.*

QVOD autem multùm placeat dæmonibus, primò ostendi potest per hoc quod legitur Iob 40. Behemoth in locis humẽtibus dormire. Loca humẽtia sunt Luxuriosi. Secũdò, per hoc quod dicit glos. super Lucã, quòd quum dæmones de omni peccato gaudeant, præcipuè tamẽ gaudẽt de fornicatione & idololatria. Et tangitur ibi causa quare de fornicatione ita gaudeãt: quia ibi corpus & anima maculantur. Tertiò, per hoc quòd diabolus poterit se iustificare comparatione fornicatorum coram Deo, quũ in eo nõ inuenietur peccatũ quod ipsi habebũt. Quartò, per hoc, quòd diabolus procurat vt in dormiendo habeat homo delectationẽ huius peccati. Quintò, per hoc quòd illis qui non habent materiã perpetrandi hoc peccatũ, ipse quãdoq; ministrat materiã: vt patet in dæmonibus incubis. Sextò, per hoc quòd in hoc peccato binos & binos lucratur diabolus homines, & vili foro etiã habet eos. Ad quod pertinet qd̃ legitur Pro. 6. Prætiũ scorti vix est vnius panis: mulier autem viri pretiosam animã rapit. Prætiũ scorti dicitur esse vix vnius panis: quia vnus panis diutius sedat ardorem appetitus, quàm delectatio illius peccati. Fatua autem mulier illo pretio dat animam suam diabolo, & corpus

locatori, pro quo non daret alicui sotulares suos &c.

¶ *Quòd peccatum Luxuriæ sit contumeliosum Deo.*

Est etiam istud peccatum valde cõtumeliosum Deo. Quod primò potest ostẽdi per hoc q̃ honorabiles personæ huius seculi tantũ dedecus reputant sibi quum filiæ corũ fornicantur: quantã ergo cõtumeliã faciũt filiæ cælestis regis patri suo quũ fornicantur? Secundo, per hoc quòd tantũ dedecus est spõsis nobilibus, quum sponsæ eorum adulterãtur. Ad hoc pertinet quod legitur Prou. 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquã precibus, nec suscipiet pro redẽptione dona plurima. & exponit hoc glo. de cælesti spõso. Tertiò, per hoc q̃ quũ vilissima pars quę in ipso fornicatore est, imperet ei quod dominus prohibet, ipse potius illi vili parti, quàm Deo obedit, potius eligẽs sibi eandẽ dominari quàm Deum. Quartò, per hoc q̃ tẽplum Dei violat & polluit. Ad quod pertinet quod legitur 1. ad Corint. 3. Nescitis quia tẽplũ Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autẽ tẽplũ Dei violauerit, disperdet illũ Deus. & pòst: Tẽplũ Dei sanctũ est, quod estis vos. & pòst 6. Nescitis quoniã corpora vestra sunt tẽplũ Spiritussancti qui in vobis est, quẽ habetis à Deo, & nõ estis vestri? vnde & sequitur: Empti estis pretio magno: glorificate & portate Deũ in corpore vestro. Glorificandus est Deus in corpore tanquã in tẽplo. Cõtra luxuriosos potest dici ps. iste: Deus, venerunt Gẽtes in hæreditatẽ tuã, polluerunt templũ sanctũ tuũ, posuerunt Hierusalẽ in pomorũ custodiã. Et super illud, Portate Deũ in corpore vestro: dicit gl. Si non parcis cibis propter te, vel parce tibi propter Deũ, qui sibi fecit te domũ pro se. Quintò potest ostẽdi quàm cõtumeliosum sit peccatũ istud Deo, ex hoc q̃ luxuriosus illud dulcius reputat quod Deo est cõtumeliosius. Magis enim amat interdũ coniugatã turpẽ quàm solutã pulchrã, vnde nõ videtur quærere in peccato suo voluptatem suam, sed Dei contumeliam. Vnde Hiero. Luxuriosa mens inhonesta ardẽtius prosequitur, & q̃d nõ licet, dulcius suspicatur. Sexiò, patet per hoc quod hoc peccatũ contumeliã Dei publicã negotiationẽ facit, & q̃d̃ purè est peccatũ publicũ officiũ efficit, q̃d̃ speciale est huic peccato & peccato vsurę: & ideò Ecclesia persequitur istã peccata præ cæteris. Septimò per hoc q̃ istud vitiũ præponit delectationẽ vilium & turpiũ membrorum deliciis quæ in Deo sunt, quæ contumelia valde magna est.

¶ *Quòd peccatum Luxuriæ sit iniuriosum proximo.*

Hoc etiã peccatum est valde iniuriosum proximo, quod tripliciter potest ostẽdi. Primo per hoc quòd aufert ei non sua, sed sei

ipsum. Vnde Prou. 6. Non grandis est culpa cùm quis furatus fuerit. Furatur enim vt esurientem impleat animã. Deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substãtiam domus suæ tradet, & liberabit se: qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suã: vnde mulier fatua non aufert tantũ sua stulto, sed seipsum. Nota quòd adulteriũ accidit propter cordis inopiã. Indignaretur enim cor si haberet vilissimę parti suę se subiici, & pro tam vili lenocinio se dari. vnde Eccles. In multa sapiẽtia multa est indignatio. Vel propter cordis inopiam, id est, sapiẽtiæ defectum. Secundò, potest ostendi per hoc quòd ille qui hoc vitio laborat, nulli fidem seruat. Vnde 2. Reg. 11. Dauid suum fidelem militem fecit occidi pro vxore eius. Ad idem pertinet quod legitur 2. Reg. 13. de Amon qui sororem suam Thamar corrupit. Tertiò, potest ostendi per hoc quòd vitium istud multis aufert hæreditatem suam. vnde legitur Eccle. 23. Mulier omnis relinquens virum suum, peccabit, statuẽs hæreditatẽ ex alieno matrimonio.

¶ *Quòd peccatum Luxuriæ sit nociuum proprio subiecto.*

Est etiam hoc vitium valde nociuum subiecto suo. Aufert enim pecuniam illi, aufert & bona temporalia & spiritualia, & etiam seipsum. Ad primũ pertinet quod legitur Pro. 29. Qui nutrit scortum, perdet substantiã. & Luc. 15. de filio prodigo qui dissipauit substantiã suã viuẽdo luxuriosè. propter bona verò omnia quæ destruxit, cõparatur igni. Vnde Iob 31. Ignis est vsque ad cõsumptionẽ deuorans, & omnia eradicans genimina. Hier. Flãmigero igne percutit fœmina cõscientiã, ad hoc quod ipsum hominẽ auferat sibi. Pertinet quod legitur Oseę 4. Fornicatio, vinũ, & ebrietas auferũt cor. Amãs amore fatuo nõ habet cor suũ. Ipsum etiã corpus quãdoq; amittit. Vnde 2. Reg. 13. interfectus est Amõ, quia corrupit Thamar. Hier. Quotidie sanguis mœchorum funditur, adulteria dãnantur. Honorem etiam aufert hoc vitium & incrementũ bonorũ. Vnde Gen. pen. Ruben primogenitus meus. & subiungitur: Prior in donis, maior imperio: supple debueras esse. Sed sequitur: Non crescas, quia maculasti cubile patris tui, &c. Præ cæteris iure debebatur ei honor primogenituræ & duplicitas in possessionibus, quod amisit, quia cubile patris maculauit.

De aliis quatuor quæ faciunt ad detestationem huius vitij. Et primò quod est multum efficax ad hominem capiendum. CAP. III.

IN huius peccati detestationem faciunt etiam alia quatuor, scilicet hoc, quòd vitium istud multum efficax est ad hominem capiendum, & multum potens ad detinendum hominem, & etiam ponit in magna vilitate & in misera seruitute. Ad primũ

perti

pertinet quod dicit Aug. Efficaciſsimum glutinũ ad capiẽdas aĩmas eſt mulier. Et prou. 6. de muliere mala: Multos vulneratos deiecit: & fortiſsimi quique interfecti ſũt ab ea. Ad idẽ facit quod legitur Num. 24. quòd hoc peccatum præ cæteris elegit Balaam, quo deiiceret filios Iraël, & faceret eos peccare. Hoc vitium capit nobiles & ignobiles. vnde Hier. In ſerico & in pãnis eadẽ libido dominatur, nec regum purpuras, nec mendicantiũ ſqualloreẽ ſpernit. Hoc vitiũ vincit & ſapiẽtes & inſipiẽtes. vnde Hier. Quid Salomone ſapientius? & tamẽ infatuatus eſt amore mulierũ. Eccle. 19. Vinum & mulieres apoſtatare faciũt etiam ſapiẽtes. Breuiter iſtud peccatũ ferè totũ mundũ ad infernũ trahit: vnde Abac. 1. Totum in hamo ſuo ſubleuauit, totum traxit in ſagena ſua, & cõgregauit in reti ſuo. Hamus, & ſagena, & rete diaboli, ſunt pulchræ mulieres, quæ totum mundum in perditionem trahunt.

¶ Quòd Luxuria eſt potens ad retinendum.

POTENS eſt etiam hoc peccatum ad retinendũ. Vnde Prou. 22. Fouea profunda os alienæ: cui iratus eſt dominus, incidet in eam: qui in profundã foueã cadit, nõ exit de facili: ſic nõ de facili euadit de manibus diaboli qui capitur pulchritudine alicuius mulieris. Ideo dicitur de ore mulieris, quòd ſit profũda fouea, potius quã de alio mẽbro: quia pulchritudo huius mẽbri multos capit: qui hoc vitio laborat, vix poteſt cogitare de his quę pertinẽt ad ſaluteẽ ſuã, Deũ quaſi nõ cognoſcit, ad cælũ etiã non leuat oculos: adeò brutalis factus eſt, quòd verba correctionis vel admonitionis ſuæ non poteſt audire. Ad duo prima pertinet quod legitur Oſee 5. Nõ dabũt cogitationes ſuas vt reuertãtur ad dominũ: quia ſpiritus fornicationis in medio eorũ, & dominũ nõ cognouerũt. ¶ Ad tertiũ facit ꝙ legitur Dan. 13. de ſenibus qui exarſerũt in Suſannã, & declinauerunt oculos ſuos vt nõ viderẽt cælũ, nec recordarentur iudiciorum iuſtorũ. ¶ Ad quartũ pertinet quod legitur Eccl. 21. Verbũ ſapiẽs quodcũq; audierit ſcius laudabit, & adiiciet, audiet luxurioſus, & diſplicebit ſibi, & proiiciet illud poſt tergũ ſuum. Vix ergo emendatur aliquis de peccato iſto, quum ea fugat quæ poſſunt eſſe occaſio ſuæ liberationis.

¶ Quòd luxuria ponit hominem in magna vilitate.

PONIT etiam hoc vitiũ hominẽ in magna vilitate, ad quã vilitateẽ & turpitudineẽ exprimẽdã, quaſi turpiter loquitur ſcriptura de vitio iſto. vnde Ioel. 1. Computi ſunt iumenta in ſtercore ſuo. Greg. Iumenta in ſtercore ſuo cõputreſcere, eſt homines in fœtore Luxuriæ vitã finire. In Pſal. Diſperierunt in Endor, facti ſunt ſicut ſtercus terræ. Endor, interpretatur fons generationis. vnde Endor

Endor pars illa intelligitur quæ operi carnali & generationi deſeruit. Propter hanc vtilitatem cõparatur ſui. Prou. 11. Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra & fatua. Sus ſi ex vna parte videret volutabrũ, & ex alia parte lectũ roſeũ, prius curreret ad volutabrũ. Sic tales immunditiã luxurię, delitiis paradiſi præponũt. Licet diabolus intelligi poſſet ſus iſta, & mulier ipſe circulus quẽ diabolus immergit in lutum omnis immunditiæ. Ad eandem vilitatẽ pertinet quod legitur Eccl. 9. Omnis mulier quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via ab omnib⁹ prætereũtibus cõculcabitur.

¶ Quòd luxuria ponit hominem in miſera ſeruitute.

IN miſera etiã ſeruitute ponit hominem vitiũ illud, non ſolũ, quia facit ſpiritũ ſeruũ eius qui ſibi naturaliter deberet ſeruire, ſi licet corporis ſui, ſed etiã viliſſimæ parti illius. Sed etiã propter ſeruitutẽ mulierũ quæ eſt valde miſera. Vnde Tul. illũ ego nõ liberũ dicã, cui mulier imperat, leges imponit: vocat, veniendũ eſt: eiicit, abeundũ eſt: poſcit, dandum eſt: minatur, extimeſcendũ eſt. Hũc ergo nõ tantũmodo ſeruũ, ſed nequiſſimũ ſeruũ ego iudico. Hie. Nihil vili⁹ q̃ à carne vinci: nil glorioſius quã carnẽ vincere.

¶ Luxuria videtur eſſe de numero peccatorum illorum de quibus dæmones erubeſcunt.

PRAETEREA Luxuria videtur eſſe de numero peccatorum illorum de quibus etiã erubeſcunt dæmones. Vnde gl. ſuper illud Ezech. 16. Dabo te in animas odientium te filiarũ Palæſtinarum, quæ erubeſcunt in via tua ſcelerata. dicit gl. loquens de ſpirituali Hieruſalem: Tanta miſeriæ Hieruſalẽ erit correctio, vt erubeſcãt etiã dæmones noſtrorũ magnitudinẽ peccatorũ. Cuius ratio eſſe poteſt hæc: peccatũ diaboli, eſt, ſuperbia: hominũ verò, luxuria, & alia carnalia peccata. Luxuria verò videtur eſſe turpior ſuperbia, quæ quia minus turpis creditur, minus vitatur. Luxuriã eò magis erubeſcũt homines, quia omnes turpẽ nouerũt. Præterea dicũt Magiſtri ꝙ ſunt aliqui dæmones qui memores ſuę antiquæ nobilitatis, nõ dignãtur de luxuria tentare. Signũ ad hoc eſt, quòd Lucifer tentans dominum in deſerto, non tentauit eum de luxuria.

De ſpeciebus luxuriæ. PARS II. *quæ habet decem capitula.*

De Luxuria cordis & corporis. CAP I.

SEquitur de ſpeciebus luxuriæ. Diuiditur autem Luxuria, vno modo in duas ſpecies, ſcilicet in luxuriã cordis, & luxuriã corporis. Ad has duas ſpecies pertinet quod legitur in Pſal. Vre renes meos, & cor meum. Cõtra primã ſpeciem eſt neceſſarium vt ad mãmillas zona aurea ſimus præcincti, ſecũdũ ꝙ vidit Ioãnes Apo. 1. Cõtra ſecundã oportet nos præcinctos eſſe ad renes, ſecundum

viſio

visionẽ, Ezec. 9. & Dan. 10. Leuaui oculos meos, & vidi, & ecce vir vnus vestitus lineis & renes eius accincti auro obrizo. Incontinentia verò cordis valde periculosa est propter hoc quòd ille qui laborat hac specie incontinentiæ, peccat mortaliter toties quoties videt pulchram mulierem. Ideo dicitur sagena eorum cor mulieris fatuæ. Eccl. 7. Inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius. Sagena totam aquam occupat: sic corde fornicatur cum omnibus fatua mulier.

De acceptione huius nominis Luxuria, & quòd enumerãtur quinque species secundum vtranque acceptionem. CAP. II.

ALio modo diuiditur Luxuria in quinque species. Notandum tamen est quòd hoc nomen Luxuria quãdoque sumitur largius, quandoque minus largè. ¶ Primo modo Luxuria dicitur inordinatus amor delectationis, quæ secundũ tactũ est: sicut vitium Gulæ est inordinatus amor delectationis quæ est secundũ gustũ: & cupiditas inordinatus amor pecuniæ: & secundũ hoc potest diuidi Luxuria in quinque species. ¶ Quarũ prima pertinet ad suauitatẽ vestiũ & lectorũ. ¶ Secũda, ad suauitatẽ vnctionũ qua antiqui vtebãtur. ¶ Tertia, ad suauitatem balneorum. ¶ Quarta, ad tactus immundos illor membrorum quæ generationi non deseruiunt. ¶ Quinta pertinet & ad mẽbra generationi deputata. ¶ Et istæ species luxuriæ vocantur Luxuria, secundũ quod hoc nomen Luxuria strictè sumitur. Et diuiditur in quinque species. ¶ Prima, est simplex fornicatio. ¶ Secunda, stuprũ, quod est illicita defloratio virginũ. ¶ Tertia, est adulteriũ, qđ est ad alterius thorũ accessio. ¶ Quarta est incestus, qui est consanguinearũ vel affiniũ abusus. Sub qua specie cõprehendi possunt peccata sanctimonialium & etiã religiosorũ. ¶ Quinta est, peccatũ cõtra naturã, qđ fit duobus modis: quãdoque enim est, contra naturã quo ad modũ, vt cũ mulier supergreditur, vel cũ fit bestiali modo illud opus, tamen in vase debito: quãdoque verò est cõtra naturã quantũ ad substãtiã, vt cùm quis procurat vel cõsentit, vt semen alibi quàm in loco ad hoc deputãto effundatur. De quo vitio cum magna cautela loquendũ est in prędicando, & interrogationes in cõfessionibus faciẽdo, vt nihil hominibus reueletur quod illis præstet occasionẽ peccandi. Et nota qꝫ diabolus dicitur habere duas manus, quibus frequẽter homines capit, scilicet Gulã & Luxuriã. De quibus exponitur illud Psal. Cõsiderat peccator iustum: scilicet diabolus, & quærit mortificare eum: dominus autem non derelinquet eum in manibus eius. Quinque digiti in prima manu, sunt quinq; species Gulæ, quæ notantur in hoc versic. Præproperè, lautè, nimis, ardent

ardenter, studiosè. Quinque digiti in secunda manu, sunt quinque species dictæ.

De peccato cõtra natura, cuius magnitudo octo modis ostẽditur. CAP. III.

INter quas primo prosequemur de vitio contra naturam. Magnitudo huius peccati potest ostendi octo modis. ¶ Primò, illis testimoniis scripturæ quæ hoc vitium asserunt maximum, vel nimium. Quale est illud quod dicitur Gene. 14. Homines autẽ Sodomitæ erant pessimi, & peccatores coram Deo nimis. Et 18. dicit dominus: Clamor Sodomorũ & Gomorrhęorũ multiplicatus est: peccatũ eorũ aggrauatũ est nimis: descendã & videbo, &c. Greg. Nouitas tantæ & inauditæ turpitudinis quasi admirationẽ & dubitationem parit in audiente. Vnde dominus quasi admirans & dubitans, super tanto scelere, introducitur loquens: Descendam & videbo, &c. Incredibile enim mihi videtur homines tantũ flagitium perpetrasse. Et nota quòd de duobus peccatis, scilicet de homicidio & de vitio contra naturam, legitur clamor ascendisse ad dominum: quia laborantes his duobus viriis specialiter hostes Dei sunt & generis humani. Facto enim etsi non verbo, dicunt ei: Masculum & fœminam creasti vt multiplicarentur, nos operam dabimus vt minuantur. Vnde quasi parificatur homicidio vitium istud. Ad istum etiam primum modũ pertinet quod legitur de Ioseph Gen. 37. Accusauítque fratres suos apud patrem suum crimine pessimo, id est, de vitio cõtra naturã secundũ vnam expositionem. Ad eundem modum pertinet illud verbum Aug. Adulterij malum fornicationẽ vincit, vincitur ab incestu: peius enim est cum matre, quã cum aliena vxore dormire. Sed omnium horum pessimum est quod contra naturam fit: vt si vir membro mulieris non ad hoc concesso vratur hoc execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in vxore. Vnde & Clemens papa: Grauissimè peccant fornicasij: id est, valde grauiter: grauius adulteri: cunctis his grauius incestuosi: quos omnes transcendunt contra naturã delinquentes. ¶ Secundò, potest ostendi magnitudo huius peccati per vindictam iam sumptũ à domino de peccato isto. Prima autem vindicta huius peccati fuit diluuiũ. Inter alias causas enim diluuij ponit hoc Methodius, quòd mulieres in vesaniam versæ, supergressæ viris abutebantur, & quòd exarserant homines in alterutrum coëuntes. Secũda fuit subuersio quinque ciuitatum. In qua vindicta attendendum est, quòd Dominus nõ solùm nocẽtes puniri voluit, sed innocentes paruulos etiam vnius diei. In hoc prouisum est pueris ne diutius viuentes sequerentur exempla patrum, & grauius damnarentur. Et etiam circumiacentes regiones

puniri

puniri voluit: nec solũ etiã homines, imò etiam animalia & terrę nascentia. Ipsam quoque terram destruxit, eã conuertẽdo in mare mortuũ in quo nihil viuit, nec auis, nec piscis. Etiã cãdela viua supernatans extincta mergitur, quasi igne infernali sumpta est ista vindicta. Nec potuit expectare ignis iste, donec cætera peccata punirentur. Vnde Grego. Gehennalis flamma moram non sustinens, Sodomorum præuenit tollere nationẽ, & ipsam terram tantæ confusionis cõsciẽtia consumpsit ignis sulphureus & spiritus procellarum, & in lacum horribilem solum omne redactum est. Et Genes. 19. Dominus pluit super Sodomam & Gomorram ignem & sulphur de cælo, & subuertit ciuitates has, & omnem circà regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia. Respiciens etiam vxor Loth post se, versa est in statuam salis, ad ostendendum quantum displiceat Deo memoria huius peccati. Tertia vindicta fuit de Onan, de quo legitur Genesis 38. quòd semen fundebat in terram, & idcirco percussit eum dominus, eò quòd rem detestabilem faceret. ¶ Tertiò potest ostendi magnitudo huius vitij per pœnam huic peccato taxatam. Vnde Leuit. 20. Qui dormierit cum masculo fœmineo coitu, vterque operatus est nefas: morte moriantur, sanguis eorum super eos. ¶ Quartò, per comminationem quam facit Deus huic peccato. Vnde Ioël. 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eos in vallem Iosaphat, & disceptabo ibi cum eis. Et subiungitur causa vna disceptationis: quia posuerunt puerum in prostibulo. Quintò, potest ostendi per hoc quòd Scriptura ita detestabiliter loquitur de peccato isto. Vnde ad Roman. 1. Masculi in masculos turpitudinem operantes. Non dicit aliquod turpe, sed ipsam turpitudinem vocat peccatum istud. Et ibidem: Vt cõtumeliis afficerent corpora sua, &c. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Et Leuit. 18. Cum masculo non cõmiscearis coitu fœmineo, quia abominatio est. Et Symmachus dicit, quòd ineffabile est, & non debet homo loqui de peccato isto. ¶ Sextò quòd multi antiqui inueniuntur non reputasse adulterium vel stuprum respectu huius peccati. Gene. 19. dicit Loth Sodomitis: Nolite, quæso, fratres mei, nolite hoc malum facere: habeo duas filias quæ nondum cognouerunt virum, educam eas ad vos, & abutimini eis. Et Iud. 18. Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam: educam eas ad vos, vt humilietis eas, & vestrã libidinem impleatis: tantum hoc obsecro, vt scelus hoc contra naturam non operemini in virum. ¶ Septimò, potest ostendi magnitudo huius vitij, per hoc quòd illud peccatum est adinuentio. Deus enim mult

multũ odit adinuentiones in peccatis. Vnde super illud Esa. Visitabo super fructũ adinuentionũ vestrarum: dicit Greg. Deus plus punit studia peccatorũ, quàm peccata. Et in Psal. Ibunt in adinuentionibus suis. Item, Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis. ¶ Octauo potest ostendi magnitudo huius vitij per multiplicem effectũ ipsius. Hoc vitiũ fœdus inter nos & Deum rumpit. Genus humanum quantũ in se est, destruit, hominẽ iumento inferiorẽ reddit. Propter hoc vitiũ filius Dei desiit incarnari, vt dicit authoritas. Ad primũ pertinet quod dicit Aug. Hoc vitio violatur societas quæ nobis cum Deo esse dicitur dũ natura, cuius ipse author est, peruersitate libidinis polluitur. Sicut aliquis quum alius deterioratus sibi rem suam, dicit, Vestra sit. Sic Deus illum quem ipse fecit hominẽ masculũ, quum videt quòd ipse fecerit se fœminam, non reputat creaturam suam. Secundũ vero planum est. Tertium verò potest ostendi per hoc, ꝙ ille qui peccat peccato isto, non obseruat legem, quã etiã bruta animalia obseruant. Aliæ species luxuriæ iumento assimilant hominẽ, sed hæc inferiorẽ reddit. Ideóque Sodoma bene muta interpretatur: quia hoc peccatum reddet homines mutos in die Iudicij. Nõ poterunt enim excusare se per ignorantiam, quum ipsa natura legem docuerit ipsa bruta animalia, quam isti transgrediuntur.

De incestu, cuius peccati magnitudo quatuor modis ostenditur.

CAPVT IIII.

SEquitur de incestu, cuius peccati magnitudo potest ostendi. ¶ Primò per pœnam taxatam huic peccato in lege. Postquam enim dominus prohibuit incestum & peccatum contra naturã, Leui. 18. subiungitur: Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui. Et eiusdem 30. taxatur pœna eadem huic peccato. ¶ Secundo potest ostendi per hoc, ꝙ Apostolus tradidit Satanæ cruciandum illum fornicatorem, qui cum nouerca sua peccauerat: secundum quod legitur 1. ad Cor. 5. ¶ Tertiò potest idem ostendi per mala quæ ex hoc peccato sequuntur. vnde legitur 2. Reg. 12. ꝙ Amon qui sororẽ suam corruperat, interfectus est à fratre suo Absalon. Nisi homines ab hoc peccato cauerent sibi, sequerentur inde non solum odia & homicidia, sed etiam fratricidia. ¶ Quartò potest ostẽdi per hoc quòd peccatum istud hominem quasi canem reddit. Canis enim in opere illo non obseruat consanguinitatem.

De Adulterio & speciebus eius, cuius magnitudo in septem ostenditur.

CAPVT V.

SEquitur de adulterio: quod diuiditur in duas species: scilicet

in simplex adulterium, quod est cum vxoratus peccat cum solu-
ta, & econuerso. Et in adulterium duplex, quod est cum vxoratus
peccat cum vxore alterius. ¶ Septem autem sunt per quæ potest
ostendi magnitudo huius peccati. ¶ Primò per hoc, q̃ est contra-
rium sacramento matrimonij quod ipse Deus instituit & in pa-
radiso, & in statu innocentiæ. Vnde non fit contumelia tanto sa-
cramento absque magna contumelia Dei. ¶ Secundò per hoc, q̃
est contrarium iuri naturali. Vnum enim ex præceptis iuris na-
turalis est hoc, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris. Hoc nullo
modo vellet aliquis sibi fieri, vt quis cũ vxore sua peccaret. Multi
sunt qui potius permitterent se interfici, vel exhæredari, quàm
hoc sustinerẽt. Ius ergo naturale dicit homini, q̃ hoc nullo mo-
do debeat facere alij, quod ab eo odit sibi fieri. ¶ Tertiò potest o-
stẽdi per hoc, q̃ prohibitio adulterij in Decalogo immediatè po-
nitur post prohibitionem homicidij, & ante prohibitionem fur-
ti, vnde Clemens papa: Quid in omnibus peccatis adulterio gra-
uius? Secundum enim in pœnis tenet locum: id est, in prohibitio-
nibus. Homicidio quodammodo assimilatur adulterium. Cum
enim vir & mulier sint vna caro: qui aufert vxorem suam alicui,
idem est acsi seipsum ei auferret. Exuperat autem istud peccatũ
omne furtum: quia quod aufertur, cũ sit creatura rationalis, me-
lius est quacunque terrena substantia. ¶ Quartò potest idẽ ostẽ-
di per legem quæ habetur Leui. 10. Vbi sic dicitur: Si mœchatus
quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cum
vxore proximi sui, morte moriatur: moriatur & mœchus & adul
tera. Eadem pœna punitur hoc peccatum secundum leges mũ-
danas, nec recipitur aliqua redẽptio. ¶ Quintò ostenditur idem
per hoc quòd legitur dominus dixisse Dauid cum adulterans es-
set, 2. Reg. 12. Nõ recedet, ait, gladius de domo tua, vsque in sẽ-
piternum, eò quòd despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ He-
thæi. ¶ Sextò potest ostendi per mala quæ inde sequũtur. Sequũ-
tur autem ex hoc peccato exhæredationes filiorum. Vnde Eccle.
22. Mulier relinquens virum suum peccabit, statuens hæreditatẽ
ex alieno matrimonio. Sequuntur etiam inde homicidia. Vnde
Dauid cùm in adulterium cecidisset, fecit interfici fidelem mili-
tem suum. Sequitur etiam inde multoties, vt scilicet quis cogno-
scat filiam patris sui, vel eius vxorem, ignorans quis sit pater eius.
Septimò potest ostendi magnitudo huius peccati per iudiciũ ze-
lotypiæ, de quo Num. 5. Si declinasti à viro tuo atque polluta es,
& concubuisti cum altero viro, his maledictionibus subiacebis.
Det te dominus in maledictionem exemplúmque cunctorum in

pop

populo. Putrefacere faciat femur tuum, & tumens vterus tuus di-
rumpatur &c. & Ezech. 33. Vnusquisque vxorem proximi sui pol-
luit: & hæreditate terram possidebitis.

De Stupro, cuius peccati magnitudo ostenditur. CAP. VI.

SEquitur de Stupro, quod est illicita defloratio virginum. Cu-
ius peccati magnitudo ostendi potest. ¶ Primò ex hoc q̃ Si-
chen filius Emor, qui Dinam filiam Iacob defloraut, interfectus
est hac de causa cum patre suo & toto populo vrbis suæ: vt legitur
Gen. 34. ¶ Secundò potest idem ostendi per hoc quòd idem pec-
catum aufert virginitatem, cui debetur fructus centesimus: cùm
cõiugatis debeatur solum tricesimus, viduis solum sexagesimus.
Satis deteriorat terram, qui facit vt non possit reddere nisi sexa-
gesimum fructum, vel tricesimum, cùm prius redderet centesi-
mum. Qui illicitè deflorataliquam, aliquando est occasio mille
fornicationum, quas ipsa faciet postea. Sicut ille qui primò rum-
pit clausurã vineæ, occasio est illius damni quod faciunt qui po-
stea intrant, qui aliter non intrassent. Et aufert ei quandoque, q̃
nunquam de cætero maritum habebit. Ad detestationem etiam
huius peccati facit quòd bonum quod ipse aufert, scilicet virgi-
nitatis bonum, est irrecuperabile & irrecompensabile. Votũ vir-
ginitatis non recipit dispensationem, quia nec recompensationẽ.

De simplici Fornicatione. CAP VII.

AD simplicis fornicationis detestationem sufficere possunt
quæ dicta sunt de luxuria generaliter. Addere tamen hoc
possumus, quòd hoc peccatũ est detestabilius etiã homicidio, vel
rapina, in hoc quòd illa nõ sunt substantialiter mala: potest enim
aliquis velle occidere aliquem meritoriè, sicut iudex amore iu-
stitiæ. Et aliquis potest accipere alienum in summa necessitate:
sed nullus potest fornicari scienter, quin mortaliter peccet. Po-
namus quòd aliquis malum non cogitauerit, nec dixerit, nec fe-
cerit, & omnia egerit bona quæ excogitari possunt, & semel tan-
tum fornicatur, & sic decedit absque pœnitentia, ex necessitate
damnabitur. Si omnes missæ quæ vsque ad finẽ mundi celebra-
bũtur ab ecclesia pro eo celebrarẽtur, non liberarẽt eum à mor-
te æterna. Ad detestationẽ etiam istius peccati facit quod legitur
Numer. 25. quòd cùm esset fornicatus populus Israël cum filia-
bus Moab: iussit dominus cunctos principes populi suspendi in
patibulis contra solem. Et occisi sunt de populo xxiiij. milia ho-
minum. Et Phinees, qui interfecit Zambri coëuntem cũ Madiani-
tide, sacerdotiũ sempiternũ meruit, & iram Dei à populo diuer-
sit. Et licet fornicatio genus sit omnis illiciti coitus, qui fit extra

Universidad de Deusto
Biblioteca
Bibliotheca Facultatis Philosophiae Provinciae Cast. Orientalis SI

vxorem: tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum.

¶ De peccato meretricum.

Ad detestationē huius fornicationis quæ fit cū meretricibus, facit hoc, q̄ quādo aliquis se credit cum talibus peccare simplici fornicatione, ipse quādoque cōmisit adulteriū vel incæstum. Sepe enim tales mulieres cōiugatæ sunt, & forsitā à cōsanguineis eius qui peccāt cū eis cognitę. Vnde cōmittit se, qui cū talibus peccat, magno discrimini. Et licet nō sint cōiugatæ vel affines ei, ipsę tamē æquè peccāt acsi forēt: ex quo æqualis est cōtēptus. Ad detestationē verò illi⁹ fornicationis quę fit cū viduis, facit hoc q̄ peccās cū talibus aufert eis honorē. Ad detestationē verò eius quæ fit cū cōcubina, facit hoc, q̄ talis fornicatio fit cū scādalo proximi.

¶ De raptu.

Est autē alia species luxuriæ præter prędictas, quę Raptus dicitur. Est autē raptus, cū puella violēter à domo patris educitur, vt corrupta in vxorem habeatur, siue puellæ, siue parentibus vis illata cōstiterit. Hoc peccatum tantum est, quòd morte punitur.

De alia diuisione Luxuriæ. Et primo de Luxuria Clericorū. CAP. VIII.

Tertio modo potest diuidi peccatum Luxuriæ secundum diuersitatem subiectorū in quibus est, vt diuidatur in luxuriā laicorum, clericorū & religiosarū personarū. ¶ De luxuria verò laicorū nihil aliud dicemus quā de luxuria in genere dictum sit. Sed de aliis duabus speciebus dicemus, quia grauius est peccatū illud in clericis religiosis personis: & aliter pōderādum est in eis, quā in laicis. Vnde pondus sanctuarij maius erat cæteris pōderibus mercatorum & ciuium, ad designādum, q̄ aliter pōderanda sunt peccata laicorum & peccata eorum qui sancti deberent esse, quibus dicitur in Esa. Mundamini qui fertis vasa domini.

¶ Quæ aggrauant peccatum carnis in clericis.

Septem autē sunt quæ aggrauāt peccatum carnis in clericis in sacris ordinibus cōstitutis. ¶ Primum est, voti fractio, & est ista circunstātia valde aggrauās peccatū, q̄ satis apparebit, si aliquis attēdat quā pretiosum sit quod talis aufert Deo, & q̄ res sancta sit. Hæ duæ circunstātiæ aggrauare solēt peccatū rapinę: pretiositas rei quæ rapitur, quia magis dānificatur proximus: & sanctitas ipsius, quia tūc nō est solùm furtum, imò etiā sacrilegium. Castitas verò qua iste promisit Deo cum sacros ordines suscepit, quā Deo aufert cū fornicatur, res irrecōpēsabilis est. Vnde Eccl. 26. Omnis pōderatio nō est digna animæ cōtinētis. Res etiā sancta est, cū sit Deo oblata. Vnde cōtrectatio eius inuito domino facta

cta est sacrilegiū. ¶ Secundū est scādalum & derisio populi. Vnde Hier. Clericus aut honestior est cęteris, aut aliis est fabula. ¶ Tertiū est sciētia. vnde Gre. Vbi maius est sciētiæ donum, trāsgressor maiori subiacet culpæ. ¶ Quartum est hoc, quod ad seruitiū Dei assumpti sunt. Sicut enim qui fornicatur in ecclesia, magis peccat quā qui fornicatur in domo cōmuni, eo q̄ ecclesia sit Dei seruitio deputata: sic maius est peccatū luxurię in clericis qui sunt Dei seruitio deputati, quā in laicis. ¶ Quintū est, q̄ ipsi sunt de familia Dei, & eius expēsis viuunt, & vestiūtur: proditores enim sunt quādo illū impugnāt, de cuius bonis viuunt & vestiuntur. Et Dei contumelia etiā maior est: quia à suis contēnitur. vnde in Psal. Si inimicus meus maledixisset mihi &c. ¶ Sextū est hoc, q̄ ipsi deciunt populum qui dat eis eleemosynas, vt ipsius peccata deleāt orādo, & gratiā impetrēt sanctitatē vitæ suæ: quod ipsi nō faciūt, quia secundū Greg. cū indignus ad intercedēdum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Ber. Qui ambulāt in carne, Deo placere non possunt, & placere velle præsumunt. ¶ Septimū est, dignitas officij ad quod ordinati sunt, quòd specialiter pertinet ad sacerdotes. Sicut enim grauiter peccaret qui calicē benedictū in lutum proiiceret, vel aliter macularet, eò q̄ ad continendum Dominicū sanguinē sit deputatus: sic sacerdos valde peccat grauiter, qui ad suscipiēdum Dominicū corpus & sanguinē ordinatus est, quādo peccato carnis se maculat. Et sicut etiā ille grauius peccaret, qui in calice inquinato manēte immūditia in eo sanguinē domini poneret: sic valde grauiter peccat ille qui fœtore luxuriæ inquinatus antequā ab immunditia illa se abluerit, corpus & sanguinē domini sumere præsumit. De quo Amb. Qui indignè Christū sumit, idē est acsi interficiat. & Aug. super illud ad Hebr. 10. Irritā quis faciens legem Moysi, sine vlla miserationē duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei cōculcauerit? Conculcat Christum qui liberè peccat, & absque timore, & qui eo indignè participat.

¶ Quòd peccatum Luxuriæ valde indecens sit in sacerdote.

Nota quòd peccatum Luxuriæ valde indecens est in sacerdote. Et hoc quinque de causis. Et quia homo, & quia Dei minister, & quia angelus, & quia plusquam angelus in aliquo, & quia videtur Deus, vicem enim Dei tenet. Ad primum enim facit illud Senecæ: Voluptas nihil habet magnificum, nihil quod naturam Deo proximam deceat ministerio membrorum vilium ac turpium veniens. Appetitus fornicantis est brutalis concupi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

scentia brutorum viso delectabili tam citò accenditur, & non habet in potestate sua vt eam temperet vel extinguat. Sic fornicator vult appetitum suum implere quantumcunque malum inde sibi accidere debeat. ¶ Ad secundū nota, quòd si diuites huius seculi tantum amant munditiam in eis qui sibi seruiunt cibum præparando, quid ille de quo legitur in Cant. Qui pascitur inter lilia: id est, puritate delectatur? Augu. Melius est spiritualia penitus omitti, quàm impurè tractari, vel tangi. In ecclesiasticis officiis dominus non frequentiam ministrorum, sed deuotionem probat animorum. Ad tertium pertinet quod legitur in Malach. 3. cap. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia angelus domini exercituum est: plus est etiam quàm angelus, quantum ad dignitatem sacerdotalem, quā non credimus angelis esse concessam. Non enim si proferret angelus verba illa, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: fieret transsubstantiatio: quia non habet ordinem qui ad hoc exigitur. Nec angelis legimus dictum esse, Quorum remiseritis peccata remissa sunt: vt legitur discipulis dictum Ioan. pen. Hoc tamen verbum sanè intelligendum est. ¶ Est etiam vt Deus. Vnde super illud Matt. 16. Vos autem quem me esse dicitis? dicit glo. interli. vos ab aliis discreti non homines, sed dij. Et in Leuit. Diis non detrahes: & principi populi tui non maledices. Et quale est hoc, quod ille amat vt porcus qui est vt Deus.

De peccato carnis in personis religiosis, cuius magnitudo peccati sex modis probatur. CAP. IX.

COnsequenter ostendendum est quomodo aggrauetur peccatum carnis in religiosis personis. Et primò ostendemus hoc generaliter in quibuscunque religiosis personis, deinde specialiter in sanctimonialibus. Et nota quòd septem circunstantiæ aggrauantes peccatum clericorum qui sunt in sacris ordinibus constituti, possunt similiter ad peccata religiosarum personarū referri. Sed causa breuitatis de hoc ad præsens dimittimus. ¶ Sex autem sunt per quæ ostendi potest quātum aggrauetur hoc peccatum in religiosis. ¶ Primum est hoc, quòd Moyses narrat Gen. 6. tāquam causam diluuij: Cùm cœpissent, inquit, homines multiplicari super terram, & filios procreassent: videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt vxores sibi ex omnibus quas elegerant. Si enim displicuit tantum Deo quòd filij Dei filias hominum in vxores acceperunt, quantum credendum est displicere Deo cùm filij Dei cum filiabus hominum fornicantur? ¶ Secūdum est, quòd cœtus religiosorum nobilior pars

pars est in corpore Christi, scilicet ecclesia: vnde per faciem intelligitur, & ideò sponsō Ecclesiæ maximè displicet macula in eis: vnde ipse dicit in Can. sponsæ: Ostende mihi faciem tuam. Qui magnam alicui vult facere contumeliam, maculat ei faciem. Vnde Iudæi in faciem Christi exptuerunt, vt contumelia maior esset. Sic Christo cōtumeliam magnam faciunt, qui faciē sponsæ, pro qua abluenda faciē propriam sputis Iudæorū expositi, maculant vel in se vel in aliis. ¶ Tertium est hoc, q̄ peccatum carnis in religiosis apostasia est. Si enim qui habitum religionis deserit, apostata iudicatur: cum castitas magis substantialis sit religioni quàm habitus qui castitatem deserit, apostata est. Vnde de tali verum est, quod legitur Prouer. 6. Homo apostata vir inutilis. Nec quantū ad Deū vtilis est: quicquid enim facit in claustro, non valet ei ad meritū vitæ æternæ. Et quo ad homines inutilis est, cùm eis sit scandalo & derisioni. ¶ Quartum est hoc, q̄ diabolus ita studet & laborat vt religiosos faciat cadere, præcipuè in peccatum carnis. Vnde Eccle. 13. Venatio leonis onager in eremo. Leo est diabolus, cuius venatio est monachus in eremo claustri. Diabolus est quasi lecator, cibos inusitatos quærēs. Vnde Habacuc 3. Incrassata est pars eius, & cibus eius electus. ¶ Quantū placeat diabolo peccatum carnis in religiosis, potest ostendi ex hoc, quod legitur in diabolo Gregor. quòd Andreas Fundanæ ciuitatis episcopus, cū vitam virtutibus multis plenam duceret & continentē, quandam monialem quā secum prius habuerat, noluit ab episcopi sui cura repellere, certus de sui & eius continentia. Sed hostis eius cœpit speciem oculis eius imprimere, aditum tentationis exquirens. Quadam verò die Iudæus quidam de Campania Appiam tendens, cùm iam esset nox, nescies quò declinaret, iuxta Apollinis templum se contulit. Nocte verò media dum præ timore vigilaret, vidit malignorum spiritū turbam in ecclesiam aduenire, quorum princeps discutere cœpit quid egissent. Et post multum venit vnus qui in Andreæ animum per speciē sanctimonialis quādam tentationem carnis cōmouisse aperuit. Cùm verò malignus spiritus qui præerat inhians audiret, adiunxit, q̄ ad hoc peruenit tentatio, vt die præterito in terga eiusdem sanctimonialis fœminæ alapā daret. Tūc blandè exhortatus est eū, vt perficeret, quod cœperat, vt singulare palmā teneret. Tunc Iudæus accedens ad episcopū, diligenter ab eo, licet hoc celare vellet, extorsit. Quē episcopus ad fidem monuit, & baptizauit. Ad idem facit quod legitur in Vitis patrū, quòd dicębat quidam Thebeus senex, q̄ filius fuisset sacerdotis

idolorum. Et cùm quadã die videret patrẽ ſuũm in templo ſacrificantem idolis, vidit & ſathanam cũ malitia ſua aſtãtem. Quẽ cũ ſinguli dæmones adoraſſent, retulerunt facta nequitiæ ſuæ. vnus ait, Per xxx. dies homines vnius prouinciæ plurimos occidi. Alius dixit, per xxx. dies plurimos ſe ſubmerſiſſe in mari. Alius ſe per decẽ dies interfuiſſe nuptiis, & ſponſum & ſponſam occidiſſe, & multã effuſionẽ ſanguinis incitaſſe. Hoc audito omnes ſathan flagellari iuſſit. Tandem vnus ait, pax xl. annos incitaſſe quendã monachum in eremo ad peccãdum, & vix illa nocte cõpuliſſe eũ fornicari. Tunc ſurgẽs & oſculãs eum impoſuit ei coronam quã habebat, dicens quid maximũ feciſſe. ¶ Quintũ eſt hoc, quòd dominus legitur ita grauiter puniuiſſe peccata illa quæ in clauſtris ſunt cõmiſſa. Primũ clauſtrũ fuit in cœlo, in quo ipſe Deus abbas fuit: in quo quidã conſpirationẽ fecerunt, & abſque ſpe veniæ dãnati ſunt. Secũdum clauſtrũ fuit in terreſtri paradiſo, in quo qui inobedientes fuerunt, de paradiſo expulſi & morti cum tota ſucceſſione ſua dãnati ſunt. Tertiũ clauſtrũ fuit in principio Eccleſiæ, in quo Petrus fuit abbas, in quo qui proprietarij eſſe voluerũt, morte ſubitanea perierũt. Cauſa autẽ quare peccatũ in clauſtro cõmiſſum adeò Deo diſpliceat, poteſt eſſe duplex. Vna tãgitur Eſaiæ 26. vbi ſic legitur: In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Dei. Multum diſplicet Deo quòd diaboli filius locũ occupet, in quo deberet eſſe vir ſanctus. Secũda cauſa eſt: quia clauſtrales debent eſſe ſerui Domini, proprie proprij. vnde valde magnam contumeliam reputat ſibi hoc Deus, quũ à talibus ſe contemni videt. ¶ Sextum eſt hoc, ꝙ vita clauſtralis eſt angelica vita. Imitari enim debet angelicã vitam in puritate per caſtitatẽ. In carne enim præter carnẽ viuere, non humanæ eſt naturæ, ſed virtus angelicæ. Et in charitatis feruore vſque ad omnium communionem. Et in perſecutione obedientiæ: vt ſicut in cælo, ſic ibi voluntas Dei perfectè fiat. Clauſtralis ergo angelus eſt. Ergo vel malus vel bonus. Si malus eſt, diabolus eſt vel dæmon. Nihil enim aliud eſt malus angelus, quàm diabolus. Et ſic clauſtrales luxurioſi ſunt dæmodes incubi. Hier. Profeſſis Chriſtianæ religionis militiam, nihil eſt medium inter angelos & dæmones. Aut enim erũt angelis æquales, aut dæmonibus nõ impares. ¶ In clauſtralibus videtur hoc peccatum maximum eſſe & indecens: quia ſpiritualiſſimi deberent eſſe. Et hoc peccatum præ cæteris carnales eos reddit. Efficitur enim in hoc peccato homo totus caro. Macula enim intolerabilis eſt in oculo, quæ parum grauaret in alio membro. Viri enim contemplatiui

tiui ſunt vt oculus.

¶ *De peccato carnis in Monialibus.*

SEQVITVR de peccato carnis in ſanctimonialibus. Quod adeò graue eſt, quòd non eſt ſola fornicatio, imò eſt ibi adulterium, & inceſtus, & ſtuprum, & quaſi peccatum cõtra naturam. Adulterium eſt ibi, quũ ſit acceſſio ad ſpõſam Chriſti. ¶ Et valde eſt graue genus adulterij, ſi attendatur, ꝙ deſpõſata ſit Altiſſimo: quanto enim nobilior eſt cui deſponſata eſt, tãto maior eſt contumelia. Ipſi enim eſt deſponſata, cui angeli deſeruiũt. Attẽdere etiam debet qui eam ſolicitat, ꝙ ſponſa eſt domini ſui. Vnde cũ peccato adulterij, erit ibi crimen proditionis. Hoc autem attendebat Ioſeph. qui dominæ ſuæ dicenti ſibi, Dormi mecum: dixit Geneſi. 39. Quomodo poſſum facere hoc malum, & peccare in dominum meum? Attendere etiam debet, ꝙ ſponſa iſta eſt adeo dilecta à domino ſuo, ꝙ incluſit eã. Oblita eſt populum ſuum & domum patris ſui, vnde concupiuit rex decorem eius. Iuxta verbum Pſal. Ad hoc adulteriũ ſpecialiter poteſt referri, quod legitur Prou. 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictę. Stuprũ etiam, id eſt illicita defloratio virginis, frequenter eſt ibi. Inceſtus etiam & valde graue genus inceſtus: quia cum vxore patris. Vnde ad hoc poteſt referri quod legitur 1. ad Cor. 5. Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui aliquis habeat. Ad idem poteſt referri quod legitur Geneſ. pen. Ruben effuſus es ſicut aqua: nõ creſcas, quoniam aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius, Eſt etiam quodammodo ibi vitium contra naturam, quum fornicatur cum mortua, & iam ſudario inuoluta. Religioſæ perſonæ quæ perfectè ordinem ſuum ſeruant, continuè ſudarium ſuum ferunt, quia in habitu ſuo ſepeliuntur.

De his quæ dant occaſionem peccato Luxuriæ, PARS III.
Quæ habet ſeptem capitula.

De incitamentis Luxuriæ. Et primò de otio, & indiſcreta ſumptione cibi & potus. CAP. I

DIcto de his quæ faciunt ad deteſtationem Luxuriæ, & de ſpeciebus eius, dicendum eſt de his quæ præſtant occaſionẽ huic peccato. Quæ ſunt octo, ſcilicet otium, indiſcreta ſumptio cibi & potus, exortatio vetularum vel aliarum perſonarum quæ conſiliatrices ſunt turpitudinis, & prauum exemplum, aſpectus mulierum, colloquium, auditus, cantilenarum amatoriarum, vel inſtrumentorum muſicorum, & turpiloquiorum, & tactus. ¶ Quòd otium det occaſionem huic peccato, patet ex ſcriptis

ethnicorum, & etiam ex sacra scriptura. Vnde poëta: Quæritur Ægystus quare sit factus adulter: In promptu causa est, desidiosus erat. Et Ezec. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia, & otium. ¶ De indiscreta sumptione cibi & potus, quomodo sit causa luxuriæ, satis dictum est, vbi de vitio gulæ suprà in principio diximus. Dicit etiã Hierony. quòd difficile inter epulas seruatur pudicitia. Et Ber. Periclitatur castitas in deliciis. Item Hiero. Pro membrorum ordine ordo vitiorum est. Hinc dicitur quòd membra generationi deputata seruiant peccato.

¶ De peccato vetularum turpitudinem consulentium. CAP. II.

MVlta autem sunt per quæ potest ostendi magnitudo huius peccati. ¶ Primum est hoc, quòd peccatum istud est diabolicum. Opus enim diaboli est operam dare vt hominem deiiciat in peccatum. Sic studium vetularum talium est, vt mulieres inclinent ad peccatum. Nec habent de illo peccato quandoque nisi fœtorem & potum vnum vini. Vnde Ioel. 3. Puellam vendiderunt pro vino, & biberunt. ¶ Secundum est hoc, quòd opus earum magis est noxium quàm opus diaboli. Vbi enim nec homo nec diabolus potest aliquid facere per se, ibi facit vetula. Vnde posset rectè dici diabola, eo quòd in peccato diabolo assimiletur. A peccato enim habet diabolus, quòd sit diabolus, qui est à creatione angelus. Posset etiam dici sathan, quod interpretatur aduersator. Efficacius enim aduersatur saluti eius quam mouet ad malum, quàm ipse diabolus. ¶ Tertium per quod potest ostẽdi magnitudo huius peccati, est pœna serpenti à domino inflicta. Serpens enim quem diabolus sibi elegit, vt per eum mulierem deiiceret, eò quòd mulieri assimilaretur (erectus enim tũc erat, & secũdum Bedam, vultum virgineum habẽs) significat rectè has vetulas quas diabolus elegit ad alias mulieres deiiciendas, eò quòd sint eis similes. Licet autem serpens tanquam creatura irrationalis non intellexerit quid fecerit, tamen in tribus punitus est, cùm mulier in duobus punita sit tantùm, & vir tantum in vno. Vir etiam quia in solo esu peccauit, in labore quærẽdo sibi edulium punitus est. Vnde dictum est ei: Maledicta terra in opere tuo &c. Mulier superbiuit, & in fructu peccauit, ideo Deus eam humiliauit, dicens, Sub viri potestate eris. Et in fructu eius puniuit eam, dicens, In dolore paries. Serpens verò, quia hominẽ deiecit, prostratus est, quum prius erectus incederet. Vnde dictum est ei, Super pectus tuum gradieris. Quia habuit in ore mendaciũ, ideo in ore eius positum est venenum. Et in cibo punitus

punitus est. Vnde dictum est ei: Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Quia mulierem decepit, ideo dictum est ei: Inimicitias ponam inter te & mulierẽ. Et pòst: Ipsa conteret caput tuum. Et est argumentum, quòd mulieres sanctæ multum debent odio habere tales vetulas: non naturam, sed vitium earum. Et nisi se correxerint, procurare eo modo quo secundum Deum poterunt, vt à vicinia sua expellant eas. Qualiter ergo punientur vetulæ quæ intelligunt peccata quæ faciunt, si sic serpens punitus est qui non intellexit? Sicut serpens in ore punitus est, sic punientur & ipsæ. Et quia vinum pro peccato, quod faciunt bibunt: fel draconum erit vinum earum, & venenum aspidum insanabile. Ipsis etiam dicetur: Non terram comedes, sed carbones comedes omnibus diebus vitæ tuæ. Et quia se plancam vel pontem diabolo fecerũt, vt per eas ad mulieres diabolus transiret, ipsæ prostratæ conculcabuntur, & vadent super eas horribiles, vt ait Iob. ¶ Quartum est, quod legitur Ecc. 28. de lingua tertia, vbi sic habetur: Mulieres fortes deiecit: vel mulieres viratas, secũdum aliam literam, vel etiam maritatas. Et quibusdam interpositis, subiungitur: Et vtilis potius inferus, quàm illa. Ignis infernalis non exurit nisi illos qui adducuntur, & qui hoc meruerunt: sed lingua tertia iniustissimè vrit igne peccati, etiam illos qui sibi nihil nocuerunt. ¶ Quintum est hoc, quòd vetula talis se habet sicut lingua in corpore diaboli, quòd est congregatio malorum. Ex quo satis potest ostendi, quòd multa malitia sit in huiusmodi mulieribus. Si enim tantum est malitiæ in lingua vnius hominis, vt habetur in Cano. Iac. 3. quantum credenda est habere malitiæ lingua diaboli? De lingua hominis dicit Iacob: Lingua nostra ignis est vniuersitas iniquitatis. Et pòst, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna. Et iterum: Lingua est inquietum malum, plena veneno mortifero. quæ de lingua diaboli verissimè possunt dici, scilicet de vetula. Præterea cum diabolus vt faber sit, iuxta illud Esaiæ 54. Ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas. Et iuxta illud Iob 41. Halitus eius prunas ardere facit. Vetulæ istæ sunt vt folles ipsius. Attestatur autem nigredo vetularum huic officio. Ipsæ etiam vetulæ sunt quasi laruæ sub quibus latet diabolus, & in quibus operatur. Si enim se manifestaret in propria forma, horrorem mulieribus inciteret. Ipsæ etiam reæ sunt proditionis apud Deũ. cuius castra explorant, & procurant vt diabolo tradantur. ¶ Præterea, quum Christus in tempore passionis laborauerit vsque ad sudorem sanguinem, & tantum dolorem sustinuerit, quòd non

fuit

fuit dolor sicut dolor eius,& tãtũ expẽderit.Ibi enim fractum est alabastrũ,& vnguẽtũ misericordiæ effusum in tanta abundantia, quòd eũ senserunt cælũ & terra,& infernus:vnicã tamen animã, scilicet latronis,in actu lucratus est ibi.Ex quo satis patet quantũ peccẽt hæ vetulæ etiam si nõ auferrent nisi vnam animã Deo in tota vita sua,cũ tale dãnũ faciãt ei,quale lucrũ ipse fecit in cruce.Item si prædicator vnus non lucraretur in tota vita sua nisi vnicã animã, multũ faceret,quum vna anima plus valeat,quàm omnes diuitiæ huius mundi.Igitur si aliqua vetula toto tempore vitæ suæ nullũ aliud malũ faceret,nec corde,nec ore,nec opere, nisi quod vnam animam Deo auferret,nimis esset.Item si aliquis vendidisset vnum de vicinis suis comedẽdo & bibẽdo cũ eo aliquibus qui eum corporaliter iugularent, valde malus iudicaretur:vel si quis ad tantam malitiam peruenisset, quòd pro duodecim denariis hominem vnum corporaliter interficeret. Quàm mala ergo iudicanda est quę tot mulieres vẽdit ad interficiendũ eas spiritualiter, comedendo & bibẽdo cum eis.Et quæ non pro duodecim denariis,sed pro potu vno vini interdum in mortem vnius animę consentit.Prętera incendiarij,qui furtim domos,& aceruos manipulorũ incendũt in guerris,peiores cæteris reputãtur,& maximè sunt exosi.Verulæ autẽ istę incẽdiariæ sunt. Luxuriã enim,quæ ignis est vsque ad cõsumptionẽ deuorãs,vt legitur Iob 31.in cordibus hominum ponũt.Nec parcunt etiã tẽplis:fideles enim templa sunt Deo in baptismo dedicata.Item si nullũ tale sacrificium est Deo, vt zelus animarũ, nullũ tale sacrificiũ est diabolo vt perditio earum,& nihil sic Deo displicet. Vetulæ tales videntur propriè essẽ de familia diaboli. Et sicut voluit Christus vt super apostolos apparerẽt linguæ igneę,ad ostendendum quòd officium eorum erat verbis corda hominum igne cælesti inflammare:sic diabolus si vellet officium istarum vetularum hominibus ostendere,linguas igneas igne fœtido inferni faceret super eas apparere.

De malo exemplo per quod excitatur Luxuria. CAP. III.

MAlũ exẽplũ licet vniuersaliter multũ timendũ sit,pręcipuè tamẽ exẽplũ huius peccati:quia in mẽbris generationi deputatis maximè sęuit cõcupiscẽtia. Vnde summo studio vitãda sunt vbi fornicarij cõuersantur:quia non accideret de facili quòd aliquis videret aliquos fornicari quin tentaretur. Vnde Eccl.19.Qui se cõiungit fornicariis,erit nequã.Et Apost.1.ad Cor.5.loquẽs de Corinthio fornicatore: Nescitis quia modicũ fermẽti totã massam corrũpit? Expurgate ergo vetus fermẽtũ.Et Senec. Vnũ exẽplum

plum auaritiæ vel luxuriæ multum malifacit.Etiam cum eis qui sunt in matrimonio non est tutum habitare cum illis qui virginitatem vel castitatem volunt seruare.

De aspectu mulierum,qui valde timendus est. CAP. IIII.

ASpectus mulierũ valde timẽdus est,vt potest ostẽdi & authoritatibus & exẽplis,& rationibus. Authoritatibus. Vnde super illud Genes.3.vidit mulier &c. dicit Greg. Non licet intueri quod nõ licet cõcupiscere.Itẽ Greg.Pẽsandũ est quãtũ visum debemus restringere,qui mortaliter viuimus,si mater viuẽtiũ per oculos ad mortẽ venit.Et Eccl.9.Virginẽ ne cõspicias,ne fortè scãdalizeris in decore eius.Et pòst:Auerte faciem tuã à muliere compta.¶Exẽplis potest idẽ ostẽdi.Vnde Gen.34. Cũ vidisset Dinam Sichẽ filius Emor Heuæi,princeps terræ illius, adamauit illam, & rapuit. Et Genes.39.Iniecit domina oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Et 2. reg.11. vidit Dauid Bersabee lauantem se ex aduerso super solariũ suum.Erat tunc mulier pulchra valde. Et subiungitur: Missis itaque Dauid nuntiis tulit eam.Et de Iudith16.legitur : Colligauit cincinnos suos mitra ad decipiendum eum. Sandalia eius rapuerunt oculos eius. Pulchritudo eius captiuam fecit animam eius.Cincinnos vocat capillos in serie vna congregatos. ¶Multis etiam rationibus potest ostendi quòd valde timendus sit nobis aspectus mulierum. Quarum quædam sumũtur ex parte mulierum,& alię ex parte oculorum. ¶Ex parte mulierum sumere possumus tres rationes, ad hoc ostẽdendum.Prima est hæc,quòd à planta pedis vsque ad verticem non est locus in mulieribus, in quo non sit positus laqueus ad capiendum oculos.Quod satis innuitur Iudith 16.Dicitur ibi: Colligauit &c. vt suprà, ecce laqueus in vertice. Sandalia eius rapuerunt oculos eius:ecce laqueus in pedibus. Et Ecclesia. 7. Inueni mulierem amariorem morte, quæ laqueus est venatorum,& sagena cor eius.Vincula sunt manus eius. Hoc dicitur,vt qui in manibus eius tenetur, sciat se esse in vinculis diaboli. Et Prouer.7.Ecce occurrit mulier ornatu meretricio,præparata ad capiendas animas.¶Notandum quòd diabolus excoriat mulieres,pellem honestæ conuersationis ab eis remouendo, ad milluos,id est, ad luxuriosus capiendos, qui sunt animalia ignobiliaquæ ad extra volant.Ad idem solent canes vel murilegi excoriari.Mirum est quomodo hoc toleratur inter fideles, quod mulieres sic præparent se ad interfectionem animarum. Si quis faceret foueam in via,& eam cooperiret, non toleraretur. Fovea autem profunda est meretrix: vt legitur in Prouerb.23. Item

Eccle

Ecclesia. 9. Ne respicias mulierem multiuolam, ne fortè incidas in laqueos eius. ¶ Secunda ratio quare aspectus mulierum sit timendus, est hæc, quòd mulieres in aspicientibus se solo visu ignē infernalem succendunt etiam à remotis. Vnde Eccles. 9. Ne circunspicias speciem alienam. Propter speciē mulieris perierunt multi. Et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit. Tertia ratio est, quia non est aliqua pars in eis qua quasi gladio non vtantur in necem se aspicientium. Hieron. Gladius igneus est species mulieris, quasi ex omni parte sui sagittas mittens. Ad quam sagittationem pertinet quod legitur Prou. 7. Donec transfigat sagitta iecur eius. Et paulò pòst: Multos vulneratos deiecit. Non est hoc mirum, si multos interficiat, cum dēsecat multitudine telorum, sicut porcus qui dicitur spinaticus multitudine spinarum.

¶ Quòd oculi dant occasionem sæpe peccato Luxuriæ.

Ex parte verò oculorum possunt sumi septem rationes. ¶ Prima, est quòd oculi sunt valde veloces ad nocendum animæ. Ideo prędonibus comparantur. Thren. 4. Oculus meus deprædatus est animam meam. Prædones timentur multum propter sui velocitatem. Ad idem pertinet quod dicit Gregorius super illud Genes. 3. Vidit mulier &c. Deprimendi sunt oculi à lasciuia suæ voluptatis, quasi quidam raptores ad culpam. Non enim Heua lignum contigisset, nisi prius incautè respexisset. ¶ Secundo timendi sunt oculi, quia à remotiori nocent. Gustus & tactus sunt eorum quæ sunt immediata: sed visus non sic. propter hanc causam multum timentur balistarij & sagittarij. ¶ Tertio, quia oculi contra nos multis armis vtuntur. Plures enim differentias rerum nobis ostendit visus, quàm cæteri sensus. Sensus iste ministrat materiam tentandi nobis, & quantum ad concupiscentiam carnis, & quantum ad concupiscentiam oculorum, & quantum ad superbiam vitæ. Vnde philosophus: Totius hominis libertas, est perdidisse oculos. Oculi sunt per quos paupertatem ferre non possumus. Oculi tota nostra luxuria sunt: hi nos in omnia quotidie vitia præcipitant. ¶ Quarto, quia duces sunt scelerum. Inter latrones magis timentur qui vias scientes aliorum sunt duces. Senec. Intelligendum est partem esse innocentiæ cęcitatem. Huic oculi adulterium mōstrant, huic incestū, huic domū quam concupiscat, irritamenta sunt malorum, duces scelerum. ¶ Quinto propter corruptionē magnā quæ in oculis est. Ad quā corruptionem, Primo facit facilitas lædendi, quam videntur habere à natura, etiam quantum ad peccatū. Cui attestatur facilitas lædendi corporaliter, quæ est in eis. Dispositio enim corporalis attest

attestatur frequēter dispositioni spirituali. Ad idē facit hoc quòd naturaliter custodiuntur oculi tanta diligentia. Multis enim tunicis inuoluti sunt à natura, & palpebra etiam exteriori defenduntur, & etiam obiectione manus, si opus fuerit. Eiusdem etiam facilitatis lædendi signum videtur esse hoc, quòd per oculos ad matrē nostrā mors intrauit. ¶ Secundo facit ad corruptionē istā hoc, quòd multi corrupti fuerūt in primo peccato. Vnde post comestionem pomi sequitur in Genesi: Et aperti sunt oculi eorum. Quod intelligitur quo ad motus concupiscentiarū. Nō enim intelligendum est, quòd quasi palpones & cæci accesserunt ad lignum vetitū. Vnde super illud Matth. 7. Quid autē vides festucā. dicit gl. Oculus qui in paradiso post culpā est reseratus, videt nō vnde proficiat, sed vnde in deterius cadat. ¶ Tertio corrupti sunt ex diuturna consuetudine peccandi. Tanta autem corruptio ista est, quòd quasi inuitus eōcupiscit homo quod videt oculus. Vnde super illud Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis &c. dicit gl. Fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aspiceret quod postea inuitus amaret. ¶ Sexto ideo sunt multū timēdi oculi, quia vsus eorum est valde necessarius: quanto enim est vsus magis necessarius, tanto & abusus est magis timendus. Licet lingua valde corrupta sit, tamen includi potest longo tempore, & sic cessando ab eius vsu cauet homo ab eius abusu. Sed oculi non cessant videre, vnde nō cessant peccare. Vnde 2. Pet. 2. Oculos habētes plenos adulterij, & incessābilis delicti. ¶ Septimo sunt oculi timendi, quia sunt quasi duæ portæ in castro corporis nostri, quibus si dominetur diabolus, simpliciter erit dominus corporis nostri. Dominus qui habet portas alicuius castri, habet & castrum. Vnde Iob 31. post illud: Pepigi fœdus &c. Subiungitur: Quam enim partem haberet in me Deus desuper? Vbi insinuat quòd nihil habet Deus in homine, si oculos non habeat: sicut non est dominus castri, qui non habet ibi ingressum & egressum: & vt breuiter dicam, quum breuis sit omnis malitia super malitiam mulieris, vt legitur Eccles. 25. & nihil oculo nequius creatum sit, vt legitur eiusdem 30. quum in aspectu mulierum hæc duo valde timenda coniunguntur, constat aspectum mulierum valde timendum esse. Ideo Iob sciens oculos esse hostes valde nociuos, fœdus cum eis pepigerat, vt nec cogitaret de virgine. Ideo etiam legunt quidam philosophi sibi oculos eruisse. Vnde Hierony. Nō doleas si hoc non habeas quod formicæ, & muscę, & serpētes habēt, carnis oculos: sed illum oculum te habere lætare, de quo in Cantic. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa in vno oculorū tuorum.

rum. Denique quosdam mundi philosophos legimus, vt totam cogitationem ad puritatem cogerent, sibi oculos eruisse: in hoc tamen non debemus eos imitari.

Quòd colloquium mulierum valde sit timendum. CAP. V.

COlloquiũ mulierum valde timendũ est. Quod patet primò per hoc ꝙ sermo mulierum insinuatur esse rete. Prou. 7. vbi sic legitur, de fallace muliere: Irretiuit eum sermonibus multis. ¶ Secũdo ex hoc ꝙ comparatur igni. Ecc. 9. vbi sic legitur: Colloquium illius quasi ignis exardescit. ¶ Tertiò ex hoc ꝙ comparatur gladio acuto. Prouer. 5. Fauus distillans, labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem eius amara quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps.

De auditu cantionum amatoriarum, turpiloquiorum, & instrumentorum musicorum. CAP. VI.

AVditus cãtionum valde timẽdus est. Vnde Eccl. 9. Cum saltatrice ne sis assiduus, nec audias illã, ne fortè pereas in efficacia illius. Ad auditũ turpiloquiorũ possumus referre quod dicit Apost. 1. ad Cor. 15. Corrũpũt bonos mores colloquia mala. Musica etiã instrumẽta multũ sunt timẽda. Frãgũt enim corda hominũ & emolliũt. Et ideò secũdũ verbum Sapiẽtis essent frangẽda.

Quòd tactus mulierum sit valde periculosus. CAP. VII.

TActus mulierum valde periculosus est, sicut potest ostendi multis testimoniis scripturæ. Et primò ex hoc quod legitur Eccles. 9. Cum muliere aliena ne sedeas omnino, nec accumbas cum ea super cubitum &c. Secundò ex hoc quod legitur Ecc. 26. Qui tenet eã, quasi qui apprehendit scorpionem. Tertiò ex hoc quod legitur eccles. 7. Vincula sunt manus eius. Quartò ex hoc quod legitur Prou. 6. Nunquid potest homo abscõdere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeãt? aut ambulare super prunas vt nõ cõburãtur plãtæ eius? sic qui ingreditur ad vxorem proximi sui, non erit mundus quũ tetigerit, eã. ¶ Ad idẽ facit exẽplũ Andreæ episcopi suprà positum, qui sanctimonialẽ percussit manu, de qua percussione princeps dæmonũ adẽo lætatus est. Ad idẽ facit exemplum quod habetur in dialogo de quodam sacerdote qui habuerat cõcubinam, sed eã dimiserat, & ei non cohabitabat, imò sanctissimè viuebat. Tãdem eo ægrotãte ad mortẽ, & circunstãtibus dubitantibus, vtrũ iã spiritus recessisset, illa quæ tunc ibi erat accessit propè tẽtatura vtrũ adhuc spiraret: ille autẽ vidit eã, & cum magno conamine locutus ait: Recede mulier, recede: adhuc viuit igniculus, tolle paleã. Ad idem facit quod legitur in Vitis patrũ, de quodam fratre, qui volẽs cũ matre trãsire flumẽ, ma

nus suas inuoluit pallio eius, & portauit eã vltrà: & interrogatus ab ea, cur hoc faceret. Respondit: Corpus mulieris ignis est, & eoipso quòd contingebam te, veniebat mihi memoria de aliis mulieribus.

De remedijs cõtra Luxuriã PARS IIII. *quæ habet quatuor cap.*

De triplici remedio contra peccatum Luxuriæ. CAP. I.

DIctum est de his quæ dant occasionem Luxuriæ, consequenter dicendũ est de remediis contra hoc peccatũ. Quum autẽ Luxuria sit ignis, sicut patet ex predictis, necessarium erit triplex remedium contra eam, sicut contra ignẽ nimiſi triplex solet adhiberi remedium, scilicet aut per aquæ effusionem, aut liguorum subtractionem, aut elongationem. Verbi gratia: Si olla quæ iuxta ignem est adeo ebulliat vt effundatur quod in ea continetur, aliquod horum trium fieri cõsueuit: vel aqua frigida ollæ infunditur, vel de lignis subtrahitur, vel olla ab igne elongatur. Sic etiam faciendum est contra ignem luxuriæ. Si quis videret se tentari à peccato illo, consilium vnum est vt ad aquam recurrat, vel ad aquam frigidam quam proiiciat super se ad literam, vel ad aquã lacrymarũ, vel ad aquam, id est tribulationẽ quãcunque, vel recipiat disciplinam bonam, vel pungat se fortiter, vel trahat sibi pilos barbæ, vel capitis, vel si non vult adhibere tribulationis præsentiam, saltem adhibeat eius memoriã, vt cogitet de pœnis quæ debentur peccato luxuriæ. Ad istud remediũ pertinet, quod legitur Prou. 20. Dolor vulneris absterget maculam. Eccl. 11. Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ maximæ. Ad idem pertinet quod legitur in Vitis patrum de quodam sene, qui quum tentaretur grauiter de quadam muliere quam receperat in hospitio suo, ipse accẽdit lucernã, & combussit omnes digitos suos. Sicut autem ille merito combureretur super cuius vestẽ ignis caderet, qui præ pigritia illum à se non excuteret, nec esset compatiendum ei. Et sicut meritò domũ suam amitteret qui videns domum suam comburi, aquam non quæreret: sic meritò ignis luxuriæ eos consumit qui ad aquam tribulationis non currunt, cùm vident ignem consumere, non vestes suas vel domum, sed seipsos. In qua pigritia satis ostendunt, quòd magis vilipendunt seipsos, quàm aliqua suorum. Sene. Nihil est homini seipso vilius, si homo tunc intraret in aquam frigidã vsque ad pectus, ex quo nõ immineret ei ex hoc periculum, non esset malũ. ¶ Secundũ remedium est vt homo subtrahat sibi de cibo & potu: secundum enim ligna syluæ exardescit ignis: vt legitur Eccl. 28. Pamphilus: Detrahe ligna foco, protinus ignis abest. & præcipuè de illis gene-

ribus ciborum & potuum, quæ inflammant ad luxuriam: vt sunt fortia vina & acuti saporis. Ista enim sunt non qualiacunque ligna ad nutrimentū luxuriæ, sed sunt quasi faculæ ardētes ad eam incendendam. Vnde sicut deridendus esset ille qui faculis ardentibus domum suam accēderet, si diceret quòd cōbustio eius sibi displiceret: Sic deridendi sunt qui dicunt se velle continere, cum talibus cibis & potibus domus suas incendant. ¶ Tertium remedium est, vt homo elonget se ab igne luxuriæ. Hoc remediū docet nos Apostolus 1. ad Cor. 6. dicēs. Fugite fornicationem. Super quod verbum dicit Ambrosius: Quum aliis nempe vitiis potest expectari conflictus: hanc fugite, ne approximetis, quia nō potest aliter melius vinci. Ad idem monemur exēplo Ioseph: de quo legitur Genes. 39. quòd cum domina sua diceret ei, Dormi mecum: ipse relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.

¶ Quòd fugiendo homo debeat pugnare contra peccatum carnis.

Triplex autem ratio potest assignari quare fugiendo pugnandū sit cum peccato carnis. Primū est, quod luxuria ignis est, homo verò est vel fœnum vel stupa. Primum potest haberi ex illo verbo Esa. 40. Omnis caro fœnum. Secundum ex illo verbo, Eccles. Stupa collecta synagoga peccantiū. Nulla autem securitas est stupæ vel fœno esse iuxta ignem. Secunda ratio est, quia luxuria peccatum est valde immundum. Vnde sicut non esset bonum luctari cum homine lutoso, quia licet deiiceret eum, tamen se inquinaret: & sic non est securū luctari cum peccato isto. Vix enim potest esse quin homo non inquinetur ibi. Ad hoc potest referri quod legitur Ecclesia. 13. Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Tertia ratio est, quia non est bonum de propè pugnare cum hoste illo qui ex propinquitate sumit vires. Talis est luxuria. Corpus enim nostrum quod prius erat pacificum, cōuertitur in hostem. Vnde sicut princeps aliquis timet pugnare cum hostibus suis, quando credit, quod in exercitu suo multi sunt proditores qui debeant iuuare hostes suos quando conflictus venerit: sic debet timere homo pugnare contra luxuriam, quū corpus nostrum ad motum proditoris contra nos in pugna illa fiat.

¶ Quòd mulieres sint fugiendæ.

A n hoc enim quòd mulieres nobis fugiendæ sint, faciunt testimonia scripturæ quæ sequuntur, Eccles. 30. Commorari leoni & draconi placebit, magis quàm habitare cum muliere nequam. Hierony. Ianua diaboli, via iniquitatis: scorpionis percussio, nociuum genus est fœminarum. Idem: Ego iudico, si cum viris mulieres habitent, viscarium diabolo nō deerit. Ex his occu

pa

patum est ab initio peccatum. Ecclesia. 25. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Hieron. Prima tentamenta clericorum sunt frequentes accessus mulierum.

De tribus quæ solent homines ex accessu mulierum ad se decipere.

CAPVT II.

Sed tria solent circa aliquos decipere, scilicet sanctitas mulierum, fiducia de propria castitate, & consanguinitas. ¶ Contra primum dicit Hiero. Si pudicitiam quæris, fœminam quam videbis bene conuersantem, mente dilige, non corporali frequētes ornatu. ¶ Contra secūdum similiter dicit Hiero. Ostiolum tuum aut rarò aut nunquam mulierum pedes terēt. Vide ne sub eodem tecto māseris, nec in præterita castitate cōfidas. Nec Dauid sanctior, nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior. Memēto semper quòd paradisi colonū mulier de possessione sua eiecerit. Si dixerit forsitan aliquis se nō stipulam esse, sed ferrum, & ideò non oportet eum timere mulierum familiaritatem: scimus quòd ignis ferrum ipsum immutat, & quasi ignem induit. Sic & ignis luxuriæ etiam homines ferreos immutat in malum. Vnde Hieron. Ferreæ mentes libido domat. Ex duobus etiā lapidibus si inuicem collidantur, ignis exit: Sic ex familiaritate duarum personarum, quæ quasi lapideæ videntur, exit quando que ignis luxuriæ. ¶ Præterea, et si murus à candela iuxta se posita non cōburatur, tamen denigratur. Sic licet homo nō cadat ex familiaritate mulierum in peccatū carnis, tamen aliquantulū inquinatur. Vnde Hier, Crede mihi, non potest cum domino toro corde habitare, qui fœminarū accessibus copulatur. ¶ Contra tertium dicit Hiero. Si generis gratia iudicas mulieres nullo modo dimittere, memento quòd Thamar à fratre suo cōrrupta sit: præcipuè verò debet homo cauere ne sit solus cum sola. Vnde Hiero. Solus cum sola secretò absq; arbitris ne sedeas. Ad hoc facit quòd legitur Gene. 39. Accidit quadā die vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absq; arbitris faceret: & illa apprehensa lacinia vestimenti diceret, Dormi mecum: & ipse fugit. Sicut autem fugiendæ sunt mulieres, ita & munuscula earum. Vnde Hier. Crebra munuscula, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos, blandas dulcésque literas sanctus amor non habet. ¶ Fugienda etiam sunt loca in quibus homo possit vel spectare mulieres, vel spectari ab eis. Ad quod pertinet quod legitur Eccl. 8. noli circunspicere in vicis ciuitatis, nec obseruaueris in plateis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta. Ad hoc essent homines multum admonendi post Pascha, hæc enim est occasio recidiuandi multis.

De choreis, & quàm malum sit ducere eas, multis testimonijs scripturarum ostenditur. CAP. III.

LIcet autem sint fugienda loca vniuersaliter in quibus mulieres possunt vel videri, vel videri, specialiter tamen fugienda sunt loca in quibus ducuntur choreæ. Vnde hic de choreis agemus ostendentes quàm malũ sit choreas ducere. Primo ex testimoniis scripturarum. Secũdo rationibus multis quàm periculosum hoc sit. Tertiò, quàm fatuũ sit hoc. ¶ De testimoniis autem scripturarũ sufficiat ponere septem. ¶ Primum est illud verbum Augustini: Melius est in dominicis diebus arare vel fodere, quàm choreas ducere. ¶ Secundũ est illud quod legitur Exo. 32. Quum appropinquasset Moyses ad castra, vidit vitulum, & choros, iratúsque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis. Deinde assumptis secum filiis Leui, interfecit tria millia. Alia litera habet vigintitria millia. Ex hoc quòd Moyses qui erat mansuetissimus hominum qui erant in terra, adeò iratus fuit, & tantam vindictam sumpsit de hoc quòd Dei honores vitulo impenderant & choreas duxerant, satis potest esse manifestum, quantum irasci deberet, si quis zelum animarum haberet qui diuino seruitio contempto & neglecto videret diuinos honores impendi non vitulo, qui est creatura Dei: sed ipsi vanitati lasciuiæ per vitulum designatæ. vitulus enim animal est lasciuum. Temporibus illis quibus deberent homines audire cantus ecclesiæ, audiunt cantus lasciuiæ. ¶ Tertium testimonium est illud quod legitur Matth. 14. quòd saltatrix fecit amputari caput Ioannis. In hoc enim præfiguratum est, quantam potestatem habituræ erant saltatrices ad separandum eas, in quibus est gratia Dei, quæ per Ioannem designantur à capite suo Christo. ¶ Quartum testimonium est quod legitur Eze. 25. Pro eo quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es toto affectu super terram Israël: idcirco ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis. ¶ Quintum est illud August. Omnis motus petulantiæ, saltus est in profundum cloacæ. ¶ Sextum est illud quòd refert Gregor. in dialogo de quadam sorore, cui de nocte in visione apparuit beata Virgo, atque coæuas in albis vestibus ei ostendit puellas, quæ cum illis se admiscere appeteret, & se illis adiungere non auderet, beatæ Mariæ voce requisita est, an vellet cum eis esse, & in eius obsequiis viuere. Cui cùm puella diceret, Volo: mandatum protinus accepit, vt nihil vltra leue & puellare ageret, & à risu & iocis abstineret, sciens quòd inter

inter virgines quas viderat ad eius obsequium die xxx. veniret. Quibus visis in cunctis suis moribus puella mutata est, & omnẽ à se leuitatem puellaris vitæ remouit. Cúmq; parẽtes eius eã mutatam mirarentur, quid sibi beata virgo iusserat, & quo die itura esset ad eius obsequiũ indicauit. Tũc post xx v. dies febre correpta est, & die xxx. cum hora exitus sui appropinquasset, eãdem Dei genitricem cum puellis quas in visione viderat, ad se venire conspexit. Cui se vocãti respõdit, & aperta voce bis clamare cœpit, Ecce domina venio, in qua voce reddidit spiritum & ex corpore virgineo habitatura cum suis virginibus, exiit. In hoc, quòd puella quæ volebat processioni beatæ Virginis interesse, mãdatũ accepit vt à iocis abstineret, satis potest perpẽdi, q̃ ingressus processionis chorearũ prohibebat ab ingressu processionis cælestis. Vnde multũ fugiendæ sunt huiusmodi processiones, quæ à tali processione hominẽ prohibẽt. ¶ Septimũ testimoniũ est Apo. 9. Vbi legitur, q̃ ascendit fumus putei abyssi sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol & aër de fumo putei abyssi, & de fumo putei exierunt locustæ in terrã. Fumus ascendẽs de puteo abyssi, est fœtor & ardor luxuriæ qui obscurauit solem, id est cœtum sacerdotum, quorũ est illuminare ecclesiã & aërẽ: id est, cœtum contẽplatiuorũ pro magna parte. De hoc fumo exierunt locustæ: id est, cantatrices & saltatrices se non regentes ratione, sed incedentes inordinatè ac si bruta animalia essent. Hæ locustæ nihil omnino virens relinquunt in terra ecclesiæ, sicut de locustis Ægypti legitur Exo. 10. Hę locustæ dicũtur exisse de fumo putei, nõ quia habeant ab eo, quòd sunt, sed quia habẽt inde quòd locustæ sunt. Aliquæ enim quarũ corda infecta sunt ex fumo putei abyssi, procurant choreas. Aliæ verò ex leuitate sola in principio ei consentiunt. Iuxta hunc modum loquendi dicitur diabolus esse pater malorum, non quia ipsi habeãt ab eo q̃ sunt, sed quia habeant ab eo, id est, ab eius imitatione, quòd mali sunt. ¶ Sequitur in visione Ioannis quibusdam interpositis: Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium. Innuitur in hoc quòd ornatus mulierum est quædam præparatio ad hoc, quòd diabolus eis insedeat, & Deum in eis impugnet, vnde sicut dicit Propheta de domino, quòd ipse posuit Ierusalem sicut equum gloriæ suæ in prælio: sic diabolus facit de talibus mulieribus. Sequitur, Et super capita earum tanquam coronæ similes auro. Hoc pertinet ad ornatum quẽ habent tales mulieres in capitibus. Et insinuatur, q̃ ornatus quos istæ mulieres deferunt in suis capitibus, quos acquisiuerunt à suis amasiis, sunt quasi co-

ronæ pro multiplici triumpho quem habuit diabolus per eas de filiis Dei. Sic solent strenui milites in torneamentis in capitibus equorum suorum coronas ponere de floribus. Sequitur, Et facies eorum, sicut facies hominum. Sicut facies hominum dicit, & non facies mulierum: propter mulieres quæ se depingunt, quarum facies sunt sicut laruæ, sub quibus latent facies naturales, quas dominus eis dedit: quæ sunt pallidæ. Ad quas facies pertinet quod dicit Hiero. Qua fiducia, inquit, erigit ad cælos vultus, quos conditor non agnoscit? Sequitur: Et habebant capillos sicut capillos mulierum. Sicut, dicitur, propter illas quæ deferunt crines à mortuis mulieribus abscisos, qui non sunt capilli mulierum, quia nec mortuarũ sunt, quia ab eis abscisi sunt: nec illarum sunt quæ eos deferunt, sicut vuæ non sunt spinarũ, etsi eis alligentur. Et mirum est quomodo mulieres non timent deferre capillos mulierum mortuarũ, & habere eos de nocte ad caput suũ. Sed verisimile est quòd diabolus hanc audaciã procuret in eis. Cuius signũ est hoc, quòd ipsæ deferre timerent camisiã vel aliã vestem mulieris mortuæ, de capillis verò non timent, de quibus videtur magis esse timendum. Sequitur, Et dentes earum sicut dentes leonum. Hoc pertinet ad rapacitatẽ talium mulierum. Ad hoc pertinet quod legitur Eccl. 9. Ne respicias mulierem multiuolam: tot enim volunt tales mulieres ab amatoribus suis, quod mirum est. Sequitur, Et habebant loricas sicut loricas ferreas. Hic insinuatur incorrigibilitas earum. Sicut enim in lorica non potest vna macula ab alia separari: sic non potest eis persuaderi vt vnum de ornamentis suis dimittãt. Et vox alarũ earum sicut vox curruum equorum multorum currentiũ in bellũ. Sicut exercitus magnus suo tumultu hostes fugat quãdoque & deuincit, & clamore aues volantes cadere facit: sic exercitus diabolicus chorearũ solis derisionibus & clamoribus suis deuincit bonos, & illos qui habebant pennas virtutum à sublimitatæ vitæ inchoatæ cadere facit. Quod dicitur, alarum, pertinet ad velocitatẽ quam habent in discurrendo. Quod dicitur, vox curruum, pertinet ad tumultum quem faciunt. Sequitur: Et habebant caudas similes scorpionibus, & aculei erant in caudis earum. Hoc referendum est ad hoc, quòd mors æterna est finis carnalium voluptatum. Vel ad hoc, quòd ad mortem culpæ homines pertrahunt. Sequitur, Et potestas earum nocere hominibus mensibus quinque. Hoc potest referri ad hoc quòd à Pascha vsque ad Autumnum præcipuè nocent choreæ ecclesiæ Dei. Sicut enim reges tempore isto solent ad bella procedere, vt hostibus suis auferant

rant quod in hyeme labore acquisierunt: sic diabolus quàm citò est Pascha, congregat exercitus chorearum, & aufert ecclesiæ quod in Aduentu & Quadragesima acquisierat. Sequitur: Et habebant super se regem angelum abyssi. Diabolus enim eas regit, cui nomen Hebraicè Abaddon, Græcè autem Apollyon, & Latinè habens nomen exterminans. Glos. interli. A patria vitæ exterminare, est exulem facere. Vnde merito vocatur exterminans diabolus, tentans homines per mulieres: quia per eas hoc in exilio sumus, iuxta verbum Hier. prius positum, Memento semper, quòd paradisi colonum mulier de possessione sua eiecerit, & valde potens est dæmon ille ad faciendum homines exulare à cælesti patria. ¶ Rationibus ostenditur quàm periculosum sit choreas ducere. ¶ Consequẽter ostẽdendũ est rationibus, quàm periculosum sit choreas ducere. ¶ Sex autem sunt per quæ potest ostendi hoc. Primũ est hoc, quòd diabolus in choreis nõ habet vnicũ gladiũ, sed tot quot ibi sunt personę pulchræ & ornatæ: iuxta verbum Hierony. prius positum, Gladius igneus est species mulieris. Vnde non parũ timendũ est, vbi tot gladij hostis conspiciuntur: cùm vnicus etiã gladius eius multum timeatur. Præterea, ibi percutit diabolus gladio euaginato: tunc enim pallia & supertunicalia remouentur. Cùm enim alibi percutit, gladiũ inuoluit. Cùm etiã gladius iste ex omni parte secet, ibi ex omni parte percutit. Ostendũt enim ibi se ex omni parte antè & tertiò à dextris & à sinistris. Percutit etiam ibi gladio exacuto. Ad choreas enim nõ veniunt nisi prius præparatę: quæ præparatio quædam exacuatio est gladij diaboli. Motu etiã circulari quasi quadam mola diaboli exacuitur gladius iste, id est, pulchritudo augetur: quia quæ pallida est, & quasi febricitans ibi à fatuis pulchra creditur. ¶ Secundũ est, quòd diabolus non vtitur ibi facula vnica ad accendẽdum corda hominum, sed pyra immensa. Vnde cũ vix possit esse aliquis diu iuxta vnam de faculis istis quin calefiat: quomodo non calefiet, vbi tot sunt faculæ ardentes? Præterea matres quæ filias suas ornant & ad choreas mittunt, quasi festucas vngunt, vt melius ardeant, & in ignem proiiciunt. ¶ Tertium est, quòd in choreis vtitur diabolus potentioribus armis quæ habet, & ferè omnibus modis quibus vti potest. Potentiora arma quæ diabolus habet, sunt mulieres. Quod patet per hoc, quòd diabolus elegit mulierẽ ad deiiciẽdum hominem primum. Has etiam elegit Balaam ad deiiciendum filios Israël: vt legitur in libro Num. 24. vbi habetur, quòd Balaã dixi ad Balach, Dabo consilium quid populus tuus huic populo faciet extre-

mo tempore. Istud consilium fuit, quòd ipse Balach mitteret mulieres de Moab ad filios Israël quæ deciperent eos. Et sic factum est: vt patet parum infrà, scilicet 25. vbi sic dicitur: Morabatur autem eo tempore Israël in Sethim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, qui vocauerũt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adorauerunt deos earum. Et Apocal. 2. habetur quòd dicit Deus per Ioannẽ angelo Pergami, Habeo aduersum te pauca: quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docuit Balach mittere scãdalum corã filiis Israël, edere & fornicari. Hanc dimisit diabolus Iob, sperãs, quòd per eam deiiceret eũ. Per hanc etiã voluit deiicere Tobiam. Per hanc Dauid, Sampsonem, & Salomonem deiecit. Diabolus tribus modis per mulieres tentat homines insipientes, scilicet tactu, visu, & colloquio. His tribus modis simul in choreis per mulieres tentat homines insipientes, scilicet tactu manuum, cantus suauitate, & pulchritudinis ostensione. In quibus quantũ est periculũ, ostensum est prius. ¶ Quartũ est, quòd nulli sancto vel sanctæ deferũt honorem qui choreas ducunt: imò omnibus contumeliam faciunt. Sicut enim contumeliam facit alicui sancto qui peccat in loco ei dedicato: sic qui peccat in tẽpore ei dedicato. Vnde cum in nullo festo timeant choreas ducere, nulli sancto timent contumeliam facere. Præterea cùm prohibitus sit eis labor in diebus festis, etiam ille qui esset ad honorem Dei & vtilitatem propriam vel proximi, nunquam cõcessus est eis labor qui sit in contumeliam Dei & sanctorum, & damnum proximi. Irridẽdus videtur esse qui petit requiẽ producentibus choreas, quæ absque pœnitentia decesserũt, cùm laborem in vita sua quieti præelegerint, & in diebus festis quiescere noluerunt. Nec habent aliquem sanctum qui pro eis intercedat, quia omnibus contumeliam fecerunt. ¶ Quintum est, quòd ducẽtes choreas faciunt quodammodo contra omnia sacramenta ecclesiæ. Primo cõtra baptismũ: quia frangũt pactum quod inierunt cum Deo in baptismo, cum patrinus earum dixit pro eis, Abrenuntio diabolo, & omnibus pompis eius. Pompã enim siue processionem diaboli intrant, cùm choreas intrãt: vnde patrini earum possunt timere ne de promissione illa rei apud Deũ inueniantur, si non admonuerunt eas diligenter, ne choreas intrarent. Processio diaboli, est chorea in qua ad modum conuersarum diaboli se habẽt, quæ non intrãt, sed assistũt. Tãquam moniales diaboli sunt quæ intrant & cantant. Quæ autẽ assistunt, participes sunt maleficiorũ quæ ibi fiũt, sicut conuersæ sunt participes beneficiorũ quæ fiunt

à sororibus quæ nouerunt cantare. Signũ autem quòd chorea est processio diaboli, est hoc, quod tẽdit ad sinistrã. Ad hoc potest referri illud, quod legitur Prouer. 4. Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus: peruersæ verò sunt quæ à sinistris sunt. Cõtra sacramẽtum etiam ordinis quodammodo faciunt qui choreas ducunt. Sunt enim quasi simiæ clericorum, & tale seruitium diabolo offerũt, quale clerici Deo, & per cantus earum cantus ecclesiastici contemnitur & negligitur. Qui enim deberent interesse vesperis, intersunt choreis. Cõtra sacramentum matrimonij etiam fit ibi: & quia maritis multũ ibi detrahitur, quibus dicitur, Pour mon mari fi &c. & multi incitantur ad faciendũ cõtra matrimonij fidem: apertè etiam contra matrimonij legẽ ibi prædicatur: vt cum cantatur, quòd pro paruo marito vxor dimittere non debeat quin amicũ habeat, cum secundũ legẽ Dei etiam leprosum dimittere non debeat, quin loco & tempore ei debitũ reddat, si ipse voluerit. Faciunt etiã contra sacramentũ confirmationis, in quo in fronte signum crucis susceperunt tanquam emptæ passione Christi. In choreis verò signo crucis abiecto, signum diaboli in capite proprio posuerunt, signum scilicet venalitatis, quasi Christus non emerit eas. Posuerat Christus vexillũ suum in fronte earũ tanquam in eminentiori parte castri sui, & ipsæ vexillum diaboli pro eo posuerunt, non absq; magna contumelia Christi. Faciunt etiam contra sacramentũ pœnitẽtiæ, per quã Deo reconliatæ erant in Quadragesima, dum pacẽ illam frangũt, & in exercitũ diaboli addunt. Faciunt etiam cõtra sacramẽtum altaris: quia ad mensam Dei panẽ cælestem susceperunt, & post nihilominus Dei terrã igne incendunt, similes Iudæ, qui cũ comedisset ad mensam domini, accepit cohortem, & à pontificibus & pharisæis ministros, & venit contra Iesum: vt habetur Io. 18. Contra sacramentum vero extremæ vnctionis paucæ possunt facere, quia paucæ illud susceperunt. Si quæ tamẽ illud susceperunt, faciunt cõtra illud, quãdo sanitatem acceptam à Deo, in sacramento illo expẽdunt in contumeliam largientis. ¶ Sextũ, per quod potest ostẽdi quàm malũ sit choreas ducere, est multitudo peccatorum quæ committunt personę quæ choreas ducunt. Peccant enim gressu, ornatu, cantu tactu, visu, auditu &c. Gressu peccant, nullũ enim passum faciunt qui non bene numeretur. Vnde Iob 31. Nonne ipse cõsiderat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat? Ornatu verò peccant quinq; modis. Primo, quia inde superbiunt. Secundo, quia corda intuentium ad luxuriam accendunt. Tertio, quia aliis qui non habent similes ornatus erube-

scentiam faciunt,& dant eis occasionem concupiscendi similia. Quarto, quia reddunt eas querulas & molestas maritis suis. Quinto,quia si similia a maritis suis habere nō possunt,per peccatum ea aliunde habere volunt. Cantu etiam peccant multipliciter. Primo, quia attrahunt corda aliquarum personarum quæ non sunt iuris sui: vt sunt iuuenes maritatæ vel filię familias quibus mariti vel parentes prohibēt ne eāt ad choreas,& tamē adeò attrahunt corda earum,ꝙ vadūt,& in reditu mariti vel parentes verberant eas,iurant, litigant, & multa alia mala occasione ista faciunt. Propter hoc comparantur cantatrices Sirenis. Esaiæ 13. Vbi sic legitur, Respondebunt ibi vlulæ in ædibus suis & Sirenes in delubris voluptatis. Vlulæ aues sunt, quę rostro in palude fixo strident. Vnde significant cantatrices quę rostro cordis fixo in palude luxuriæ cantant. Sirenes sunt secundum quosdā pisces marini in specie muliebri,quæ cantu suo dulci homines decipiunt. Delubra vocat loca in quibus voluptuosi vacant voluptati,vt eos insinuet esse idololatras. Secundo cantus earum tentat etiam corda sanctorum. Et est illa sagitta diaboli inevitabilis,à qua non defendit murus,nec aliquid tale. Abornatu potest homo abscondere se,sed à cantu non sic. Tertio, quandoque potest esse occasio mortis alicui infirmanti cantus earū qui quiere indiget,& si quiesceret,curaretur: moritur autē,quia cāta-trices nō permittūt eū quiescere. Quarto, assistētes ad libidinē inflāmat. Sicut cātus ecclesiasticus excitat ad spiritualē deuotionē, sic talis cantus ad libidinē. Quinto,corda audiētiū inebriat vino gaudij tēporalis. Vnde quasi ebrij Dei obliuiscūtur omninò,& etiā se ratione nō regunt. Præter hęc interdū est in cātilenis earū turpiloquiū, & interdum mendaciū cōtra legem Dei. vnde mirum est, quomodo apud Christianos hoc toleratur, quòd inter eos çontra legem eorum prædicetur, cū apud gentiles statutum sit, vt quicunque contra lgem eorum prædicauerit, interficiatur.

¶ *Quòd fatuum sit in præsenti choreas ducere, vel alia signa lætitiæ habere.*

OSTENSVM est quantum sit periculum chorearū: cōsequenter est ostendēdum quàm fatuum sit in præsenti vita choreas ducere, vel alia signa lætitiæ habere. Fatuitas verò ista satis apparebit nobis, si diligenter attendamus vbi sumus,& quo tendimus. In prima consideratione inuenimus nos esse in exilio, in valle miseriæ & lacrymarum, & in regione vmbræ mortis. De primo dicit Aug. Nescimus quo fine claudimur in exilio isto. Et in Psal. Quomodo cantabimus canticū domini in terra aliena? Si

Si viris sanctis graue est cantare in terra aliena etiam canticum domini, quid debet esse de cantico diaboli? De secundo etiam dicit Augustinus: In valle miseriæ sumus, in qua eo magis flendum, quo minus flemus, qui deberemus esse in cælo vel saltem in terrestri paradiso, qui est locus amœnissimus vsque ad globū lunarem attingens, nunc heu sumus in valle miseriis plena, vbi interdum infixi sumus in limo profundi vsque ad genua, vbi ventis & grandine & pluuiis impugnamur, vbi aduersantur nobis quæ ad seruiendum nobis creata sunt quædam animalia: vt lupi, leones, & serpentes quærunt nos interficere, & quædam non permittunt nos quiescere, nec de die, nec de nocte, vt pulices & similia. Quædam nobis volunt eruere oculos, vt culices & similia. Ad tertium pertinet quod legitur in Psal. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum. Quis locus est cantui vel risui in valle lacrymarum? Ideo dicitur Eccle. 2. Risum reputaui errorem. Et Aug. dicit super Ioan. risum talium esse phreneticorum. Et Eccl. 22. dicitur quòd musica in luctu importuna sit narratio. Sicut importuna esset narratio eius qui narrationem suam proponere vellet, licet omnes imponerent ei silētium: sic importuna est narratio illorum, qui in risu & lætitia sunt in mūdo isto, cùm omnia ad fletum moueant quæ in hoc mundo videtur, si verè agnoscantur. Vnde Eccl. 1. Qui addit scientiam, addit & dolorem. Mala præsentis vitæ per se & immediatè luctum inducunt: bona verò præsentia inducunt causam luctus: id est, peccatum. Quocunque homo se vertat, videt vnde flere possit & debeat. Si sursum respiciat, videt patriam cælestem, à qua exul est, incertus vtrum vnquam ad eam sit peruenturus. Si deorsum respiciat, videt sepulchrum suum terram scilicet in quam necessariò reuertetur. Si ad dextram prosperitatis, & ad sinistram aduersitatis se vertat, videt quòd cadunt à sinistris mille, & à dextris decē millia. Si autem respiciat antè, in promptu sunt multæ causæ flendi. In occulto verò, id est, à tergo, sunt multo plures. Plura enim sunt pro quibus flere debemus quæ non videmus, quàm ea quæ videmus. Quis potest locus esse risui inter tot Dei iniurias, inter tot proximorum miserias, inter tot fratres nostros, quos quasi in feretris peccatorum iacere videmus? Corpus peccatoris quasi feretrum est, in quo mortuus spiritus iacet. Talia meditabatur Ieremias, cùm diceret, Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo interfectos filiæ populi mei? Ierem. 9. Quis deflere non debeat, vbi ad fletum monet ipse Deus & verbo & exemplo? Verbo, vt Luc. 6. Beati qui nunc fletis

quia

quia ridebitis. Et pòst, Væ nobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. Exemplo verò Luc. 19. vbi post gaudium & cantũ cum quo suscepérant eum in Ierusalem venientem, subiungitur: Et vt appropinquauit videns ciuitatem, fleuit super illam dicens: Quia si cognouisses, & tu. innuens cantum huius vitæ & gaudium ex cæcitate prouenire. Bernardus: Compatitur Dei filius, & plorat: homo patitur, & ridebit. Etiam ad fletum monent paruuli, qui nondum sunt vnius diei. Augustin. Puer à ploratu incipit, nec ridere potest propheta calamitatis. Lacrymæ sunt testes miseriæ: nondum loquitur, & iam prophetat. Erubescant cantatrices ibi non flere, vbi infans qui nondum est vnius diei, prædicat esse flendum. Quod autem simus in regione vmbræ mortis, patet ex illo verbo Lucæ 1. Visitauit nos oriens ex alto: illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent ad dirigẽdos pedes nostros in viam pacis. Ad idem potest referri quod legitur Esa. 9. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. ¶ Potest autem vocari vita ista vmbra mortis: quia magis assimilatur morti quàm vitæ. Vel propter proximitatem quam habent ad mortem culpæ illi qui hic viuunt vita gratiæ. Omnia enim quęrunt mortem spiritualem eorum. Vnde Dauid, Inimici mei circundederunt animam meam. Item Hieronymus: Gladium tenet hostis vt me perimat. Ex omni parte sunt pericula spiritualia & laquei. vnde Guido Cartusiensis: Laqueos bibis, comedis, vestis, dormis. Omnia sunt laqueus. Vmbra etiam mortis potest dici, propter proximitatem quam habẽt ad mortem pœnæ æternæ, qui in peccato sunt. Quasi ad portam inferni sunt tales, ita vt inter eos & infernum non sit nisi transuersum corporis, vt si à corporibus recedant animæ, statim quasi in puncto sint in inferno. Dauid: Appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Iob 21. Tympanum & citharam tenent & gaudent ad sonitum organi: ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Illa etiam pars mundi in qua sumus, quasi stabulum est in domo Dei. Quæ domus tota est machina mundi. Palatium eius est cælum. Et quale est in hoc stabulo sordido choreas ducere? Ad hoc valet quod legitur Luc. 10. Imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, vbi glo. non domum, sed stabulum dixit: quo nomine miserias & fœtores huius vitæ designat, ne homo in hoc exilio quasi in patria gaudeat. Sed hunc fœtorem non sentiunt qui fœtidi sunt. Vnde Bern. Vbi omnes fœtidi sunt, fœtor vnius minimè sentitur. Si quis etiam attendit quò nos tendimus, satis videbit quòd fatuũ hic est cantare vel choreas ducere: quasi enim duci-

ducimur ad mortem. Sen. Omnes supplicio capitali condemnati sumus. Et August. Nihil aliud est tempus huius vitæ, quàm cursus ad mortem. In quo nemo paululum stare vel tardius ire permittitur, sed vrgentur omnes pari motu. Singulis diebus facit homo dietam vnam ad mortem corporis. Et talis est proximus morti, qui se credit remotum. Ad hoc potest referri quod narrat Greg. in dialogo de Fortunato, qui audiuit quendam vnam simiam ferentem qui ante portam suam cœpit cymbalis ludere, & clamauit: Heu heu mortuus est infelix iste. Et post cibum sibi datum quum egrederetur ianuam, saxum cecidit in verticẽ eius, altero die funditus vitam finiuit. Quale est hoc, hominum mortẽ condemnatum, cum choreis & instrumẽtis musicis ad tormẽtum suum ire? Ad mortem suam cantando & lætando vadunt qui choreas ducunt. In hoc cygno sunt similes, qui ante mortem cãtare dicitur. Quale etiam est hoc, ad districtissimum iudicium ire, lætando, præcipuè cum sentiat se homo in tot & tantis culpabilem. Ad hoc pertinet quod legitur in Vitis patrum de quodam patre, qui videns quendam ridentem ait: Reddituri sumus rationem de vita nostra coram cælo & terra, & tu rides. Ad idem potest referri exemplum de rege illo qui memor malorum suorum & diuini iudicij gaudere non poterat. Qui interrogatus super hoc à quodam fratre suo, voluit ei causam ostendere: vnde misit buccinatores suos ad portam fratris sui, quod secundum cõsuetudinem illius regni certum signũ erat mortis. Deinde quum frater regis ad regem esset adductus, & non modicum timeret & valde tristis esset, requisiuit rex quare non gauderet: qui cum respondisset ei, Quomodo in statu tali possem gaudere? Indicauit ei rex causam tristitiæ. Si enim ille tantum timebat qui sciebat regem esse fratrem suum, qui in nullo se sciebat regem esse culpabilem apud eum, quia aliqua signa offensæ regis audierat: meritò timere potest qui tot & tantis scit se esse culpabilem, non apud fratrem, esse apud dominum maiestatem.

De aliis remedijs contra Luxuriam, CAP. IIII.

SEquitur de aliis remediis contra peccatum Luxuriæ. Et cùm luxuria nõ sit qualiscũque ignis scilicet ignis infernalis, summum remedium contra ipsam est oratio: vnde sicut ille qui patitur morbum illum qui ignis infernalis dicitur, alicubi se facit referre ad ecclesiam beatæ Mariæ Virginis, vt Parisiis: alicubi ad sanctum Antonium, nec inde recedit donec curatus sit: Sic qui ignem luxuriæ sentit, toto corde deberet se conuertere ad Deum & ad suffragium sanctorum, & non deberet cessare donec accepisset

pisset sanitatem,& pòst deberet sequi gratiarum actio,& singulis diebus redderе deberet homo Deo & sanctis aliquem sensum vel seruitium in signum liberationis: quia scriptum est, Eruam te, & honorificabis me. Si quis tanto ardore quæreret curationem ab isto igne infernali, quanto quærit curationē ab illo, vix non esset quin impetraret. Hoc remedium docemur Sapient.8. vbi sic legitur: Vt sciui quoniam aliter non possum esse continens nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum, adij dominum,& deprecatus sum illum. Specialiter autem valet contra peccatum illud beata virgo Maria, quæ sic amatrix est munditiæ in se, sicut in aliis. Et specialiter aliquod seruitium faciendum esset, vt ab hoc igne liberaret. Tamen in hac parte cauendum est à temerariis votis. ¶ Quintum remedium est, honesta occupatio: quia, Otia si tollas, periere Cupidinis arcus. ¶ Sextum est, aqua sapientiæ salutaris. Vnde in Canonica Iacob 3. Quæ desursum est sapientia, primum quidem pudica est, id est, pudicum reddens. Vnde Zachariæ 9. Vocatur vinum germinans virgines: id est, virginales affectiones. Et dominus Ioannis 15. Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis &c. Hieronymus: Ama sacras literas, & carnis vitia non amabis. Et Sap. 8. vocatur sponsa. vbi sic legitur. Quæsiui sponsam mihi eam assumere. In quo verbo insinuatur quòd adhærere sapientiæ, sit remedium contra illicitas delectationes carnis. ¶ Septimum remedium est eleemosyna. Vnde super illud 1. ad Timot. 4. Pietas ad omnia vtilis est. dicit Ambrosius, Si quis misericordiam sequitur, si lubricum carnis patiatur, vapulabit quidem, sed nō peribit. ¶ Octauum remedium habet hoc vitium commune cum vitio gulæ. Et hoc remedium est consideratio mortis, vel status, in quo caro post mortem futura est: quia iuxta verbum Gregorij, Nihil adeò valet ad domanda carnis desideria, sicut cogitare semper qualis caro sit futura mortua, sicut in tractatu de Gula diximus.

De prohibitione simplicis fornicationis. PARS V. *Quæ habet quatuor capitula.*

De ordine dicendorum in ista parte. Et quòd simplex fornicatio sit prohibita, ostenditur authoritatibus. CAP. I.

QVinto loco in tractatu de Luxuria est dicendum de simplicis fornicationis prohibitione. De qua hoc ordine dicemus. Primo ostendemus simplicem fornicationem prohibitam esse. Secundo ostendetur eam prohibendam fuisse. Tertio ostendemus quæstionē illā, qua quæritur quare Deus prohibuit simplicem fornicationē, diabolicā esse & irrationabilē & irrisione dignā. Quarto ostendemus, quòd egit Dominus misericorditer cū genere humano, quum simplicem fornicationem prohibuit: quū possit tamen alicui contrariū videri, ex hoc quòd ferè totus mundus perire propter prohibitionē istā videatur: & quia hæc prohibitio videtur esse cōtra multiplicationē humani generis. ¶ Quòd autem simplex fornicatio sit prohibita, probatur, Primo ex hoc quod legitur Deut. 23. Non erit meretrix de filiabus Israël. Secūdo ex hoc quod legitur 1. ad Cor. 6. Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum cōcubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque raptores regnum Dei possidebunt. Tertio ex hoc quod legitur ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio &c. Et subiungitur: Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. Quarto, ex hoc quod legitur ad Ephes. 5. Hoc scitote, intelligētes quoniam omnis fornicator, aut immūdus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Quinto ex hoc quod legitur Act. 15. quòd dixerunt Apostoli & seniores fratres: Visum est spiritui sancto & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine, & suffocato, & fornicatione. Vbi dicit glo. interli. Necessaria sunt sine quibus non est salus. Vnde quum fornicatio ibi numeretur nisi quis ab ea abstineat, non saluatur.

Quare dominus prohibuerit simplicem fornicationem. CAP. II.

OCto autem sunt per quę potest ostendi quòd simplex fornicatio prohibenda fuit. ¶ Primum est sterilitas, quæ frequēter est in illis, quæ indifferenter omnibus se exponunt. Si enim passim se omnibus exponere reddit eas steriles, sicut procurare sterilitatem contra legem naturalem est: sic exponere se, contra legem naturalem erit. ¶ Secundum est, quòd educatio prolis de naturali lege ad patrem pertinet, & educare eam non potest nisi eam agnoscat. Agnoscere verò prolem suam non potest pater, nisi matrem vt propriam habuerit. Vnde patet quòd concessio simplicis fornicationis quæ impedit ne pater prolem suam educat, quodammodo est contra legem naturalem. ¶ Tertium est, crebra interfectio prolis quæ sequitur ex fornicatione, & crebrior sequeretur si esset concessa. Matres enim non potentes proli prouidere, nec habentes auxilium à patre, suffocarent sæpe eam: sicut & hodie aliquæ faciunt. ¶ Quartum est hoc, quòd vir reddit mulierem impotentem ad proui-

videndum sibi,& tempore quo est grauida,& quo iacet de prole, & quo occupata est circa prolē educandam:quare videtur de lege naturali obligatus esse ad prouidendum ei tempore tali, quod concessio fornicationis impediret. ¶ Quintū est hoc,quòd ita displicet viro quando vel vxor vel concubina se concedit alij viro.Secundum enim legem naturalem non deberet se coniungere alij mulieri, ex quo simile nollet fieri vllo modo. ¶ Sextum est,naturalis æquitas, quæ requirit hoc ne aliquis homo plus quàm vnam habeat,ne fortè sit aliquis qui nullam habeat.In æquali numero fuerunt formati à principio vir & mulier : nec est certum vtrum numerus per generationē amplius creuerit. Vnde sicut aliquis paterfamiliâs qui habet quatuor domos & quatuor filios, ordinat quòd vnus nō habeat nisi vnam, ne sit aliquis qui nullam habeat:sic Dominus ordinauit vt vir vnus non habeat nisi vnam mulierem. ¶Septimum est, pax generis humani. Si enim liceret cuilibet qualibet vti, sequerentur rixæ & odia, & multa homicidia.¶ Octauum est,quòd aliquæ aues sunt, quarum est talis castitas,quòd vna vni adhæret:vt pater in turturibus. Vnde quum non minor debeat esse castitas hominis castitate turturis,vnus vir vni debet adhærere mulieri.Indecēs est quod carnalior sit homo qui præter carnem habet spiritum rationalē, quàm auis quæ carnalitatem habet solū. ¶ Possunt autē præter prædicta tres causæ assignari quare Dominus prohibuit aliquas voluptates, & secundum gustum & secundum tactum. ¶Primo in signum domini. Vnde Augustinus dicit super Genes. Non erat vnde homo se dominum habere cogitaret, nisi ab aliquo prohiberetur. ¶ Secundum vt haberet homo vnde mereretur. Vnde Augustin.similiter super Genes.dicit, Oportebat vt homo sub domino positus ab aliquo prohiberetur, vt virtus merendi esset obedientia, quæ sola verissimè est virtus. Si enim nihil fuisset prohibitum vel præceptum,non posset aliquis male agere:& ideo non esset difficile, nec forsitan laudabile bene agere : quæ enim virtus est, si quis agat quod sibi placet? Sed in hoc est virtus magna, quòd homo contra propriam voluntatem facit, & conformat se voluntati Dei. Vnde Sapies : Hoc solum virtuti adiicies, quod propriæ voluntati detraxeris. Et poëta: Est virtus placidis abstinuisse bonis. Tertio vt homo assuescat proponere amorem Dei amori carnali.Ad amandum enim Deum super omnia tenetur homo ex illo mandato primo & maximo:Diliges dominum Deum tuū. Et ex sola transgressione huius mandati posset aliquis damnari, etiā si nullum aliud speciale mandatū transgrederetur. Quòd

Quòd fatuum sit quærere quare Dominus simplicem fornicationem prohibuerit. CAP. III.

SEquitur videre quomodo illa quæstio sit diabolica & irrisione digna,qua quæritur quare dominus prohibuerit simplicē fornicationem.Ideò verò diximus eam diabolicam,quia proposita est primo à diabolo talis quæstio,Gene.3.vbi dixit ad mulierem:Cur præcepit vobis dominus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Ideò verò diximus eam irrisione dignā:quia nullus proponeret alicui homini similem quæstionem,qui eum pro stulto non haberet.Si veniret aliquis ad aliquem ciuem, & diceret ei,Quare nō permittis filias tuas prostitui? quare vis eas maritari?Estis vos fatuus?diceret ipse. Quanto ergo potius ille fatuus potest reputari,qui de cælesti rege hoc audet quærere,quare ipse filias suas non permittit fornicari , quare vult eas vel castas permanere,vel nuptiis tradi?Præterea,quærere quare Dominus de re sua aliquid prohibuerit,est quærere quare Dominus in re sua ius aliquod vel aliquod signum dominij tenuerit:quā quę stionem patet stultam esse:vt si quis quærat à rege Franciæ, quare nō datis mihi totum regnum vestrum, vt nec aliquod signum dominij retineatis?Ibi permiserat dominus bonū omne lignum, præter vnum,bene debuisset ei sufficere.

Quòd Dominus misericorditer egerit cum hominibus, prohibendo eis simplicem fornicationem. CAP. IIII.

EX iam dictis patet manifestum esse quòd dominus misericorditer egit cum humano genere , quum simplicem fornicationē prohibuit viris, quia potius voluit eos habere fidele adiutorium,quàm tales qui furarentur eis quicquid possent furari. Concubinæ quæ nesciunt quandiu debent esse cum hominibus, furantur eis quicquid possunt.Cum mulieribus etiā in hoc misericorditer egit.Vidēs enim Dominus q mulieres habiturę essent laborem in portando prolem in vtero, dolorem in parturiendo, solicitudinē & occupationem & laborē in nutriendo, voluit viros ante opus carnale eis obligari in iuuādo eas. Cum prole etiā misericorditer egit.Frequēter enim periret proles,si simplex fornicatio esset concessa,vt prius ostendimus.Cum toto etiā genere humano dominus in hoc misericorditer egit , cuius paci prouidit.Misericorditer etiam egit cum genere humano, quòd ab illa voluptate hominem cohibere voluit in parte qua nullus vtitur nisi valde raro absque peccato. ¶ Ad id autem quod obiicitur,q ferè totus mundus perit propter prohibitionem illam:Dicēdum est,quòd fortè plures perirent, si non esset prohibita fornicatio,

Universidad de Deusto
Biblioteca

quã modo pereant. Quia vel perirent propter nimium amorem quẽ haberent ad mulieres. Vehemẽs enim amator propriæ vxoris, sicut dicit Ambrosius adulter est. Homines enim tunc nimis essent carnales: quia quẽ non alliceret vna, alliceret altera. Vnde Deut. 17. dicitur de rege, Nõ habebit vxores plurimas, ne alliciãt animã eius. vel perirẽt propter rapacitatẽ. Fornicariæ enim mulieres depauperãt homines, & fures reddunt: vel propter odium, quãdo auferretur ab aliquo illa quam amaret: vel propter aliud peccatum quod fornicationem sequeretur. Ad id autẽ quod obiicitur, q̃ hæc prohibitio est cõtra multiplicationẽ generis humani, in parte patet solutio ex hoc quod dictũ est prius, q̃ illæ quæ omnibus supponuntur, steriles efficiuntur. Præterea, Dominus nõ facit magnã vim in paucitate vel multitudine hominũ. Vnde Ec. 16. Ne iocunderis in filiis impiis, si multiplicentur. Et subiungitur: Melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et vtilius est mori sine filiis, quã relinquere filios impios. Et Eccl. 15. Non concupiscit dominus multitudinem filiorum infidelium & inutilium. Scit enim dominus quòd melius fuisset malis mori sine filiis, quàm relinquere filios impios. Vnde Dominus bene præcepit vel cõsuluit illud. Ex quo hoc sequitur, q̃ pauciores sint homines: quoniam videlicet ad hoc quòd plures saluentur, vel ad hoc meliores sint qui saluentur. Vnde ipse consuluit castitatẽ & virginitatem, & similia. Prohibitio verò fornicationis saltem ad hoc valet, quòd perfectiores sint qui saluantur. Nota peruersitatem quorundam hominum, quibus ibi displicet proprietas, vbi Deo placet, in mulieribus scilicet: & ibi placet, vbi Deo displicet, scilicet in possessionibus.

De allegantibus impotentiam continendi. PARS VI. *quæ habet duo capitula.*

De diuersis testimoniis scripturarum contra illos qui dicunt se non posse continere. CAP. I.

VLtimo in tractatu de Luxuria, dicendum est aliquid de impotentia continendi, quam multi allegant. Et primo ponemus diuersa testimonia scripturarum, quibus contra eos qui hoc dicũt possumus vti. Deinde ponemus multas rationes, quibus cõtra tales vtẽdum est. ¶ Et inter testimonia, Primò occurrit illud Gen. 4. q̃ dicit Dominus ad Cain, loquens de peccato: Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Vnde quasi mendacium Deo imponunt, qui dicunt se non posse abstinere à peccato. ¶ Secundo occurrit illud Iob 6. Aut poterit aliquis gustare, q̃ gustatus affert mortem. Ex quo verbo videtur, q̃ potius deberet homo dicere,

cere, Non possum fornicari: quàm, non possum continere. Et in veritate qui perfectam fidẽ haberet, quòd delectatio fornicationis esset venenata, sic faceret. Nónne si apponeretur alicui cibus amarissimus vel venenatus, ipse statim diceret, Non dossum aliquo modo comedere? voluptas verò prohibita est venenata & morte amarior. Vnde Eccl. 7. Inueni amariorem morte mulierẽ. Quod intelligitur de voluptate, quæ est morte amarior: quia hic morte culpæ interficit: in futuro verò interficit morte æterna, tam corporis quàm animæ. Ad idem potest adduci quod legitur Eccl. 15. Apposuit tibi aquam & ignẽ: ad quod volueris, porrige manum. Et pòst: Ante hominẽ vita & mors: bonum & malum: quod placuerit, dabitur ei. Ad idem facit illud Apostoli: Fidelis est Deus, qui non permittet vos tentari supra id quod potestis. & Matt. 11. Iugum enim meũ suaue est, &c. Quomodo enim leue est, si est importabile? Et illud 1. Ioã. 5. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Ad idem potest referri illud Hiero. Maledictus qui dicit Deum præcepisse impossibile. Idem: Violentiam facit Deo, qui petit ab eo quod soluere non potest. Ius enim iustitiæ humanæ est, non esse licitum petere ab homine quod soluere non potest. Quòd si verum est, multo fortius non est licitum iustitiæ diuinæ petere hoc. Idem: O prophana temeritas, ô vesanorum insania. Deũ scientiæ duplici ignorantia condemnatis: scilicet q̃ nesciat quid fecit, q̃ nesciat quid iusserit, quasi imposuerit mandatũ quod impleri non possit. Proh nefas, imponitis iniquitatem iusto, crudelitatem pio, acsi vos quod suspicari sacrilegium est, ad salutem non fecerit, sed ad pœnã. In qua authoritate insinuat Hiero. illos esse blasphemos, qui dicunt se nõ posse continere. Deo enim imponunt ignorãtiam, iniustitiã & impietatem. Cõtra tales potest etiã adduci illud Aug. Nemo peccat in eo quod vitare non potest. Et illud, Peccatũ adeò est voluntarium, q̃ si nõ est voluntarium, nõ est peccatũ. Et illud Sen. Omitte excusationes, nemo peccat inuitus.

Rationibus ostenditur, quòd fatui sint qui dicunt se non posse continere. CAP. II.

COnsequenter sunt rationes ponendæ, quibus vti possumus contra eos, qui dicunt se non posse continere. ¶ Primò ergo dicimus illis, quòd ipsi faciunt verecundiam sibiipsis, & cõfitentur suum magnum opprobrium. Cõfitentur enim vilissimam partem quę in eis est sibi dominari, & adeò perfecta dominatione quòd oportet fieri, quòd illa pars imperauerit, & hoc cũ vigiliis multis, cũ laboribus multis & expensis, cũ periculo animę, &

etiam corporis quandoque. Bene videtur cor amisisse qui talem seruitutem tolerat: melius esset tolerare seruitutem leprosi vnius, quàm istam. Vnde rectè numeratur fornicatio cum his quæ auferunt cor. Osee 4. Fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor.

¶ Secundò dicimus quòd in talibus hominibus est impotentia, quæ non videtur esse in paralyticis hominibus. Non enim possunt sedere, nec iacere. Si enim hoc possent, diabolus non ferret eos ad locum in quo fornicarentur. ¶ Tertiò dicimus quòd cum dignitas ista sit data homini præ cæteris animalibus, quòd liberũ habeat arbitrium, ipsi nõ solum similes facti sunt brutis, imò etiã inferiores. Minus enim habent libertatis quàm bruta, & quodãmodo magis habent brutalẽ cõcupiscentiam, & maiori seruituti subiectam. Piscis enim temperat se ab esca si hamum videat, & auis à granis si laqueum videat: miser verò homo timore mortis æternæ non potest se temperare ab esca voluptatis momẽtaneę.

¶ Quartò, dicimus ꝙ talis vno solo gartione præsente non auderet fornicari, sed sola verecundia cohiberet eum: quanto magis præsentia Dei & angeli qui sibi deputatus est ad custodiã, deberet eum cohibere? Boëtius in lib. Consolat. Magna nobis, si dissimulare non volumus, indicta est probitatis necessitas, cùm ante oculos iudicis agamus cuncta cernentis. Bern. In quouis diuersorio, in quouis angulo reuerentiam habe angelo tuo, nec audeas illo præsente quod me vidente non auderes. Versificator: Cùm quid turpe facis quod me cernente ruberes: Cur spectante Deo non magis ipse rubes? Non est dicendum quòd equus non possit cohiberi ex quo modico fræno cohibetur: sic non debet dicere, non possum me cohibere à peccato carnis ille quem frænum erubescentiæ cohiberet. ¶ Quintò, dicimus quòd non est verisimile, ꝙ domus alicuius hominis eo inuito cõburatur, ex quo ipse voluntariè ignem apponit. Ignẽ propriis manibus in domo corporis sui apponunt, qui cibos & potus ad libidinem excitãtes sumunt. ¶ Sextò, dicimus quòd non debet dicere infirmus, nõ possum curari, qui solũ propter hoc nõ curatur, quia cõsilio non acquiescit. Hæc est sola causa quare laborãtes in infirmitate spirituali non curantur, quia cõsilio cælestis medici non acquiescũt. Illa quæ ad consilium corporalis medici proprios crines deponeret, ad cõsilium spiritualis medici non vult deponere alienos. Vsurarius qui corporali medico proprios daret denarios, ad cõsilium spiritualis non vult restituere alienos. ¶ Septimò, dicimus ꝙ nulla est eius excusatio, qui castrum fidei suæ commissum hostibus domini sui vili pretio reddit, muris adhuc integris succur-

su non postulato à domino suo, nec expectato: cùm sciat eum & posse, & velle subuenire ei. Nec est credẽdum ei à domino suo, si dicat, non poteram me tenere. Omnia ista facile est videre in eo qui pretio vilis voluptatis castrum corporis sui tradidit diabolo in primo cõflictu tentationis, nõ misso nũtio orationis ad dominum pro succursu, quũ dominus possit ei subuenire, & velit. Nõ vult enim exhæredari. Vnde Apostolus: Fidelis Deus qui nõ permittet vos tẽtari supra id quod potestis: sed faciet etiã cũ tẽtatione prouẽtum, vt possitis sustinere. ¶ Octauò, dicimus ꝙ nõ videtur inuitus mori qui voluntariè mortẽ suã carè emit: nec inuitus capi, qui hostes insequitur, & inter manus eorum se ponit, quum sciat se eis non posse resistere, quum sola fuga securus possit esse. Sic non debet dicere, Non possum continere, qui consortia mulierũ nõ vult fugere, quũ debilẽ se agnoscat. ¶ Nonò, dicimus ꝙ si talis qui dicit se nõ posse continere, haberet tantã voluntatem continẽdi quantã habet vinũ suũ custodiẽdi, de facili cõtineret. Si tanta diligentia obstrueret sensus corporis sui, cum sentit cõscientiã per eos aliquantulũ damnificatã, quãta diligẽtia obstruit foramẽ dolij sui, cùm perpẽdit per illud aliquãtulum vini exisse? ¶ Decimò, quærimus ab eo qui se non posse cõtinere dicit à quo cogitur ad fornicãdum, vtrum à diabolo, vel à carne, vel ab ipsa muliere? A diabolo nõ, cùm dicat de eo Greg. Nõ est timẽdus hostis qui non potest vincere nisi volentẽ. Super illud Matt. 4. Si filius Dei es, mitte te deorsum. dicit Gl. In quo infirmus ostẽditur, cùm nulli nocere possit, nisi ille prius se deorsum miserit. Si dicat se à muliere cogi, ridiculum est hoc, cùm potius ipse eam cogat. Si à carne, ille hanc excusationem non recipit qui ei dominium carnis dedit. Vnde Gen. 3. dicitur ad mulierẽ quę tenet figurã carnis: Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. ¶ Vndecimò, quærimus à tali quo modo ipse intelligat hoc, Non possum cõtinere: vtrum sic intelligat, nõ possum continere etiam si velim: vel sic, non possum, quia nolo? Si primo modo, patet hoc esse falsum: quia si impulerit eum timor vel cupiditas ad hoc quod velit tam cito, potest cõtinere. Verbi gratia: Si debeat lucrari ex cõtinentia sua mille marcas, vel castrũ, vel ciuitatẽ, vel domũ, vel si sciat se tã cito post peccatũ amissurum pedẽ suũ, vel aliud mẽbrum, vel si videat sibi paratum lectũ igneum in quo oporteat eũ iacere, cũ à lecto mulieris surrexerit. Vnde Bern. Ignosce domine, ignosce, excusamus, tergiuersamur, vix est aliquis qui in eis quę ad te sunt experiri velit quid possit etiam quod promptissimè secundũ carnẽ potest vel secundum seculũ, siue timor impulerit, siue cupidi-

tas traxerit. Si Secundo modo intelligat, non possum continere, quia nolo: igitur non est non posse in causa, sed potius non velle in culpa, iuxta verbum Aug. ¶ Duodecimò potest quæri ab ipso qui dicit se non posse continere, vtrum intelligat quòd nō potest continere suis viribus sine Dei auxilio, aut intelligat quòd etiam adiutus à Deo non possit. Si secundo modo, hoc est manifestè falsum, & etiam sapit hæresim. Si primo intelligat, hoc planè verum est. Sine adiutorio enim diuino nihil possumus. vnde Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Et 2. Cor. 3. Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est. Et Aug. Domine, sine te nihil sunt omnes conatus mei. Et Sapien. 8. Vt sciui quoniam aliter non possum esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum eum. Mat. 19. Cū quærerent discipuli, quis potest saluus esse? Respōdit Iesus: Apud homines impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt, vbi dicit interlin. Impossibile est apud homines vt per se à suis cupiditatibus conuertātur. Et Ioan. 7. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum. Hoc autē valde vtile est ostēdere hominibus, q̄ viribus suis saluari non possunt, nec à peccato abstinere. Hoc enim persuaso eis, potest eos monere homo ad tria valde vtilia: ad eorū iustificationē scilicet, ad excutiendā quandam stultam præsumptionē, & fiduciā qua credunt se conuerti quādo voluerint. De qua legitur Eccl. 29. Repromissio nequissima multos perdidit. Mira insania: ille qui non potest, cùm liber est, diabolo resistere, sperat cùm ab eo captus erit & ligatus, viribus suis de manibus eius liberari, quum scriptum sit Iob 41. quòd factus est vt nullum timeret, & non est potestas in terra quæ ei valeat comparari. Qui in mortali est, captus est & ligatus. Vnde Prou. 5. Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorū suorum quisque constringitur. Item qui non potest se tenere ne ad impulsum tentationis cadat in foueā peccati: quomodo sperat se confractum casu, cōsuetudine pressum, aggere peccatorū obrutum à tam profunda fouea per se exire eo qui impulit ei resistentes? Imò quod amplius est, sperāt homines cū morte spirituali mortui fuerint, seipsos posse resuscitare. Et vt breuiter dicam, in præsenti se nihil posse asserunt: sed in futuro, quando ex se erunt impotentiores & Dei adiutorio minus digni, quia eū diutius offenderunt, quando etiam diabolus magis laborabit ad impediendū salutem eorum. Ipse enim calcaneo insidiatur: id est, fini hominis. Quod haberi potest ex hoc quod dictum est serpenti Gen. 3. Tu

Tu insidiaberis calcaneo illius. Tunc, inquā, omnia se posse præsumunt. ¶ Secundò potest homo monere eos ad hoc quòd gratiā eius studeant sibi cōparare: sine eius auxilio cōuerti non possunt eleemosynas suas largiēdo, orando Deū, & suffragia sanctorum & virorū iustorū implorādo. ¶ Tertiò nō possunt moueri ad hoc ne fingant se quin faciāt quod possunt, etiā aliqua quæ videntur sibi difficilia. Dominus enim nō vult iuuare eos qui se nō iuuāt: imò quasi fingit se, quia ipsi fingūt se. Vnde Sap. 1. Spiritus disciplinæ effugiet fictū. ¶ Item potest sic quæri ab eo qui dicit se cōtinere nō posse. Aut vis continere, & non potes: aut potes, & non vis. Si vis & nō potes, infidelis est Deus qui patitur te tētari supra posse tuū. Præterea nónne credis q̄ omnia possis cū eo qui omnia potest? Sicut vulgariter dicit qui nō habet nisi quinque solidos, Ego & rex habemus centū millia marcarū. Nō potest paruū esse illud posse, cuius defectum posse diuinū paratum est supplere. Si autē potes & nō vis, inexcusabilis es. ¶ Vltimò potest quæri à tali, an possit aliquo tēpore cōtinere. Quòd si dixerit sic per mensem: ostēdendū est ei quòd potius sperare debet q̄ sequēti mēse contineat quàm isto. Primò, quia cōsuetudo iuuabit eū. De qua Tullius: Optima forma viuēdi est eligenda, quā iocundā reddet assuetudo. Poëta: Quod male fers, assuesce, feres. Præterea sperare debet Deum esse paratiorem ad iuuandum, quum postquā per mensem pro amore eius cōtinuerit quàm antè, si tamen ex corde instāter hoc petierit. Itē quū ipse nō sit securus de vita non dico per mēsem, sed nec per vnā horā, qua ratione sperat se accepturū à Deo vitā, eadē debet ipse sperare se accepturū virtutem seruiendi Deo in vita illa, nec debet disponere se seruiturū diabolo in vita quā nondū habet. Nō debet similis esse operario ebrioso & lusori, qui prius obolum perdit, quàm illum lucratus sit.

TRACTATVS IIII.

De Auaritia.

De his quæ faciunt ad detestationem huius vitij. PARS I.
quæ habet nouem capitula.

De ordine dicendorum in isto tractatu. Et quòd natura dissuadeat Auaritiam. CAP. I.

POST vitiū Gulæ & Luxuriæ dicemus de vitio Auaritiæ: quia tractatus de vitio isto vtilior est prædicationi, quàm tractatus aliorum vitiorum. Hunc enim ordinē tradit Ber. vt id prius, quod maturius ad salutē. De quo vitio hoc ordine dicemus. Primò dicemus de his quæ

faciunt ad deteſtationem huius vitij. Secundò, de ſpeciebus eius. Tertiò, de his quæ fouent aliquo modo auaritiã in cordibus hominũ. Quartò, de remediis contra vitiũ illud. Quintò, tangemus de prodigalitate, quæ eſt vitiũ contrarium auaritiæ. Intelligimus autẽ auaritiã in hoc loco, indebitum amorem pecuniæ. ¶ Primò autem facit ad deteſtationem auaritiæ hoc, quòd natura diſſuadet nobis vitiũ iſtud, & quodãmodo eſt contra naturam. Voluit enim natura terrã infimã eſſe inter creaturas, & à pedibus omnium cõculcari, docẽs nos in hoc abſque dubio q̃ debemus conculcare pedibus mentis terrena iſta, & contẽnere. Quale verò eſt hoc, quòd homo Deo & creaturis omnibus præponat creaturam illã quã natura omnibus creaturis voluit poſtponi? Ad ſignificandum diuitias conculcãdas eſſe & contẽnendas, primitiui de eccleſia cælitus edocti, pretia domorũ & agrorũ ſuorum ponebant ad pedes Apoſtolorũ, vt legitur Actuũ 4. Vnde in fine eiuſdem capituli, vbi dicitur quod Ioſeph attulit pretiũ agri ſui quẽ vendiderat, & poſuit ante pedes Apoſtolorũ: dicit Gl. Docet calcandum eſſe aurum quod ſubdit pedibus apoſtolorum. Præterea cum anima ſecundum naturã ſublimior & purior ſit cælo tanquam Deo ſimilis, exaltata debet eſſe à terrenis iſtis, ſicut exaltãtur cæli à terra. Vnde ſicut valde mirabile eſſet & quaſi contra naturã ſi cælum adhæreret terræ: ſic quaſi contra naturã eſt cũ auaritia animã terrenis adhærere facit. Item anima cælum ſpirituale eſt. Dei enim habitaculum eſt. De quo cælo dicit Ber. Non mirum ſi libenter inhabitat cęlum hoc Dominus Ieſus, quod vtique non quomodo cæteros dixit tantũ vt fieret, ſed pugnauit vt acquireret, occubuit vt redimeret. Cõparatione huius cęli, vocat Dominus cælum materiale deſertum. Lucæ 15. Nónne dimittit nonagintanouem in deſerto? quãta verò peruerſitas eſt cælũ velle terra implere, vel ei terrã ſupponere? Quis locus terræ in cælo vel ſit per cælum? hãc tamen peruerſitatẽ vult auaritia facere.

De duodecim maledictionibus, quas facit ſacra ſcriptura auaris.

CAP. II.

SEcũdo faciunt ad deteſtationẽ huius vitij maledictiones quas facit ſacra ſcriptura auaris. De quibus ponemus has duodecim quę ſequuntur. Eſa. 5. Vę qui coniungitis domum ad domum &c. Et eiuſdem 32. Væ qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis? Habacuc 2. Væ qui cõgregat non ſua. Et in eodem, Vę qui cõgregat auaritiã malam domui ſuæ. Amos 6. Væ qui opulenti eſtis in Sion. Et in eodẽ: Vę vobis qui dormitis in lectis eburneis. Et Luc. 5. Væ vobis diuitibus. Et Iac. 5. Agite nunc diuites: plorate vlulantes in miſeriis quæ eueniẽt vobis. In epiſtola Iudæ, Væ his qui in viam Cain abierunt. Principiũ malitiæ Cain fuit auaritia: vnde in viam Cain abeunt, qui ſequũtur auaritiam. Et Apoc. 8. Væ væ habitãtibus in terra. Ad modum talparum ſunt auari. Et Aug. Vę illis qui viuunt vt augeãt res perituras vnde æternas amittũt. Idem: Maledictus diſpenſator auarus, cui largus eſt dominus. Si ſcires aliquẽ ſanctũ maledixiſſe ei qui aliquẽ cibum comederet, vix auderes eum comedere: quomodo ergo auarus audet cõtingere diuitias amore, quũ amatoribus earũ ſacra ſcriptura quę ex ore Altiſſimi prodiit, vt legitur Ecc. 23. tot maledictiones ponat?

De quatuor teſtimonijs Sacræ ſcripturæ, quibus oſtenditur magnitudo huius vitij. CAP. III.

TErtiò faciunt ad deteſtationem auaritiæ teſtimonia Sacræ ſcripturæ, quæ oſtendunt magnitudinẽ huius vitij. De quibus ponemus quatuor tãtum modo. ¶ Primum eſt Eccl. 10. vbi dicitur: Auaro nihil eſt ſceleſtius, id eſt, nullũ ſcelus maius eſt auaritia: etiam ſcelus Iudæ non videtur maius fuiſſe ſcelere auari, quantum ad hoc q̃ Iudas Deum dedit pro triginta denariis: ſed auarus quandoque dat eum pro vno denario, & quãdoque pro nihilo, quum non timet periuriũ incurrere, vt denariũ vnum lucretur, & quandoque non lucratur vnũ denariũ, quandoque nõ vendit illud pro quo periuriũ incurrit: & in veritate peccatũ Iudæ fuit auaritia vel ex auaritia. ¶ Secũdum teſtimonium ſimiliter eſt Ecc. 10. vbi dicitur, Nihil iniquius eſt, quàm pecuniã amare. Hic enim animã ſuam venalem habet, quoniã in vita ſua proiecit intima ſua. ¶ Quàm iniquus ſit amãs pecuniam, manifeſtari poteſt. Primò per hoc, quòd ſtatera æſtimationis ſuæ iniquiſſima eſt. Plus enim in ea ponderat obolus, quàm Deus, & quã anima ipſius auari, & quàm regnũ æternum. De hac ſtatera legitur Oſee 12. Chanaan in manu eius ſtatera doloſa. Chanaan interpretatur, negotiator. Hæc eſt ſtatera doloſa quæ abominatio eſt apud Deum, de qua Prou. 11. Et bene dicitur abominatio eſſe, quia non ponderãt ibi niſi temporalia, quæ Apoſtolus Philip. 3. ſtercora reputabat, quẽ non dimiſiſſet ſpirituſſanctus decipi in ſua æſtimatione. Secundò poteſt oſtendi iniquitas amãtis pecuniam, per hoc quòd in eo non eſt æquitas illa quæ eſt tam in creatore quã in cæteris creaturis. Creator enim cõmunicare vult & ſe & ſua. Similiter creaturæ ſua cõmunicant: vt ſol cõmunicat lumẽ ſuũ, & ignis calorẽ, & arbores fructus ſuos. Vnde Aug. Indiciũ maximum diuinæ bonitatis eſt, q̃ quælibet res cogitur dare ſeipſam. Auarus verò communicare non vult ſua niſi cùm à morte cogi-

tur. Nec etiam tunc frequenter, imò abscondita putrefiũt, creatura vna defectum alterius supplere cupit. Vnde natura nihil vacuũ patitur: auarus verò nõ curat defectus proximi sui supplere.

¶ Quòd auarus iniquus sit in Deum, in se, in proximum, & in inferiores creaturas.

TERTIO ostenditur iniquitas auari, per hoc quòd ipse est iniquus in Deum, & in seipsum, & in proximum, & in inferiores creaturas. In Deum iniquus est, quia bona sibi commendata à Deo ad dispẽsandũ, proditiose sua facit. Diuites enim dispensatores sunt diuitiarũ Domini. Vnde Apostolus 1. Corin. 4. Sic nos æstimet homo vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorũ Dei. Iniquus est in Deũ, quia vilissimã creaturã ei præponit. Iniquus est etiã in Deũ, quia inde hostis Dei efficitur. vnde amplius eum amare debuit: scilicet propter bona huius mũdi, quæ Deus sibi cõtulit. ¶ Iniquus in seipsum est, Primò quia seipsum inimicis suis vẽdit. Valde iniquus reputaretur aliquis qui proximũ suũ inimicis suis capitalibus venderet. Sed iniquior valde reputaretur, qui cognatũ vel fratrem vẽderet. Iniquissimus qui patrẽ, quẽ plus amare deberet. Sed multo iniquior videtur esse reputandus ille qui seipsum vendit, cùm amplius seipsum debeat amare quã patrẽ. Hæc causa innuitur cùm sequitur in verbo proposito, Ecc. 10. Hic enim animã suã venalẽ habet. ¶ Secũdò iniquus est auarus in seipsum, quia se euiscerat. Vnde Dauid, Tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Valde crudelis reputaretur, qui ventrem patris sui gladio transuerberaret, & viscera proiiceret: quomodo ergo iniquus nõ est, qui seipsum quem debet amplius amare, euiscerat? quod est desperare se. Desperatio enim maius peccatũ est cęteris. Ad hoc pertinet quod legitur in verbo Ecc. proposito: Proiecit in vita sua intima sua. ¶ Tertiò iniquus est in seipsum, quia amat ea quæ tot mala sibi faciunt: vt patebit inferius. Amat spinas diuitiarum, in quibus cõburẽdus est. Vnde Prou. 1. legitur de auaris, Ipsi cõtra sanguinẽ suũ insidiãtur, & moliũtur fraudes cõtra animas suas. ¶ Iniquus etiã auarus est in proximũ, quia sibi retinet quod pauperibus erogare debuit. Sicut eleemosynarius alicuius principis vel executor alicuius testamẽti iniquus esset, si ea quæ deberet distribuere pauperibus, sibi retineret. Iniquus est etiã in proximũ, qui quasi occidit eum, cũ fame eũ permittit perire, cùm potest subuenire. Vnde scriptũ est, Pasce fame morientẽ: ꝙ si non pauperis, occidisti. Vnde Ecc. 34. Panis egentiũ, vita pauperũ, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Præcipuè autẽ iniquus est auarus in eos, quos amplius debet amare: scilicet in filios

filios, quibus materiam incendij congregat infernalis, quibus molam asinariã ad colla suspendit, qua demergentur in profundum inferni, quos amore diuitiarum quasi ad collũ posito quodã funne hostibus infernalibus tradit. Iniquus est auarus in vxorem & in totam familiam suam quam strangulat, dum eos facit consentire peccato vsurarum. In creaturas verò inferiores iniquus est auarus, quia recludit eas in carcere custodiæ suæ, vbi eas putrescere facit. Vnde Iac. 5. dicitur auaris, Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras quasi ignis.

¶ Quòd auaritia sit idololatria, & auarus idololatra.

TERTIVM testimonium est ad Ephes. 5. vbi dicitur quòd auaritia est idolorũ seruitus. vbi dicit glossa: Auari Deus est nummus. Auarus est similis latroni minus bona pro melioribus commutãti, donec inuẽtus est & cõprehẽsus. Ægris dãtur à medicis cũcta quę desiderãt. Sen. Nũquã auarus bene facit, nisi cùm moritur. Aug. Nemo habet iustũ lucrũ sine iusto dãno. Vbi lucrũ, ibi & dãnũ: lucrũ in arca, dãnũ in cõsciẽtia. Tollit vestẽ & perdit fidẽ. Acquirit pecuniã, & perdit iustitiã. ¶ Quòd autẽ auaritia sit idololatria, vel Dei negatio, potest ostẽdi multipliciter. ¶ Primo per hoc quod super illud Mat. 6. Nõ potestis Deo seruire, & mãmonę. dicit gl. Diuitiis seruire, Deũ negare est. Duobus modis potest negare aliquis dominiũ alicuius principis, vel dicẽdo Ego nõ recognosco vos esse dominũ meũ, nec aliquid teneo à vobis. Si scirẽ vos esse dominũ meũ, vel aliquid me tenere à vobis, libenter soluerẽ vobis censum vel seruitiũ vestrũ. Item dicendo, bene recognosco quòd debetis esse Dominus meus, & censum debeo vobis, sed nihil soluã vobis: & hic modus negandi magis est contumelios⁹ Domino. Sic differt negatio qua mali Christiani negãt Dominũ Deũ, ab illa qua Gentiles negãt eũ. Multi enim Gẽtiles sunt, qui Christo libẽter seruirent, si scirẽt eum esse Dominũ suum: sed solũ propter hoc censum seruitij sui ei non reddũt, quia eius dominiũ non agnoscunt: sed Christiani bene agnoscunt eũ esse Dominũ suum, & tamẽ seruitij censum nolunt ei reddere, maiorem contumeliã faciẽtes ei, quàm Gẽtiles, quia sciẽter hoc faciunt. Secũdo potest ostendi per hoc quòd Deus præcipit auaro vt nomen eius nõ assumat in vanũ. Exo. 20. Et ex alia parte nũmus vnus quẽ lucrari cupit, præcipit ei vt nomẽ Dei assumat in vanũ. & ipse potius obedit nummo, quàm Deo, indubitanter ostendens se magis esse seruũ nũmi, quã Dei. Obediẽtia enim ostendit quem aliquis

verè

vere reputet dominum. Vnde dominus Luc.6. Quid vocatis me domine, domine, & non facitis quæ dico? Eccl.10. Pecuniæ obediunt omnia. Tertiò, potest ostendi per hoc, quòd auarus creaturam adorat interiori adoratione. Adorare enim aliquid, est summum honorē ei exhibere, vel diuinā maiestatē ei profiteri. Vtrunque verò facit auarus. Si enim occurrant ei duo, quorum alterum credat habere Deum, alterum diuitias, maiorem honorē exhiberet diuitiis in diuite, quàm Deo in alio. Hanc idololatriā insinuat nobis Salomon in Prouer. dicens: Multi colunt personam potētis &c. Coli ad Deum pertinet. In potente coluntur diuitiæ per se: diues verò per accidens. vnde quidam dominus Nūmi nobis hos præstat honores. Maiestatē etiam diuinam profitetur auarus creaturæ. Maiestas enim est quod signatur per hoc aduerbium Summè, cùm dicitur summè bonus, vel summè potens, vel aliquid simile. Facto autem profitetur auarus illud summè bonum quod summè diligit, & præ cæteris charum habet: & sic diuinam maiestatē profitetur auarus illi creaturæ quam diligit amplius quàm Deum. Prętere a cùm trāsit, ante pulchrā vineam vel domum, caput cordis inclinat ei. Inclinatio animi est amor, sicut dicit Dionysius. Interius ergo talem reuerentiam exhibet auarus vineæ vel domui, qualem verus fidelis exhibet Deo in imagine Crucifixi vel beatæ Virginis. ¶ Quartò, potest ostēdi per hoc, quòd auarus illa tria dat creaturæ quę propriè Deo danda sunt: scilicet fidem, spem & amorē. De fide satis potest ostendi, quia ipse melius sentit vel credit de diuitiis quàm de Deo. Credit enim quòd necessaria debet habere si diuitiis seruierit, & credit se fame perire, si Deo seruierit, quasi Deus possit minus vel minus velit seruientes suos remunerare quàm diuitiæ. Duabus de causis accidit quòd aliquis non prouidet ei quæ sibi videt fideliter seruire: vel quia non potest, vel quia nō vult: quarū neutra potest esse in Deo, cùm sit omnipotēs, & summè bonus. Spem etiā ponit auarus in diuitiis suis, quod quodāmodo de Deo desperare est. vnde Aug. De Deo desperare est spem in creaturis posuisse. Amorem etiam ponit ibi quem in Deo deberet ponere faciens inde Deū suū. vnde Aug. super epistolā ad Phil. Hoc ab homine colitur quod præ cæteris diligitur. Quinto hoc potest ostendi authoritate Hier. dicentis ad Rusticum monachū: Æstimato male pondere peccatorū, leuius alicui videtur peccare auarus, quàm idololatra: sed non mediocriter errat. Non enim grauius peccat qui duo grana thuris proiicit super altare Mercurij, quàm qui pecuniam auarè cupit, & inutiliter congregat. Ridiculum videtur quòd aliquis iudicetur

cetur idololatra, qui duo grana thuris offert creaturæ quæ Deo debuit offerre: & ille nō iudicetur idololatra, qui totum seruitiū vitæ quod Deo debuit offerre, offert creaturæ. Ad idē facit illud verbū Oseę 10. Secūdū multitudinē fructus sui Israēl multiplicauit sibi altaria, iuxta vbertatem terræ suę exuberauit simulachris. ¶ Quartum testimoniū est, illud verbū quod legitur 1. Tim. 6. Radix omniū malorū est cupiditas. Alia litera habet, Radix omnium malorum est auaritia. Ad auaritiam ergo quasi ad radicem omnium malorum præcipuè adhibenda esset securis prædicationis. Frustra laboratur in extirpatione malorum si rami amputantur, & radix ista relinquitur.

Quòd grauis infirmitas sit Auaritia. CAP. IIII.

QVarto facit ad detestationem auaritiæ hoc quòd inter infirmitates spirituales ipsa est pessima, vel vna de peioribus. Vnde Eccl. 5. Est infirmitas pessima quā vidi sub sole, diuitiæ conseruatę in malū domini sui. Pereūt enim in afflictione pessima. Inter infirmitates quędā sunt bonę, quędā sunt malę. Bonę sunt infirmitates corporis: quod ostenditur per hoc, quòd à summo bono, id est, à Deo, & quòd dantur à patre amantissimo, & per hoc quòd sunt vt cocturæ factæ in minus nobili parte hominis ad sanandū partē meliorē, scilicet animā. Meliora sunt, vt ait Salomō vulnera diligentis, scilicet Dei, quàm fraudulenta oscula odiētis, scilicet mūdi. Vulnera diligentis cocturæ sunt vt medicinalia: sed oscula odientis sunt vt morsus serpentini, vel venenati vel oscula Iudæ proditoris. Dicit enim mundus iste dæmonibus, Matth. 26. Quemcūque osculatus fuero, ipse est tenete eum. Infirmitates verò malæ, sunt infirmitates spirituales, scilicet peccata mortalia: quod potest ex hoc ostēdi quòd sunt infirmitates ad mortē, & ad ęternā mortē: & ex hoc, quòd medicū, scilicet Dei filium oportuit venire de tam longinquis partibus ad curationem earū: & ex hoc quòd tantas expensas oportuit fieri pro curatione earum: Filius enim Dei se expendit ibi. Vnde Bern. Ex consideratione remedij periculi mei æstimo quantitatem. Filius Dei iubetur occidi, vt vulneribus meis pretioso sanguinis istius balsamo medeatur. Agnosce homo quàm grauia sint vulnera illa pro quibus necesse est Christum domini vulnerari. Inter infirmitates spirituales pessima vel grauissima est infirmitas auaritiæ quantum ad multa.

¶ *Quod in xij. grauitas huius infirmitatis potest ostendi.*

DVODECIM verò sunt ex quibus potest ostendi grauitas huius infirmitatis. Primum est, eius diuturnitas. Cuius diuturnitatis duę sunt causę: scilicet abūdātia materię & durabilitas. In materia

huius

huius infirmitatis est ferè totus mũdus. Vnde cũ difficultate valde magna euacuatur perfectè materia ista à corde hominis: vt scilicet homo omnia temporalia perfectè cõtemnat: materia etiã huius infirmitatis durabilior est quã materia luxurię. Mulier enim quã aliquis amat, potest mori vel deformis fieri: & sic cessãte materia cessat infirmitas luxuriæ in homine. Sed terra quã amat auarus plus durabit, quàm ipse: & ideo infirmitas illa erit diuturna propter cõsimiles causas: est diuturna & aliqua infirmitas corporalis propter abũdãtiã materię & cõpactionem. Secũdũ est, cõrinuitas huius bonitatis. Fornicator quãdoquenõ fornicatur semel in mẽse: auarus verò quasi cõtinuè laborat. vnde Eccl. 4. Vnus solus est & secũdũ nõ habet, nõ filiũ, nõ fratrẽ, & tamẽ laborare nõ cessat. Et eiusdẽ 2 Cũcti dies eius laboribus & ærũnis pleni sunt. Tertiũ est, afflictio acerba, quã habet infirmitas ista. Affligit autẽ in hac infirmitate grauiter solicitudo, quæ est in conseruando. Ad quod pertinet quod dictum est in verbo proposito, Diuitiæ conseruatæ in malum domini sui. Grauius verò affligit labor in acquirendo. vnde 1. ad Timo. 6. post illud verbum, radix omnium malorũ est cupiditas. subiungit Apostolus, Quã quidã appetentes errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Grauissimè verò affligit dolor in amittendo. Et ad hoc pertinet quod dictum est in verbo proposito. Pereunt enim in afflictione pessima. Tunc enim pessimè affligũtur, cùm diuitiæ eis pereũt. Vnde Poëta: Plorat enim lacrymis amissa pecunia veris. ¶ Quarta est, vniuersitas huius infirmitatis. Auaritia enim non parcit seni, nec iuueni: imo secundum verbum Prophetæ, A maiore vsque ad minorẽ omnes auaritiæ student. Vix est puer septennis quin cupidus sit, & furetur denarios matri suæ. De peccato luxuriæ expectant pueri duodecimũ annum vel decimũ quartum. Item peccatũ luxurię senio senescit in aliquibus: sed de auaritia dicit authoritas, quòd cùm cætera vitia in senibus senescãt, sola auaritia nõ senescit. Sapiẽs: Cùm senes ad omnia alia rectius cęteris sapiãt, ad solam auaritiã desipiunt. Senec. Mõstro similis est senis auaritia. Quid enim stultius est quàm via deficiente viaticum augere? Auaritia etiam non parcit infirmis, nec sanis. Peccatum luxuriæ ad modicã infirmitatem corporalẽ fugit. Infirmitas enim grauis sobriam reddit animam: vt legitur Eccl. 31. Sed auaritia tunc interdũ augetur. Amat enim tunc auarus amplius suas diuitias, quas iam habet, quia laborare non potest in acquisitione aliarũ diuitiarũ. Auaritia etiã non parcit nec literatis, nec idiotis: multi sunt viri literati qui fornicari dedignarentur, qui tamẽ valde auari sunt. ¶ Quintum, per

quod potest ostendi grauitas huius infirmitatis est hoc, quòd cælestis medicus primò volens occurrere huic infirmitati quasi periculosiori, primũ consiliũ dedit cõtra eam, Matt. 5. dicens: Beati pauperes spiritu, &c. ¶ Sextum est hoc, quòd quasi ad mortẽ iudicauit eã tantus medicus. Matt. 19. dicẽs, Amen dico vobis: quia diues difficile intrabit in regnũ cælorũ. & pòst: Facilius est camelum intrare per foramẽ acus, &c. Nõ dixit hoc de peccato carnis: imò dixit, Meretrices & publicani præcedent vos in regnũ Dei. ¶ Septimum est hoc, quòd ista infirmitas abstulit finaliter tanto medico vnum de illis quos ipse acceperat in cura, scilicet Iudam. Hoc nõ facit ambitio vel aliud peccatũ, licet de ambitione plures sint tentati apostoli. ¶ Octauum est hoc, quòd auaritia irrisit cęlestem medicũ, & ad vltimum ipsum interfecit. De primo habemus Luc. 15. Audiebãt hæc verba Pharisæi qui erãt auari, & irridebãt eum. Aliud manifestum est, quia auaritia Iudæ, & sacerdotũ interfecit eum. ¶ Nonũ est hoc, quòd cælestis medicus cõtra hãc infirmitatẽ tantam purgationẽ indixit, dicens Luc. 14. Omnis ex vobis qui non renuntiauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Contra gulam non tantum dixit, sed solum admonuit, ne corda discipulorũ grauarẽtur crapula & ebrietate. ¶ Decimum est hoc, quòd ecclesia in principio contra hanc infirmitatẽ ita strictam dictam obseruari voluit, vt nullus haberet aliquid proprium. ¶ Vndecimũ est hoc, quòd multi hac infirmitate laborant, qui nesciunt se illa laborare, & ideo non quærunt sanitatem. Seneca: Initium salutis est cognitio peccati. Idẽ: Se nemo auarum intelligit, nemo cupidum. Ideo cum difficultate ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.

¶ *De septem infirmitatibus quæ sunt in auaro.*

DVODECIMVM est varietas infirmitatum quę infirmitatem auaritiæ sequuntur. De quibus septẽ ponemus. Quarum prima est cæcitas, quæ est figurata, Io. 9. per cæcitatem illius cæci nati. Vnde dominus volẽs illuminare eũ, liniuit oculos eius luto: insinuans esse causam cæcitatis illius lutum temporalium illorum. De hac cæcitate legitur similitur Tob. 2. vbi habetur quòd Tobias fuit excæcatus stercoribus calidis hirundinũ quæ super oculos eius ceciderũt. Hirundo garrula & depicta, significat felicitatẽ huius mũdi, quæ est quadam pulchritudine depicta & tumultuosa, quæ calida stercora proiicit super oculos cordis: id est, temporalia ista quæ exurunt corda hominũ. Gen. 20. legitur quòd Abimelech rex Geraræ dedit Saræ mille argenteos in velamen oculorum suorum. & super illud Psal. Mane astabo tibi, & videbo: dicit

cit glos. Deum non videt qui temporalibus adhæret. ¶ Secũda infirmitas est, febris quæ figurata potest esse per febrem à qua dominus curauit filiũ reguli. De qua legitur Io. 4. Auarus febrilẽ distemperãtiam patitur, cuius tremorem habet cũ trepidat vbi trepidandũ non est. Seneca: De ipso videt regẽ, & æstimat prædonem: videt pauperem, & æstimat furẽ. Ad tremorẽ huius febris pertinet quod legitur Iob 15. Sonitus terroris semper in auribus eius: & cùm sit pax, insidias suspicatur. & in Psal. Posuisti firmamẽtum eius formidinẽ. & Esa. 24. Formido, & fouea, & laqueus super te, qui habitator es terræ. Habitator terræ est auarus, qui est quasi talpa. Æstuat autem auarus ex febre ista, cùm irascitur ex amissione diuitiarum suarum. ¶ Tertia infirmitas est, manus ariditas, de qua legitur Mat. 12. Extende manum tuam, ait dominus habenti manum aridã, & extendit, & restituta est sanitati sicut altera. Manum aridam habet auarus, dum per largitionem eleemosynarum non valet pauperi extendere. ¶ Quarta infirmitas est illa à qua quis dicitur lunaticus: de qua legitur Matthæi 17. Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, & mala patitur, & sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam. Auarus sæpe cadit in ignem iræ, & crebro in aquã voluptatis. Potest autem vocari lunaticus, quia regitur secundũ sapientiã huius mundi: quæ per lumẽ lunæ intelligitur, quæ lucet de nocte. Sapientia huius mũdi solum lucet de nocte præsentis vitæ. Cùm post præsentem vitam illuxerit sol iustitiæ, bene apparebit quòd sapientia huius mundi stultitia sit. ¶ Quinta infirmitas est, inclinatio ad terram. De qua Lucæ 14. Et ecce mulier quæ habebat spiritum infirmitatis annis xviij. & erat inclinata, nec poterat sursum respicere. Secundum sacros expositores, ista infirmitas est amor diuitiarum quæ hominẽ bestiam reddit interius, vt ad terram respiciat qui ad cælos respicere debuit. Vnde Dauid: Oculos suos statuerunt declinare in terram. Bern. Quid indecentius quàm curuum rectò corpore gerere animum? Idem: Indignè corpus humanum inhabitat brutus & bestialis spiritus. ¶ Sexta infirmitas est, respirandi difficultas vsque ad suffocationem. vnde Matth. 13. Solicitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocat verbum. vbi dicit gl. Solicitudo huius seculi dum bonum ad cor intrare non sinit, quasi aditum vitalis flatus claudit. ¶ Septima infirmitas est, hydropisis. De qua Lucæ 13. Ecce quidam homo hydropicus erat ante illum, &c. Assimilatur autem auarus hydropico in inflatione, & fœtido anhelitu, & siti insatiabili. Inflationem possumus referre ad superbiam quæ comitatur diuitias. Vnde super illud 1. ad Tim

Timot. 6. Diuitibus huius seculi precipe, non sublime sapere. di cit Glos. Aug. Vermis diuitũ superbia est, vel istam inflationem possumus referre ad ventris ingluiem, quæ interdum diuitias comitatur. Illi enim cui sufficiebat vnũ ferculũ cùm pauper erat, non sufficiũt tria cùm dives factus est. Fœtorẽ verò anhelitus referre possumus ad consilia corrupta quæ dant auari familiaribus suis. ¶ De siti verò auari planum est, quòd est insatiabilis. Vnde Prouerb. 30. Sanguisugæ duæ filiæ sunt, dicentes, Affer, affer. Sanguisuga diabolus est sanguinem peccati semper sugens & sitiens. Ipse dum in humilitate mansit fuit angelus: superbia verò fecit eum sanguisugam. Ipsius verò duæ sunt filiæ auaritia & luxuria, dicentes semper, Affer, affer. Ad eandem insatiabilitatem pertinet quod legitur Eccl. 5. Auarus non implebitur pecunia.

¶ *Quare auaritia diuitijs non satietur.*

Possvnt autem assignari septem causæ huius insatietatis. ¶ Prima est, animę capacitas: quia secundũ sanctos, animã Dei capax est ante Deum, quasi gutta roris anteluceani, vt legitur Sapiẽ. 11. nõ sufficit implere cor hominis vnius. Exemplũ de Alexãdro qui dixit: Mundus vni non sufficit homini. ¶ Secunda causa est: quia cupiditas est infinita, pecunia verò quantumcũque magna sit, est finita. Sene. Naturalia desideria finita sunt ex sancta opinione nascentia: innaturalia verò vbi desinant non habent. Cupiditatem infinitã dicimus: quia nullo fine mẽsuratur, vel fine tali mensuratur, qui in præsenti non obtinetur. Nullo fine mensuratur in eo qui solum vult habere diuitias, vt habeat. Fine, qui in præsenti non obtinetur, mensuratur in eo qui ideo vult eas habere, vt per eas gratiam & gloriã huius mũdi sibi acquirat: vel qui tantum de pecunia vult habere, vt necessitati quæ possit sibi accidere, sufficiat. Nullus enim vnquam in mũdo isto habuit gratiam & gloriam apud omnes, etiam ipse filius Dei: imò alij dicebant de ipso, bonus est: alij dicebant non, sed seducit turbas. Necessitati autem quæ potest accidere non sufficere etiam quæ sunt, sed necessaria essent quæ possunt esse. Sed qui mensuraret desiderium suum necessitati præsenti, pauca sufficerent. Sic mensurant animalia: & ideo pauca eis sufficiunt. Senec. Quibus nihil deest, feris in alimentum solicitudo sua sufficit. Sic docet nos Apostolus, vt nos desideria nostra mensuremus. 1. ad Timot. 6. Habentes alimenta, &c. Cum pecunia quãtacunque sit finita, cupiditas infinita, non potest pecunia via alia adæquari ei nisi cupiditas finiatur, & sic diminuatur. Vnde non est alia via cupido perueniendi ad satieta-

tem, nisi rescindendo desiderium suum. Vnde Sene. Si vis te diuitem facere, non pecuniæ est adiiciẽdum, sed cupiditati detrahendum. ¶ Tertia causa quare auari desiderium nõ satiatur, est hæc, quòd quasi pars cibi appositi semper venter efficitur. Verbi gratia: Auarus si habet nouum frumentum, statim condit nouũ horreum. Si habet nouam vineam, condit nouum dolium, & tamen facit, vt cui prius deerat horreũ, vel dolium, modò desit vinũ vel frumentum. ¶ Quarta causa est hæc, quòd bona quæ auarus acquirit, quid vacui secum afferũt. Sicut enim homo habet aliquem defectum, sic & aliæ creaturæ. Vnde cum auro & argento venit defectus clauis & seræ. Vinea habet defectum cellarij, doliorum, & aliorum multorum quæ secum affert: venit enim necessitas plura expendendi cum diuitiis. Vnde Ecclesiast. 5. Vbi multæ opes, & multi qui comedũt eas. Et sic verũ est, per multis illos indigere, qui permulta possident, vt dicit Boër. Et sicut dicit Senec. Altera cupiditatum ex fine alterius trahitur. Idem: Congregetur in te quicquid multi diuites possident, ex his maiora cupere dicens. Et super illud 1. ad Tim. 6. Quam quidam appetentes, erraverunt à fide. dicit Glo. Qui pecuniam appetit, capere cupit. Qui vult sitim cupiditatis suæ diuitiis sedare, similis est illi qui vult sitim corporalem extinguere salsam aquam bibendo. Aqua salsa ex eo quòd aqua nata est sitim extinguere, & eo quòd salsa nata est eam prouocare: Sic diuitiæ inquantum aliquem defectum supplent, sitim sedant: inquãtum verò multos defectus secũ afferunt, sitim prouocant. ¶ Quinta causa est, quòd hæc cupiditas est quasi ignis. Vnde Eccl. 23. Anima calida quasi ignis ardẽs. Et Prouerb. 30. Ignis nunquam dicit, sufficit. Ignis verò non extinguitur ex appositione lignorũ siccorũ, sed augetur. Secundũ enim ligna syluæ exardescet ignis, vt dicitur Eccles. 28. Sic nec cupiditas extinguitur ex appositione diuitiarum, sed augetur. Crescit enim amor nummi quantum ipsa pecunia crescit: quia pecunia nõ ponitur, vbi sitis auari est. Vnde sicut vinum in dolio nõ sedat sitim corporalem: sic nec pecunia in arca vel bursa sedat sitim auaritiæ. Insanis auare, qui pecuniam ponis in bursa vel arca: non enim est ibi sitis. ¶ Sexta est, quòd pecunia res est corporalis: anima verò res est spiritualis. Res verò spiritualis corporali non potest impleri: nec econuerso. Verbi gratia: Sicut arca sapientia non potest impleri, ita nec anima pecunia. ¶ Septima causa est vanitas pecuniæ. Vnde Dauid: Vt quid diligitis vanitatem? Et sicut plenum vano adhuc vacuum reputatur, vt arca plena aëre vacua reputatur, nec propter plenitudinem quam habet minus capax

est alterius rei: sic anima auari quantumcunque habeat de diuitiis, adhuc vacua est. Vnde verum est quod dicit beata Virgo, Diuites dimisit inanes. Ad hoc pertinet quòd dicit Bernardus: Non plus satiabitur cor hominis auro, quàm corpus aura. Et Eccles. 34. Quasi qui apprehendit vmbram, & sequitur ventum: sic qui attendit ad visa mendacia. Et Ier. 4. Aspexi terram, & ecce vacua erat, & nihil. Non solum autem inanis, & vacuus est omnis auarus, imò & pauper. Vnde Tullius: Si propter auiditatem pecuniæ quotidie decipis, poscis, eripis, sunt ne hæc signa abundantis an egentis? Animus humanus nõ arca diues appellari solet, quamuis illa plena sit. Quum inanem te videbo, diuitem non reputabo. Et subiungit: Contentum suis rebus esse, sunt maximæ & certissimæ diuitiæ: quasi diues potest auarus esse, sed verè diues nunquam erit. Vnde Prouer. 14. Est quasi diues, quum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitiis sit. Auarus in veritate nihil habet eorum quæ habere videtur. Vnde Hieron. in magno prologo Bibliæ: Antiquum dictum est, Auaro deest tam quod habet, quàm quod non habet. Credenti totus mundus diuitiarum est: infidelis autem, etiam obolo indiget. Quod exponit Bernard. dicens: Fideli totus mundus diuitiarum est: quia tam aduersa quàm prospera ipsius æquè seruiunt ei, & cooperantur in bonum. Et subiungit: Auarus esurit terrena, vt mendicus: fidelis cõtemnit, vt dominus. Poëta: Semper auarus eget: nocet empta dolore voluptas, Dauid: Diuites eguerunt, & esurierunt.

Quòd auaritia sit misera seruitus. CAP. V.

QVinto facit ad detestationẽ auaritiæ misera seruitus, in qua auaritia ponit. Auarus enim seruus est diuitiarũ. Vnde Dauid: Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis. Ordo congruus esset, vt diuitiæ virorum essent, non viri diuitiarũ. Sed auaritia hanc peruersitatẽ facit, vbi viri sint diuitiarũ. Sed auarus seruus diuitiarũ: quia non est possessor earũ, sed tantũ custos. Et non tãtum non possidet, imò etiã possidetur ab eis. Quòd auarus sit custos diuitiarũ, dicit Gloss. super illud Luc. 16. Non potestis Deo seruire & mãmonæ, his verbis: Seruit diuitiis, qui custodit vt seruus: sed qui seruitutis excussit iugum, distribuit vt dominus. Quòd autẽ auarus diuitias non possideat, dicit Seneca his verbis: Pecuniam magnã habet aliquis. Si auarus est, nõ habet. Si prodigus est, non habebit. Signum autem manifestum quòd auarus nõ sit possessor diuitiarũ, est hoc, quòd non potest inde facere quod vult, vel quod bonũ iudicat: imò domina auaritia bene prohiberet ei. Vnde Ecclesiast. 6. Est aliud malum, quod vidi sub sole,

quòd est frequens apud homines, Vir cui Deus dedit diuitias, & honorem & substantiam, & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desiderat, nec tribuit ei Deus potestatem vt comedat ex eo, sed homo extraneus deuorabit illud. Hoc vanitas & magna miseria est. Et Seneca: Non sit tibi auaritia, quæ quicquid omnibus abstulerit, sibiipsi neget. & Bernard. super Cantic. Quæritur à quouis eorum qui insatiabili corde lucris temporalibus inhiant, quid sentiant de illis qui sua vendentes, & pauperibus erogantes, regnum cælorum pro terrena substantia mercantur, sapienterne agant. Respondebit proculdubio, Sapienter. quære iterum sibi, Cur quod approbat non facit. Non possum, inquit. Quare profectò? quia domina auaritia non permittit. Non habet auarus ea quæ habere videtur, nisi eo modo loquendi quo quis cõpedes habet quibus cõpeditus est, qui potius dominatur ei quàm seruiant.

¶ *Quòd auarus possideatur à diuitijs.*

Quod autem auarus possideatur à diuitiis, ostendit Sidonius, dicens: Res tuas si mediocriter colas, possides: si nimium, possideris. Hoc etiam potest probari, primo per hoc, quòd obedit eis auarus, sicut prius ostensum est ex illo verbo Eccles. 10. Pecuniæ obediunt omnia. Secundo ex hoc, quòd conformat se auarus bursæ suæ, sicut ancilla dominæ. Bernar. super Cant. loquens ad auarum: Facis te pecuniæ tuæ non dominum, sed seruum, custodem, non possessorem. Denique conformaris cruminæ tuæ tanquam seruus domino suo: vt quomodo ille necessario congaudet illi gaudenti, & condolet dolenti: tu quoque crescente marsupio tuo crescis pariter & animo, & decrescente pariter decrescis. Nam contraheris tristitia, quum illud eximitur: & solueris lætitia, aut certe inflaris superbia, quum illud impletur. Tertiò ostenditur quòd diuitiæ possideant auarum, ex hoc quòd ita impediunt eum quòd in nulla necessitate potest se habere. Si infirmus fuerit ad mortem, non potest se habere per horam ad audiendum consilium medici, vt scilicet audiat sermonem. Si sententiam mortis cognouerit latam contra se, non poterit se habere, vt iudicem pro vita sua oret. August. Venditis rebus nostris, nullum maius earum recipimus pretium quàm nosipsos. Implicati enim talibus, nostri non eramus. Sene. Gratuita nobis videntur quæ carissimè constant. Ex hoc potest apparere stupor noster: quia ea sola putamus emi, pro quibus pecuniam damus vel soluimus. Ea gratuita vocamus, pro quibus nosipsos impendimus. Idem: Nihil est cuique se vilius. Idem: Nostri essemus, si nostra non essent. Nònne bene se

amisit diues auarus, qui in summa necessitate non potest se habere? infirmus etiam ad mortem, nec potest se habere ad horã, vt consilium medici audiat? id est, vt prædicationem audiat. Iata est sententia mortis super eum, nec per vnam horam potest se habere, vt pro vita sua iudicem oret. Si maledictus est qui partem suam deteriorem facit, quid ille qui omnino se reddit expertẽ? id est, sine parte, sicut dicit Bern.

¶ *Quòd sex sunt quæ faciunt ad miseriam huius seruitutis.*

Sex sunt quæ faciunt ad miseriã illius seruitutis, in qua ponit auaritia. Primũ est hoc, quòd ista seruitus est spiritualis. Multo enim indignius est mẽte seruire quã corpore, vt dicit Sapiẽs, & Bern. An non seruus cui dominatur peccatũ, & maximè nisi tu fortè indignius iudices hominẽ tibi quàm vitium dominari? Secundũ est vilitas rei cuius seruus est. Rei enim cõceptibilis & abomnibus cõculcabilis seruus est, scilicet terræ. Tertium est hoc, quòd ipse seruus est cuiusdã dominæ quæ vellet quòd ipse nunquã comederet vel biberet. Ista domina est auaritia. Quartũ est hoc, quòd domina ista eos qui sibi seruierunt per totã vitã suam, nudos transmittit in camisia, nec aliam mercedem dat eis. Vnde Psal. Dormierunt somnũ suum, & nihil inuenerunt: omnes viri diuitiarũ in manibus suis. Item: Simul insipiens & stultus pertibunt, & relinquẽt alienis diuitias suas. Itẽ: Ne timueris cũ diues factus fuerit homo, &c. Ecc. 14. Qui congregat ex animo suo iustè, aliis cõgregat, & in bonis illius alius luxuriabitur. Iob 1. Nudus egressus sum ex vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. & 27. Diues quũ dormierit, nihil secum auferet. 1. ad Timot. 6. Nihil intulimus in hunc mundũ, haud dubiũ, quia nec auferre quid possumus. Quintũ est hoc, q̃ domina ista, honestissima præcipit furta, rapinas, periuria, proditiones, homicidia, imò etiam deicidia. Hæc præcepit principibus sacerdotum, vt filiũ Dei occiderẽt. Sextum est hoc, quòd grauia præcepit. Vnde Ierem. 19. Seruietis diis alienis, qui non dabunt vobis requiem die ac nocte. Esa. 20. Tradam Ægyptum in manibus dominorũ crudelium. Et vt breuiter dicam, Auaritia seruis suis exhibet torturam, & compedes, & occupationes graues, & viles quæ seruis maleuolis solent exhiberi. Eccl. 33. Seruo maleuolo tortura & cõpedes, mitte illum in operationem, ne vacet. Gregor. Ad compedes onerat quicquid homo præter necessaria curat. Auaritia seruos suos excæcat: & ad molam, id est, ad volubilitatem terrenorum istorum molere facit. Quod significatum est Iudic. 16. in Sampsone quem excæcatum Philistæi molere fecerunt. Auaritia etiam facit manus

auarorum in cophino seruire. Terra enim onerati vadunt per solitudinem. Ipsa etiam facit eos fodere, nõ solum fossorio, imò etiam corde. Vnde & talpis assimilantur. Ad miseriam etiam seruitutis auaritiæ, facit hoc, quod auarus est seruus omnium illorum qui diuitias possunt ei conferre, vel auferre, vel conseruare. Seneca: Minus quàm seruus est, qui seruos timet.

Quòd magnam vim habeat auaritia ad capiendum animas & detinendum vel submergendum. CAP. VI.

SEXTO facit ad detestationem Auaritiæ hoc, quod diabolus non habet machinamentum efficacius ad capiendum vel detinendum vel submergẽdum, quàm sit auaritia. Contra eam quasi nullum castrum potest tenere. Quatuor sunt quæ ad fortitudinem castri solent facere, scilicet fossati magnitudo, loci altitudo, murus & aquę abundantia castrum cingens. Contra primum comportat auaritia aggerem, & fossatum paupertatis replet. Vnde bene ei conuenit quod legitur Habac. 1. Super omnẽ munitionẽ ridebit, comportabit aggerem, & capiet eam. Cõtra altitudinem verò loci congregat molem terræ castro altiorẽ. Procurat enim quando videt castrum aliquod in eminentia vitæ, vt tot temporalia habeat, quòd altiora sint quodammodo ipsis spiritualibus. Tunc temporalia quodammodo altiora sunt, quando spiritualibus præponuntur: quando etiam in electione prælatorum maior habetur respectus ad illa, & magis occupantur prælati circa ea postquam electi sunt. Contra abundantiam verò aquæ lacrymarum & sapientiæ salutaris auaritia obstruit terra meatus aquæ, dum adeò impedit spirituales viros terrenorum solicitudine, quòd nõ possunt cogitare nec peccata sua, nec alias causas flendi, vt exitus aquarum deducant oculi eorum. & hoc est quod legitur Gene. 4. Cain interfecisse Abel. Cain interpretatur possessio, Abel luctus. Tunc Cain Abel interfecit, quum solicitudo terrenarum possessionum luctum claustralium impedit. Item etiam impedit ne aqua gratiæ vel sapiẽtiæ salutaris ad claustrales fluat. Ad quod potest pertinere quod legitur Iudith 7. quòd quum Holofernes obsedisset Bethuliam, fecit incidi aquæ ductum. Murum verò castri subfodit auaritia, quum de muneribus prælatum ecclesiæ corrumpit. Vnde Gene. penul. Simeon & Leui fratres vasa iniquitatis bellantia. & quibusdam interpositis, subiũgitur: In furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Simeon interpretatur exaudibilis, Leui assumptus. Vnde bene tenent hi duo figuram eorum qui munera largiuntur. Illi enim exaudiuntur in petitionibus suis, & assumuntur ad digni

dignitates. Isti occidũt prælatũ ecclesię qui vir deberet esse, & suffodiũt murũ, corrũpẽdo illũ qui resistere deberet male ingrediẽtib⁹ in ecclesiã Dei. nullũ etiã vitiũ est cuius laquei sint potẽtiores ad capiendũ quàm auaritia. Quod ideò est: quia auaritia habet laqueos valde absconsos, & diuersos, & ferè vbique positos.

¶ Quòd laquei auaritiæ tribus modis sint occulti.

DE absconsione legitur Iob 14. Abscondita est in terra pedica eius. & Dauid, Narrauerunt vt absconderent laqueos, dixerũt, Quis videbit eos? Scrutati sunt &c. ¶ Absẽditi verò possunt dici tribus modis. Primo, quia adeò subtiles sunt quòd periti magistri non vident eos: vt patet in subtilibus laqueis vsuræ, & simonię, de quibus etiam summi magistri dubitãt. Secũdo, quia velati sunt necessitate naturali: necessarium est enim aliqua habere ad sustentationem vitæ. Vnde Gregorius: Primò, diabolus solicitat hominem, vt quęrat necessaria: quando verò est in opere, vt quęrat superflua, & ex hoc accidit q⁹ diabolus tẽtat eos de auaritia, quos non auderet tentare de luxuria, quia non audirent illũ, quia nihil boni est ibi. Tertio verò quia sunt velati spirituali vtilitate. Qui enim habet diuitias, potest peccata sua eleemosynis redimere, & multa alia bona facere. Ad quod referunt auari illud Ecc. 7. Vtilior est sapiẽtia cum diuitiis, non attendentes q⁹ valde magnã oporteret esse sapientiam, quæ cũ diuitiis duraret diu, quum sapientia Salomonis cum eis durare non potuerit. Quòd autem laquei auaritiæ multi sunt & vbique positi, patet per hoc quod legitur Sapientiæ 14. quòd creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tẽtationẽ animæ hominũ, & in muscipulam pedibus insipientiũ. In quacunq; creatura desiderabili quam videmus, habet auaritia laqueum suum. vnde difficile est laqueos auaritiæ euadere ei qui corde in terra habitat. Ideò bene dicitur Esaiæ 24. Laqueus super te qui habitator es terræ. Et 1. Timot. 6. Qui volunt diuites fieri, incidũt in tentationem, & in laqueum diaboli. ¶ Et nota quòd auaritia vtitur muscipula ad capiẽdũ incautos, in qua pro asse retinente, est tota domus vna, & quandoque episcopatus vnus, est quandoque regnum, vt quando aliquis talia iniustè possidet. De hac muscipula loquitur Augu. dicens auaro: Præda, quam vis rapere, est in muscipula. Tenes alienum, & teneris à diabolo. Et vix tales saluantur, cum valde difficile sit ea relinquere quæ iniustè possident.

¶ Quòd nullum vitium fortius teneat hominem, quàm auaritia.

NVLLVM enim vitiũ est quod fortius hominẽ teneat. Cuius rei potest triplex causa assignari. ¶ Prima est soliditas rei cui li-

gatus est. Possessio enim sua plus durat quàm ipse: & ideo nõ solvitur à vitio auaritiæ, dum viuit. ¶ Secunda causa est, quia pluribus stipitibus ligatus est. Quot possessiones amat, tot stipitibus ligatus est, Et multiplici funiculo: quia non solum amore proprio, imò etiam amore filiorum. Vnde cũ in morte desinit amare ea sibi, amat adhuc filiis suis. Potens etiam est auaritia ad submergendum hominem in profundum inferni. Vnde super illud Deuter. 38. Non habebit rex argenti & auri immensa põdera. dicit interlin. in infernum mergẽtia. Et 1. ad Timo. 6. loquẽs. Apostolus de diuitum desideriis, dicit, Quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. & Augustinus: Amas seculum, absorbebit te. Amatores enim suos vorare nouit, non portare. Nec mirum si auari demerguntur, cum ligatã habeant ad collum per amorem, non molam asinariam, imò domum vel rem põderosiorẽ, & sint in profundo maris.

Quòd Auaritia sit Deo exosa, iniuriosa proximo, & nociua proprio subiecto. Et primo quòd Deo exosa sit, testimoniis sacræ scripturæ ostenditur. CAP. VII.

SEptimo facit ad detestationẽ auaritiæ hoc, quòd ipsa est Deo valde exosa, proximo valde iniuriosa, & proprio subiecto valde nociua. ¶ Primũ potest ostendi ex testimoniis sacræ scripturæ, quę Deum odire auaros, vel iratum esse eis, quale est illud, Odisti obseruantes vanitates superuacuas. Vanitates obseruant, qui in diuitiis sperant: & sicut tangitur in glo. superuacuè, sperat, qui sperat in diuitiis: quia quũ in eis sperat, aut ipse expirat, & ea hic dimittit: aut quum viuit, omnia pereunt, & ipse in spe sua deficit. Ad idem facit illud Iac. 4. Amicus huius mundi, inimicus Dei constituitur. & illud 1. Ioan. 2. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. & illud, Inimici eius terram lingent.

¶ De quadruplici stultitia auari.

IN quo verbo quadruplex stultitia auarorũ insinuatur. ¶ Prima est, quia rẽ immũdã corde lingunt quã carnis lingua erubesceret lingere: scilicet terrã. ¶ Secunda est, quia quum diuitiæ spinæ vocẽtur à Domino, Matt. 13. qui verissimè res scit appellare, quũ diuitias terrenas lingunt, solatiũ in eis quærẽdo, quasi mel super spinas lingunt. Quòd diuitiæ spinæ sint, dicit Greg. super Illud Iob 30. Esse sub sentibus delicias reputabant, his verbis: Prosecto spinæ sunt, quia cogitationum suarum aculeis mẽtem pungunt. ¶ Tertia stultitia est hæc, quia fonte dulcedinis & solatij neglecto, guttas solatij in terrenis diuitiis quærunt. ¶ Quarta stultitia est, quòd lingendo ad satietatem se posse peruenire credunt.

Quod

¶ Quòd auaris Deus sit iratus.

QVOD verò Deus iratus sit auaris, patet Primo ex illo verbo Zach. 1. Ira magna irascor ego super omnes gẽtes opulentas. Secũdo, ex illo verbo Esa. 57. Propter iniquitatẽ auaritiæ eius iratus fui, & percussi eum. Tertio, ex illo verbo Osee 12. Ad iracundiã prouocauit me Ephraim. Ephraim, id est fructificans, & diues. Quarto, ex illo verbo quod dicit Iac. 5. auaris diuitibus: Thesaurizastis vobis irã in nouissimis diebus. vbi dicit gl. Nescis miser cũ thesauro pecuniæ, thesaurum iræ pariter cumulari? Signũ etiam quòd auarus sit Deo exosus, potest hic esse, q̃ Deus nõ vult eũ nominãre. vnde Luc. 16. nõ nominatur dives, Lazarus verò nominatur, & hæc potest esse causa: quia diuites vocauerunt nomina sua in terris suis. Vnde Dominus nõ vult memor esse nominum eorum per labia sua: quia nomina eorum fuerunt in ore ioculatorum, & aliorũ hominum carnalium, qui quasi porci sunt Vnde sicut aliquis non poneret libẽter in ore suo pomum quod in ore porci fuisset, sic Deus nomina talium in ore suo nõ vult habere.

¶ Quatuor rationes sunt quare Deus odit auaritiam.

POTEST autem assignari quadruplex ratio inimicitiarum quæ sunt Dei ad auaritiã. Prima est hæc, q̃ auaritia misericordiã fugat. Vnde sicut misericordia Deo specialiter placet, iuxta illud Osee 6. Misericordiã volo, & non sacrificium: sic auaritia displicet ei. Secũda hæc est, q̃ auaritia vilipẽdit multum Deum. Illud enim quod libẽter faceret pro obolo, nõ vult facere, cùm dicitur ei q̃ hoc faciat pro Deo. Tertia est hæc, quòd creaturã ab omnibus cõculcabilẽ deificat, nõ sine magna cõtumelia Dei. Ad augmentũ verò cõtumeliæ Dei, nõ solum vnum Deũ sibi facit, sed tot quot possessiones habet. vnde Osee 10. Israël secundum multitudinẽ fructus sui multiplicauit altaria sibi, iuxta vbertatẽ terræ suæ exuberauit simulachris. Ad cumulum etiã contumelię facit q̃ de bonis sibi à Deo collatis hãc cõtumeliã illi faciũt. Vnde Osee 2. Ego dedi ei frumentũ, vinũ, & oleũ, & argentum multiplicaui eis, & aurũ, quæ fecerunt Baal. In hoc autẽ deterior est hæc idololatria, idololatria gentiũ: quia simulachra gentium os habent & cætera membra ad similitudinem hominũ: sed auaritia deificat informem materiam, scilicet argentum & aurum.

¶ Quòd auarus dines quinque rusticitates faciat Deo.

QVARTA causa est hæc, quòd auarus dives quinq; rusticitates facit Deo, seu peruersitates quas nulli homini faceret. ¶ Prima est, quia cũ beneficiũ debeat acceptor rẽ reddere memorẽ benefactoris sui: auarus tamẽ inde Deum magis obliuiscitur. Vnde

Osee 13. Adimpleti sunt, & saturati sunt, & eleuauerunt cor suũ, & obliti sunt mei. Et Esa. 57. Viam manus tuæ inueniſti, propterea Deũ nõ rogasti. Gre. Qui felicitatẽ quæsitã in terris inuenit, datorẽ qui eam tribuit nõ requirit. Gen. 40. Succedentibus prosperis, præpositus pincernarum oblitus est interpretis sui. ¶ Secũda rusticitas est, qꝰ Deo de bonis sibi collatis gratias nõ agit: nec propterea eũ magis diligit, imò minus, quod nulli homini faceret. vnde Iere. 5. Ibo ad optimates. Et sequitur quibusdam interpositis: Ecce, magis hi simul fregerunt iugum, ruperunt vincula. ¶ Tertia rusticitas est, quia quũ beneficium debeat esse quoddã frænũ retinens susceptorẽ beneficij ab iniuria largitoris, iuxta illud Esaiæ 47. Laude mea infrænabo te, ne intereas. auarus tamẽ nõ timet Deũ offendere, licet tot beneficia ab eo susceperit: nec timet beneficia susc ipere, licet tantũ eum offenderit, in quo etiam cauent sibi ipsi latrones. ¶ Quarta rusticitas est hæc, quòd quanto maiorem terrã à Deo tenet, tãto ad minus seruitiũ tenẽri se credit. Diuites omnino nihil volunt facere de seruitio Dei. ¶ Quinta rusticitas est, quia cùm teneat bona Domini in manibus suis, & Dominus inde petat in pauperibus, ipsi nolũt dare vel cõmodare etiã ad centuplã vsurã: quod facerent vni Iudæo vel Saraceno. Vnde Aug. ad auarũ: Dicit tibi Christus, Da mihi ex eo quod dedi tibi. De meo quæro, & mihi non donas. Da mihi, & reddo. Habuisti me largitorem, facito me debitorẽ, habeã te fœneratorem. Pauca mihi das, plura reddam. Temporalia mihi das, æterna restituã. Idem: Præbe tectũ, & accipe cælum. Bern. Quid insaniæ est, quòd cunctantur relinquere simpla pro cẽtuplis? Vbi est cupidus? vbi ambitiosus? vbi conquisitor huius seculi?

¶ *Quòd auaritia sit iniuriosa proximo.*

Sequitvr de malis quę facit auaritia proximo. Quæ multa sunt. Hæ enim sequuntur bella & lites. vnde Iacob. 5. Vnde in vobis bella & lites, nisi ex concupiscentiis vestris? Sen. Quietissimè viuerent homines, si hæc duo pronomina de medio tollerentur, meũ & tuũ. Ex hac etiã sequũtur homicidia. Vnde Cain qui interpretatur possessio, legitur fratrẽ suum Abel occidisse. Et Pro. 1. Fili mi, si te lactauerint peccatores, nõ acquiescas eis. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini. Et pòst subiungitur causa motiua: Omnem substãtiam pretiosam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis &c. Ex hac etiam sequitur rapina. Vnde Ecclesiastic. 13. Venatio leonis onager in eremo. Sic pascua diuitum sunt pauperes. Auarus nulli fidem custodit, nec Deo nec homini. Deo nõ: ipsius enim est vox illa Luc. 10. Ecce hęres, venite occidamus eum, vt nostra fiat hæreditas. Homini nõ: Filius enim auarus mortem patris exoptat, & mater filiam vẽdit ſugulatoribus infernalibus. Ex hac etiam accidit quòd filij volunt potius parentes comburi æternaliter, quã hęreditatẽ sibi minui. Hæc facit vt tribunalia velut tabernæ sint, in quibus sanguis innocentũ venalis offertur. Amos 3. Nescierũt facere rectũ, dicit dominus: thesaurixantes iniquitatẽ. Hæc mendacia vel periuria non timet, pupillos & viduam exhæredat. Hęc pauperes contemnit & irridet. vnde Iob 12. Deridetur iusti simplicitas, lampas contenta apud cogitationes diuitum, parata ad tẽpus statutum. Et Eccl. 13. Sicut abominatio est superbo humilitas, sic execratio est diuiti pauper. Hæc est immisericors proximo. vnde Iob 40. Cor eius indurabitur quasi lapis. Cor diaboli est auarus. Et Luc. 12 habetur de Lazaro petente eleemosynam, & nemo illi dabat. Et notatur ibi immisericordia diuitis epulonis & etiam familiæ illius. Et Amos 6. Bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti, nihil compatiebantur super contritione Ioseph.

¶ *Quomodo proprio subiecto noceat auaritia.*

Sequitvr videre quomodo auaritia noceat proprio subiecto. Notandũ ergo qꝰ auaritia reddit hominẽ stultũ vnde Luc. 12. Stulte, hac nocte animã tuã repetẽt à te: quæ autem parasti, cuius erũt? Sic est qui sibi thesaurizat, & nõ est in deũ diues. & supplet gl. supra illud, Sic est stultus. Ad idẽ pertinet illud Apostoli, Sapiẽtia huius mũdi stultitia est apud Deũ, & Pro. 1. Vsquequo paruuli diligitis infantiã, & stulti quæ sibi noxia sunt cupiẽt? Nec est stultus auarꝰ vnica stultitia, sed multiplici. Nõ solũ stultꝰ, imò & insanꝰ est.

¶ *De insania auari diuitis.*

Insania verò diuitis auari potest multipliciter ostendi. ¶ Primò, per hoc quòd occultos laqueos exquirit, vt se strangulet. Vnde Prou. 26. Cor iniqui exquirit mala. Iniquus potest intelligi auarus propter illud verbum Eccles. 10. Nihil iniquius, quàm amare pecuniam. qui ad modum insani exquirit mala, scilicet laqueos occultos vsuræ & simoniæ, in quibus se interficiat. ¶ Secundò, potest ostendi ista insania per hoc, quòd voluntarius vadit submergere se. Singulis diebus facit dietam vnam in infernum. Quis adeò sapiens est qui insanus reputari non possit, si requisitus quò eat, respondeat, Vado me submergere, vel suspendere? Hoc autem respondere potest quicunque est in mortali peccato: vadit enim submergere se in abyssum inferni, quod est summa stultitia, sicut sapientia summa est in paradisum ire. Vnde Eccles. 6. Quid habet amplius stulto sapiens? & quid

paup

pauper, nisi vt pergat illuc vbi est vita? ¶ Tertiò per hoc, quòd cùm insipiens sit, insipientiam suam non agnoscit, imo sapientem se putat: quod plus est quàm stultitia, & quàm insania. Vnde Prou. 28. Sapiens sibi videtur vir diues: pauper autem prudens, scrutabitur eum. Pauper iste Christus est qui scrutabitur eum qui sibi sapiens videtur, ostendens eum non fuisse sapientē. Et Prou. 22. Vidisti hominem sibi sapientem videri, magis illo spem habebit stultus. In quo verbo innuitur insipientiorem esse cæteris illum, qui se putat sapientem quum non sit. ¶ Quartò, ostenditur insania ista per hoc, quòd auarus spiritualiter interficit omnes qui iuxta se sunt. Si videris aliquem qui claua accepta primò interficeret vxorem suam, deinde filios suos & filias, & totam familiam, & post sacerdotem ne pro peccato suo eum excommunicaret, nunquid eum insanum reputares? Sic facit auarus, præcipuè vsurarius, dum omnes tales facit communicari peccato suo. Corporaliter etiā percutit diues vicinos suos. Quandoque enim diuitiæ suæ eum faciunt insanire. Vnde alapa vna quandoque constat ei centum libras. Vnde Eccle. 21. Obiurgatio & iniuriæ annihilabunt substantiam, & domus quæ nimis locuples est, annihilabitur superbia. De hac persecutione loquitur Dominus Matth. 24. dicens: Si autem dixerit malus ille seruus in corde suo, Morā facit dominus meus, & cœperit percutere conseruos suos, &c. ¶ Quintò, ostenditur insania ista per hoc, quia ad districtissimum iudicem cum re furtiua ire non timet. Dum viuimus, nō cessamus ad iudicem ire, & quotidie proximiores sumus. ¶ Sextò, ostenditur insania ista per hoc, quòd cum domus conscientiæ suę igne cupiditatis succēsa sit tempore quo aquam gratiæ ad ignem illum infernalem extinguendum quærere debuit, quærit potius quasi faculas ad incendendū domū suam, quia quærit aurū & argētum, cæteráque cōcupiscibilia, quæ ignem cupiditatis incendunt.

¶ De multiplici stultitia Auari.

SEQVITVR de multiplici stultitia auari. Et est prima stultitia eius, quòd se cæteris rebus minus diligit, quod potest ostendi. ¶ Primò, per hoc quòd se malum & sua bona vult habere. vnde Augu. Adeò cæcitas mentis conualuit, adeò absorbuit hominem interius, vt omnia velit præter seipsum bona habere. Et iterum Aug. loquens ad auarum. Quid est quod te velis malum habere? Nihil omninò. Non vxorem, non filium, non seruum, non tunicam, postremo non caligam, & tamen vis habere malam vitam. Rogo te prępone vitam tuā caligæ tuæ. ¶ Secundò, potest ostendi idem per hoc quod auarus de perditione sui non dolet, de perditione

tione autē oboli doleret. Singulis diebus sotulares suos tergit, seipsum autē per annū in sordibus relinquit: nec etiā tūc bene mūdat. ¶ Tertiò, potest idē ostendi per hoc q̄ de corde suo quasi clypeū rebus suis facit, vt cor suū incōmoda rerū suarū primo excipiat, similis cuidā stulto, qui habens sotulares nouos transiens per spinas, se discalciauit. Adeò enim amabat sotulares suos, quòd potius elegit sotularibus suis quàm propriis pedibus parcere. ¶ Secūda stultitia auari est, quòd sua negligit, & de alienis solicitus est.

¶ Quæ propriè sint hominis.

QVATVOR autem sunt quæ possumus dicere nostra, scilicet bona interna. Vnde Seneca: Sapiens intra se omne bonum termi. nabit. Et dicit quòd quidam patria capta, vxore & liberis amissis, quum ex incendio publico solus & tamen beatus exiret, Interroganti victori, si quid perdidisset: Nihil, inquit, perdidi: bona mea mecū sunt. Ista bona interna negligit auarus. Proiecit enim in vita intima sua: vt legitur Eccl. 10. Nostrum est etiam tempus. vnde Sene. Cætera à nobis aliena sunt: tempus tantum nostrum est. Quòd autem tempus quodam speciali modo nostrum sit, videtur per hoc, quòd qui tempus amittit, seipsum amittit: qui medium vitæ suę amittit, se dimidium amittit: & qui totum tempus amittit, se totum amittit. Nostra etiam sunt ea que pauperibus largimur. Vnde quidam cùm dominus eius vellet de bonis eius habere, & præcepisset ei vt de bonis suis virtutem diceret ei, facta computatione sexcentorum aureorum, quos pauperibus erogauerat, respōdit, quòd nihil plus in mūdo habebat præter cētum aureos. Cùm autem à circunstantibus obiiceretur ei, quòd falsum esset, & dicerent: Illa grangia tantum valet, & illa domus tantū, & multa alia. Ille respondit, Illa non sunt mea, sed domini mei: quia quādo voluerit, accipiet tanquā suum: sed illud quod dedi pro Deo per manus pauperum in salua custodia posui, ita quòd nullus potest mihi illud auferre. Ad quod pertinet illud quod legitur Eccl. 17. & 29. Eleemosyna viri quasi sacculꝰ cū ipso. Nostra etiā sunt bona æterna. vnde Luc. 16. Si in alieno fideles nō fuistis, qđ vestrūꝰ est quis dabit vobis? Alienū vocat bonū trāsitoriū nostrū æternū. Sua igitur negligit auarus, qui quatuor prædicta quæ propriè sua sunt, nō timet amittere: de alienis verò solicitus est: id est, de tēporalibꝰ istis quę nostra nō sunt. Sicut potest ostēdi.

¶ Quòd temporalia ista non sunt hominis.

PRIMO ex hoc quòd dominus dicit in Luca, Si in alieno, &c.
Secundo ex illo verbo Abacuc 2. Væ qui congregat non sua.
Tertio, ex illo verbo Amb. super Lucam, Non bona sunt hominis

quæ

quæ secum ferre non potest. Sola misericordia comes est defunctorũ, quod intelligendũ est de illis defunctis, qui cum misericordia in præsenti societatẽ habuerunt. Quarto potest idẽ rationabiliter ostendi. ¶ Primò, per hoc quòd bona tẽporalia assimilantur fluuio trãseunti. Fatua esset ciuitas aliqua quæ æstimaret aquã Rhodani ante se transeuntẽ sibi remansurã, cùm per tot ciuitates transierit, nec eis remanserit: Sic fatui sunt qui bona temporalia sibi remansura putant. Vnde quidam: Erras si mansuras putas tibi diuitias, quæ per tot manus hominũ transierunt. Hanc rationẽ insinuat Dauid, vbi dicit, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Diuitiæ ad modũ fluuij sicut affluunt, sic defluunt. Non est aqua Rhodani illius ciuitatis ante quã transit, sed ad necessitatem suã potest inde sumere: sic licet bonis temporalibus vti possimus ad necessitatem nostram, nostra tamen non sunt, sed sicut vulgariter dicitur, Tout fut à autruy, tout est à autruy. ¶ Secundò, potest ostendi quòd nostra nõ sunt, per hoc quod terra in qua crescunt nostra non est. Vnde Dauid, Quomodo cantabimus canticũ domini in terra aliena? Et iterum, Aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei. ¶ Tertiò per hoc, quòd ianitor huius mundi, mors scilicet, non permittis nos ferre aliquid de hoc mundo: quando aliquis sedet ad mensam alicuius potentis, multa apponuntur sibi, scilicet scyphi argentei, scutellæ, & similia, in quibus solum vsum habet. Si verò aliquis ex simplicitate crederet ea esse sua, & vellet ea secum ferre, ianitor bene ostenderet ad portam quòd nihil iuris in eis haberet. Ita diuites credunt bona temporalia sua esse, sed mors bene ostendit eis contrarium, cùm dicit: Nihil intulistis in hunc mundum, nec quicquam auferre potestis. ¶ Quartò, potest idem ostendi per hoc, quia dum canis sequitur duos homines, nescitur quis eius dominus sit: sed si separentur illi ab inuicem, canis sequitur dominum suum, & tunc apparet cuius sit. Sic diuitiæ in morte remanent cum mundo, & deserũt auarum. ¶ Et est notabile exemplũ principis magni Saracenorum, qui cum mortem sibi imminere inspiceret, pannũ lineum de quo sibi sudarium consuendum erat, erexit in signũ, & fecit circunferri per ciuitatẽ à præcone dicẽtes Hæc dicit princeps vester: Cùm essem dominus vndecim regionum, hoc solum de gloria mea & diuitiis meis mecum auferam. Diuitiæ sunt velut infideles amici, qui amatores suos in extrema necessitate deserũt. Vnde quidã cùm à diuitiis suis auxiliũ implorasset, nec etiam posset habere responsionẽ ab eis, ait, O fallaces diuitiæ, toto corde vos amaui, & honoraui, & nunc in tanta necessitate positus nihil consilij vel auxilij à vobis habere possum.

Paratæ estis me deserere, nec vultis me sequi: ego præmittam vos. Et his dictis statim distribuit omnia pauperibus. ¶ Vltimò, potest ostendi quòd temporalia nostra non sunt per hoc quòd solam dispensationem in eis habemus. Ambr. Nemo dicat propriũ quod commune est. Plus quã sufficeret ad sumptum, violẽter obtentum est. Ille qui sua negligit, & alia excolit, iuxta sapientiam huius mundi, infelix reputatur: quia cùm aliena cõpellitur relinquere, ex suis quæ neglexit non potest sustentari. Sic auarus cùm temporalia bona amiserit, bonis æternis carebit. ¶ Tertia stultitia auari est: quia ea amat quæ amatoribus suis non prosunt, imò sunt eis valde nociua, contemptoribus verò suis valde sunt vtilia. vnde melioris conditionis sunt qui ea non amant, quàm qui ea amant. Quòd diuitiæ non prosint amatoribus suis, patet ex illo verbo Eccle. 5. Qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis.

¶ *De quinque fructibus diuitiarum.*

QVINQVE fructus videntur esse diuitiarũ. Primus est satietas. vnde Tullius: Fructus diuitiarum est copia, hunc fructum nõ capit qui diuitias amat. Amor enim est fames spiritualis, fames autem non est satietas. Secundus autem fructus est, redemptio animarum. Vnde prou. 13. Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ. Et Dan. 4. Peccata tua eleemosynis redime. Prou. 14. Corona sapientium diuitiæ eorum. Tertius est emptio regni cœlestis. Vnde Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, &c. & Aug. Præbe tectũ, & accipe cælum. Quartus fructus est patrocinium pauperum. Vnde Grego. Pauperes non sunt despiciendi vt egeni, sed rogandi vt patroni. Pauperes sunt sicut stipendiarij nostri. vnde Eccle. 29. Conclude eleemosynam in sinu pauperis. & paulò pòst, Super scutum potentis & lanceas pugnabit aduersus inimicos tuos. Quintus fructus est, ipsarum diuitiarum multiplicatio. vnde 1. ad Tim. 4. Pietas ad omnia vtilis est, promissionem habens vitæ quæ nunc est & futuræ. Quatuor vltimos fructus nõ colligit ex diuitiis, qui eas amat, quia eas nõ seminat, sed retinet apud se: & ideo non potest fructũ inde colligere. Non solum autẽ nõ prosunt diuitiæ amatoribus suis, imò etiã multũ nocent. Inquinãt enim eos, cruciant & occidunt. Ad primũ facit illud verbum Ber. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinãt. Ad secundum facit illud quod dicit Seneca: Proiice quæ cor tuũ laniant: quæ si aliter abstrahi nequirent, cor ipsum cum eis auellendum esset. Ad tertium facit, quòd cũ Constantinus dedit imperium ecclesiæ, audita est hæc vox, Hodie infusum

fusum est venenum ecclesiæ Dei. Diuitiæ ergo vt venenum se habent ad amatores suos, interficiũt enim eos. Ideo miratur Dauid quare diligantur, dicẽs: Vt quid diligitis vanitatem, &c. Et Prou. 1. Vsquequo paruuli diligitis infantiam, &c. Ipsæ etiam diuitiæ quodammodo ne amentur clamant, dum tot afflictiones faciunt amatoribus suis. Vnde Gregor. Mundus iste dum tot afflictionibus pulsat, tot calamitates ingeminat, quid aliud nisi vt non diligatur clamat? Quòd autem diuitiæ sint vtiles contemptoribus suis, patet ex hoc quòd earum contemptores licet pauperes sint, ex contemptu earum regnum æternum emunt. ¶ Quarta stultitia auari est, quòd ea custodit quæ custodita perduntur; perdita verò custodiuntur. Quòd ostendi potest per simile de frumento, quòd si custodiatur perditur, si seminando perdatur, renouatur & multiplicatur. Vnde super illud Mart. 16. Qui voluerit animam suã saluam facere, perdet eam. dicit glos. Quasi dicatur agricolæ: Si frumentũ seruas, perdis: si seminas, renouas. Ad idem facit illud Eccles. 29. Perde pecuniam propter fratrem & amicum, & non abscondas sub lapide in perditionem. Lapis vocatur cordis duritia. Sub qua dum absconditur, in perditionem absconditur: quia dum seruari creditur, perditur. Et non solum perditur, imò etiã perdit dominũ suum, quod deterius est. Vnde Bernard. loquens de bonis temporalibus, dicit: Vtinam tantum congregata perirent, & non congregator eorum. Tolerabilius esset insudare labori perituro, quàm perempturo. ¶ Quinta stultitia auari est, in expendendo prodigè: quod facit dum pretiosum lumen rationis consumit in quærendo temporalia quæ vilia sunt. de hoc lumine dicitur in Psalm. Signatum est super nos lumen vultus tui domine. Lumen vultus Dei, ratio est, quia secundũ eum Dei imago sumus. Lumen ergo rationis est signatum super nos: quia impressum est nobis sicut imago sigilli ceræ imprimitur. ¶ Hoc lumen valde pretiosum est, sicut potest ostendi tripliciter. ¶ Primò per hoc, quòd secundum illud Deo similes sumus. ¶ Secundò per hoc, quòd prealet toti mundo absque creaturis rationalibus: quod patet per hoc, quòd si alicui lumen rationis tenebresçat, per insaniam vel alio modo, melius est illi lumen restitui quàm totum mundum ei acquiri. ¶ Tertiò potest idem ostendi per hoc: quòd sol & luna & omnia alia luminaria cæli, imò etiam omnes creaturæ visibiles deseruiunt huic lumini, & sunt quasi ad accendendum illud. Vnde manifestum est quale sit lumen istud, cui tam pretiosa luminaria deseruiunt. Valde enim paruis candelis solent accendi valde magni cerei. Hoc lumen expendunt auri

ri in quærendo temporalia, quæ Apostolus arbitratus est vt stercora, quem non credimus fuisse deceptum in sua arbitratione. Si quis candelam quinque denariorum expenderet quærendo vnum obolum, valde fatuus reputaretur: quanto insipientior reputandus est auarus, qui lumen pretiosum, imò impreciabile in congregando lutum expendit? Verè insanus est auarus qui vicinos suos reprehendit de hoc quòd ceram consumunt, cùm sepum eis sufficere possit, dicens: Vt quid perditio hæc? seipsum verò non reprehendit de perditione talis & tanti luminis. Lumen istud regnum est datum homini, vt eo circa se & Deum vtatur. Auarus verò eo vtetur circa iumenta sua, ipse verò remanet in tenebris. Iumenta sua ad lumen comedunt, ipse vero comedit in vmbris. Vnde Eccle. 5. dicitur de auaro: Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærũna atque tristitia. Et quia in tenebris comedit, ideo noxia & venenata comedit. O quàm fatuus reputaretur quis qui ad præsepe iumentorum suorum ceream magnum poneret, ad mensam verò suam esset sine lumine. Sed insipientior cò est auarus, qui nec solum lumen rationis prodigè expendit, imò seipsum dum se totum rebus suis largitur ordinandis & excolendis, & de se nihil retinet sibiipsi, cum ipse amplius regimine & cultura indigeat. ¶ Sexta stultitia est in acquirendo. Fatuus operarius est, qui sciens aliquam bonam artem ex qua potest lucrari decem marcas in die, & facit vile opus vnde tantum quatuor denarior, acquirit. Insipientior est auarus qui labore diurno tãtum lucratur aliquid terrenum, cùm labore eodem, vel minori, & quandoque maiori, si propter Deum faceret, posset lucrari regnum cælorũ. Ad quod pertinet illud Gregorij, Fatuum est inde temporalia quærere, vnde possumus æterna habere. Minuit dominus hominem paulominus ab angelis, sed homo ex auaritia sua minuit se multo amplius à iumentis, cùm reducit se ad illud opus in quo multo minus valet homo quam equus. Locatur enim equus duodecim denariis, quando homo locat se nisi quatuor. Vnde nisi homo laborẽ suum ad Deum referat, à quo aliã mercedem recipiet, inferior iumẽtis quantum ad hoc est. Fatuus etiam negotiator est auarus, qui simpla pro cẽtuplis non vult commutare. Vnde Bern. loquens de verbo isto, Cẽtuplum accipietis &c. dicit, Quid insaniæ est quòd cũctamur relinquere simpla pro centuplis? Vbi cupidus? vbi ambitiosus? vbi cõquisitor huius seculi? Fatuus est qui ad hoc laborat vt spinæ diuitiarum sibi multiplicentur quæ eum pungant in præsenti vaiis curis, & occasionaliter succendent eum in inferno. Nunquid

colliget auarus de spinis istis vuas, aut de tribulis ficus? Imò etiã in præsenti inueniet in illis molestiam & asperitatem, in quibus quæsiuit suauitatem. Auarus etiã talpæ similis est, quæ quicquid fodit, super humeros proprios ponit. Sic auarus ea quæ male acquirit, quodammodo super se ponit. Impediunt enim eum ne ad vitam gratię suscitari possit. Vnde diuitiis quas acquirit cumulatur in aqua, qui non dimittit quicquid tenere potest. Et cùm deberet amplecti tabulam pœnitentiæ quæ eum à naufragio liberaret, potius amplectitur aurum & argentum &c. ponderosa, quę mergunt eum in profundum inferni. Et vt breuiter dicam, Auarus antequam lucretur, seipsum perdit, & antequam aliquid capiat capitur. Iusto enim iudicio Dei fit, sicut dicit Aug. vt à diuitiis quas iniustè capere voluit, capiatur iustissimè, imò quod deterius est ipsis diuitiis, quasi quadã esca à diabolo capiatur. ¶ Septima stultitia est, quòd nec solum expendendo vel acquirendo insipienter agit auarus, sed etiam custodiendo.

¶ Quòd auarus stultè agat, custodiendo diuitias.

Et hæc quatuor de causis. Primò quia thesaurizat vbi omnes antecessores sui thesauros amiserunt, scilicet in mundo isto. Vnde Ose. 7. Ephraim factus est sicut colũba seducta, nõ habẽs cor, id est, sapientiã. Hæc est insipientia colũbæ, q̃ pullos suos ibi ponit vbi omnes amittere consueuit. ¶ Secũdo, quia custodire vult quæ durabilia non sunt. ¶ Tẽporalia ista quatuor de causis consumũtur. ¶ Primò propter corruptibilitatẽ propriam. Vnde Iac. 5. Agite nũc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris quę euenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt &c. ¶ Secunda causa est aliena rapacitas. Vnde Matt. 6. de ista causa & præcedente dicitur, Nolite thesaurizare vobis thesaurũ in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiũt & furantur. ¶ Tertia causa est superbia quam diuitiæ pariũt, quæ postea diuitias consumit. Vnde Aug. Vermis diuitũ superbia est. ¶ Quarta causa est, ampla familia quam diuitiæ requirũt. Vnde Ecc. 5. Vbi multæ sunt opes, ibi multi sunt qui comedũt eas. Et quid prodest possessori nisi q̃ cernit eas oculis suis? ¶ Tertiò insipiẽter agit auarus custodiẽdo quia vult suã secũ habere, cũ securi⁹ possint sibi ab alio custodiri

¶ Fatuus est qui vult pecuniam suam secum habere.

Quinque casus sunt in quibus fatuus est qui pecuniam suam secum vult habere. ¶ Primus casus est, quando aliquis viator, & est transiturus per locum vbi scit se spoliandum esse,

tunc fatuus est si amplius velit de pecunia sua secũ habere quàm sit necessariũ ei ad expensas vsque ad locũ illum. Onus enim esset ei, si amitteret eam. Locus per quem necessario sumus transituri, est mors, vbi spoliabimur. Spoliatur homo in morte, quia mors angustũ est foramen. Vnde Bern. Quid tu camele gibbũ? quid tu pecunioſe proditoris loculos tollis? non sic impie, non sic ingredieris. Foramen acus huiusmodi sarcinas non admittit. ¶ Secũdo spoliatur homo quasi rediturus in ventrem matris suæ, scilicet terræ, vnde Eccles. 40. Iugum graue super filios Adæ à die exitus illorum de ventre matris vsque in diem sepulturæ. Et in Iob 1. Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: id est, in vterum matris, scilicet in terram. ¶ Tertio spoliatur homo in morte ad instar damnatorum qui tradendi patibulo spoliantur. Fatuus est ergo auarus, qui diuitias secum vult habere, cùm sciat se in morte spoliandum esse: & non vult eas mittere in locum securum per manus pauperum. Gregor. Secundus feruntur diuitiæ de patria ad patriam per manus plurium, quàm vnius. ¶ Secundus casus in quo fatuus est qui pecuniam suam secũ vult habere, est, cùm naufragiũ alicui imminet. Vnde Grego. super illud Iob 31. Quasi fluctus tumentes super me timui semper Deũ. Cũ fluctus desuper imminẽt, tũc nautæ de naui proiiciũt, pro quibus lõga naufragia sumpserũt. Fatuus est ergo auarus qui in tanto naufragio positus potius vult pecuniam suam secũ habere, quàm eam in saluo esse, præcipuè cũ Seneca dicat, Nemo cũ sarcinis enatat. ¶ Tertius casus in quo non vult aliquis pecuniam suam secũ habere, est, cùm pecunia illa furtiua est, & scit pecuniã illam testimoniũ suę fore damnationis, si apud se inuenta fuerit. Fatuus est ergo auarus qui rem male acquisitam, quæ testimonium erit condemnationis ipsius, ita diligenter conseruat, videtur coniurasse sibi mortem propriam, cùm in iudicio tam periculoso testes producere velit contra se. Ad hoc pertinere videtur quod auaris dicitur Iaco. 5. Aurum & argentũ vestrum ærugināuit, & ærugo eorũ erit vobis in testimonium, & manducabit carnes vestras sicut ignis. ¶ Quartus casus est, in quo non vult aliquis pecuniam suam secum habere, cùm hostes sui eum insequũtur, & pecunia illa est impedimentũ fugæ illius. Ex quo satis manifestũ est quam insipiens sit auarus quẽ hostes inuisibiles insequuntur, & pecuniam suam nulli commendare vult, sed potius vult eam custodire, cùm in veritate ipsa potius eum custodiat & detineat, nec de manibus eius possit euadere. Vnde auarus est sicut simia vel vrsus, qui quandoque ligantur ad

stipitem vel truncum mobilẽ. Et posset alicui videri quòd simia vel vrsus stipitem custodiat, cùm potius à stipite custodiatur. Sic auari ligati sunt ad temporalia bona, quorum quędam sunt mobilia, quædam immobilia, & potius per ea custodiuntur à diabolo, quàm ipsi custodiant ea. Nec possunt procedere nisi quantum vinculum amoris quo ad diuitias suas ligati sunt permittit. Vnde Exo. 8. Verumtamẽ longius ne abeatis. ¶ Quintus casus quomodo vult aliquis pecuniam suam secum habere est, cùm timet super eam se inquietari, vel vt largiatur eam, vel vt mutuo concedat. Et ista causa deberet multum mouere auarum, quòd pecuniã suam in loco saluo reponeret. Sicut enim caro circa ossa canes prouocat, vt illa rodant & mordeant: & sicut reclamatoria prouocant aues rapaces: sic diuitiæ contra auaros fures & raptores prouocant. Vnde Sene. Auarus dies cupiditatẽ irritat. Imò sicuti caro quæ ossi adhæret, cæteris carnibus amplius appetitur: sic diuitiæ auarorum. Dicunt enim, Auferamus ei, quia nunquam inde daret nobis: vnde à multis inquietatur auarus. Accidit etiã auaro sicut quibusdã arboribus quæ nolunt hominibus fructus suos dimittere, nisi cum difficultate: vel quia non citò matureſcunt, vel alia de causa nihilominus arboribus illis auferuntur fructus suis & insuper optimè verberantur, etiam vsque ad fractionem multorum ramorum suorum. Aliæ verò arbores quę de facili fructus suos dimittunt hominibus, remanent absque damno ramorum suorum. Similiter auarus diuitiis suis spoliatur velit nolit, & præter hæc flagellatur & affligitur sæpe. ¶ Quarto insipienter agit auarus sua custodiendo, quia non vult ea præmittere in cælum. Nõ enim vult eleemosynas facere in vita sua, sed expectat quòd ab aliis sibi fiãt eleemosynæ post mortem. In quo similis illi est qui de nocte transiturus per loca foueis plena, lucernam vellet ferre post tergum. Eleemosynæ enim quas facit homo in vita sua, sunt quasi lucerna quæ præfertur homini, & custodit hominẽ ne cadat in foueam inferni. Eleemosynæ vero post mortem factę sunt quasi lucerna post tergum, quæ non custodit hominem quin cadere possit in foueam inferni. Et si iam cecidit, non extrahunt eum inde eleemosynæ: quia in inferno nulla est redemptio.

¶ De tribus aliis stultitiis auari.

SEQVITVR de aliis tribus stultitiis auarorum. Quarũ prima est improuidentia. Secunda, incircunspectio. Tertia verò incautela. Hæc enim tria sunt species stultitiæ, sicut eorum cõtrariæ sunt species prudentiæ, scilicet prouidentia, circunspectio, & cautela. Quòd autem auarus valde insipienter se habeat in hac pro-

prouisione, potest ostendi multipliciter. Primo per hoc quòd vbi in æternum mansurus est, de domo sibi non prouidet: vbi verò quasi per noctem hospitaturus est, palatia magna construit. Hæc est vita præsens, si ad æternitatem futuræ vitæ comparetur. Vnde Sap. 5. dicitur quòd spes impij est quasi lanugo, vel tanquam memoria hospitis vnius diei prætereuntis. Et Tull. loquens de eo qui bene vixit in mundo isto, dicit quòd ipse ex hac vita discedet tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Imò quod plus est, vita præsens est quasi quoddam diuersorium, ad quod homo declinat ad commorandum aliquãtulum: vel est quasi via per quam cursim transituri sumus. Ad primam facit quod dicit Tullius, Commorandi diuersorium, non habitandi nobis natura dedit. Ad hoc signandum dominus in diuersorio nasci voluit. Breuitas huius vitæ in futuro verius cognoscetur. Vnde Sapiẽ. 5. dicunt damnati in inferno; Nos nati continuò desinimus esse: adhuc verò quòd nos per viam præsentis vitæ cursim transituri sumus. Facit hoc quod dicit Aug. quòd nihil aliud est tempus huius vitæ quàm cursus ad mortem, vnde velocitatem huius transitus, satis exprimunt damnati in inferno, qui dicũt Sap. 5. se præteriisse vitam istam tanquam nuntiũ præcurrentem, & tanquam nauem quæ pertransiit fluctuantem aquã, & tanquam auem quæ transuolat in aëre, & tanquam sagittam ad locũ destinatũ emissam. Quale verò est hoc, quòd in loco ad quem ad horam diuertimus vel in via per quam cursim transituri sumus, palatia magna construere volumus: vbi vero æternaliter mansuri sumus, in nullo nobis prouidere curamus. ¶ Secundo potest ostendi, quòd auarus insipienter agit in sua prouisione per hoc quòd horrea sua & cellaria sua replet ad sustentationem vitæ diurnæ. Nihil verò præparat vitæ æternæ. Vita præsens est quasi vita vnius diei. Datur: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit. ¶ Tertio potest idem ostendi, scilicet quòd auarus insipienter agit in sua prouisione, per hoc quòd iumento suo, scilicet corpori vineas plantat, & agros seminat, & prouidere non cessat: animam vero suam propter defectum cibi spiritualis fame perire permittit. Ad quod possumus referre illud Psalm. Esurientes & sitientes anima eorũ in ipsis defecit. Et Eccl. 6. Omnis labor hominis in ore eius: sed anima illius non implebitur bonis. quasi diceret, Totus labor hominis est circa os corporis, animam verò vacuam relinquit. ¶ Quarto potest ostendi quòd auarus insipienter agit in prouisione sua, per hoc quòd diligenter cauet ne rami arborum suarum nimio pondere frangantur: & iumenta

sua non vult nimio pondere grauari: seipsum verò onere importabili onerare non timet. Vnde Aug. Quid miserius est miserante seipsum? Quantumcunque oneratus sit auarus onere temporalium istorum, nunquam dicit, ꝙ satis sit. Sen. Segetem nimia sternit vbertas. Rami nimio onere franguntur. Omnibus quoque nocet quos immoderata felicitas rumpit. Nec posset auarus sustinere, ꝙ iumentum suum vltra vires suas oneraretur, in onerando vero se vires suas nunquam considerat.

¶ De incircunspectione auari.

SEQVITVR de incircunspectione auari, quæ multiplex est. Prima est ꝙ terrã continuè inspicit: iuxta illud Psal. Oculos suos statuerũt declinare in terrã. Cælestẽ verò patriã nõ considerat quã amittit. Secũda est, ꝙ pedes scuto defensionis diligẽter protegit: caput verò, id est Christũ, hostibus exponit. Caput viri Christus est, sicut dicit Apost. De hoc capite nõ curat auarus, licet ad custodiã illius admoneat, vbi dicitur: Estote prudẽtes sicut serpẽtes. Serpẽs præcipuè caput suũ custodit. Capiti asini sui, id est, corporis, multũ timet auarus: huic verò glorioso capiti non timet. Tertia incircũspectio est, ꝙ à sinistris aduersitatis diligẽter sibi, à dextris verò prosperitatis nõ cauet, ex qua parte sibi magis timẽdũ esse: iuxta illud Greg. Quũ omnis fortuna timẽda sit, magis timẽda est prospera quã aduersa. Et Psa. Cadẽt à latere tuo mille &c. Quarta est, ꝙ paupertatẽ præsentis vitæ quã ante se aspicit, solã attẽdit, & nimis eã cupiẽs fugere, quasi retro cadit in foueã paupertatis æternæ: iuxta illud Iob 6. Qui timet pruinã, irruet sup eũ nix. Et in Prou. Quod timet impius, veniet super eũ. Quia ta est, ꝙ dum auarus cauet diligenter, ne quis sibi furetur argentum suũ vel aurũ, diabolus ex alia parte furatur ei seipsum, quũ tẽpus suũ ei furatur, & quũ detinet eũ in aliquo mortali peccato.

¶ De incautela auari.

DECIMA stultitia auari est, stultitia incautelæ. Et est incautela superficialis rerũ inspectio, quæ multũ abũdat in auaro. Videẽs enim auarus quandã pulchritudinẽ exteriorẽ in vita diuitũ, turpitudinẽ & fœtorẽ quæ in illa est, nõ aduertit. De qua turpitudine dicit Aug. Ecce cũ iniquis omnia sunt pulchra, & ipsi sunt turpes. Et Osee 8. Factus est quasi vas immũdũ in nationib⁹. Videẽs etiã auar⁹ in vita diuitũ exteriora signa lęritię; grauẽ tristitiã quã corrodit corda eorũ nõ aduertit. De qua dicit Sene. Horũ qui felices vocantur, hilaritas est ficta, & est grauis tristitia, eo quidem grauior, quia interdũ non licet palã esse miseros, sed inter ærumnas cor ipsum exedentes, necesse est agere felicem. Videns etiam auarũ

auarũs vitam diuitum, exteriorẽ abũdantiã, cordis pauperiẽ non auertit. De qua Apoc. 3. Dicis, quia diues sum, & locuples, & nullius egeo: & nescis quia miser es, & miserabilis, & pauper. Et Augustin. de diuite: Extrã plenus, intus vacuus, carne crepat, & corde mendicat. ¶ Vndecima stultitia auari est, ꝙ quũ nouerit terrã esse cibum dæmonũ, iuxta illud Genes. dictũ serpenti, Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ: ipse totũ ea se inuoluit, ac si cibus diaboli desideraret esse, quia vbi est thesaurus suus, ibi est cor suũ. Terram etiam in ore ponit, iuxta illud Io. 3. Qui de terra est, de terra loquitur. Et Esaiæ 29. De humo eloquiũ tuũ mussitabit. Aurum etiam in auribus terram ponit: quia ad modum aspidis autem terra obstruit, vel quia de terrenis audit libenter loqui. Loquimini, dicunt auari, nobis placentia. In oculis etiam terram portat: quia iuxta verbum suprà positum, oculos suos statuerunt declinare in terram. Et Salomon, Oculi stultorum in finibus terræ. Terram etiam in manibus habent: iuxta illud, Manus eius in cophino seruierunt. Terra etiam est in pedibus eorum, imò sordes: secundum istud Thren. 1. Sordes eius in pedibus eius.

¶ Quando auarus sit stultus tripliciter.

DVODECIMO, stultus est auarus circa sua, stultior circa suos, stultissimus circa seipsum. Circa sua stultus est, quia nescit inde facere commodũ suũ, imò est similis cani super aceruum fœni sedenti, qui inde non comedit, & tamen latraret si quis inde sumere vellet. Auarus quidem est bursa siue arca furũ, raptorum, & tyrannorũ huius mundi. Arca non habet aliud commodum de pecunia quã seruat, nisi ꝙ occasione illius interdũ frangitur. Bursa vero hoc commodũ reportat de pecunia quã seruat, ꝙ maculata inde remanet, & custodiendo pecuniam consumitur & rumpitur, & interdũ à latronibus scinditur. Sic auarus de pecunia quam seruat, maculam culpæ contrahit, vitam suam in custodia illius consumit, occasione illius affligitur, interdum & iugulatur. ¶ Valde etiam stultus est auarus circa suos. Facit enim auarus de filiis suis sicut solet fieri de muribus: quia sicut mures inuiscantur, & inuiscati per paleam incedendo materiam suæ exustionis colligunt, quia paleæ eis adhærent: Sic auarus quodammodo inuiscat filios suos, dũ docet eos temporalia amare. Amor enim temporaliũ viscus est spiritualiũ pœnarũ, sicut dicit Aug. super Lætatus sum. Et filij sic inuiscati ob amorem temporaliũ, male congregant materiam sui æterni incendij. Circa se verò stultissimus est auarus, quia luctaturus cũ luctatore expeditissimo, impedit se diuitiis quibus ab eo teneri possit, & deiici.

Contrà quod dicit Greg. Quando ad agonem fidei venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Malignus autem spiritus nihil in hoc mundo propriũ possidet. Nudi ergo cũ nudo luctari debemus: quia si quis vestitus cum nudo luctam aggreditur, citius ad terram deiicitur, quia habet vnde teneatur. Ideo adolescens, relicta syndone nudus aufugit. Et Ioseph relicto pallio ab Ægyptia. Stultus est etiam auarus circa se, quia plãtatus vult esse in aquis diuitiarum, quasi nesciret salices & cæteras arbores quæ in aquis crescunt steriles esse.

¶ De sex aliis stultitiis auari.

PRÆTER prædictas stultitias, sunt sex stultitiæ auari. ¶ Prima est, quòd ipse credit ea quę somnia sunt esse veritatem. Vnde Eccl. 34. Somnia extollunt imprudentes. Præsens felicitas quæ imprudens extollit, somnium vocatur, quia assimilatur ei in quatuor. ¶ Primò in hoc, q̃ sicuti somniantes credunt se contrectare poma aurea, vel lapides pretiosos, vel sumere cibos delicatos propter sola fantasmata: Sic illi qui reputantur felices credũt se habere veras diuitias, vel delicias, quũ sola fantasmata earũ habeant. Longè enim amplius distant hæ diuitiæ vel deliciæ à veris, quàm fantasmata pomorum aureorum à pomis aureis. Ad huiusmodi somnium potest referri quod legitur Esa. 29. quemadmodũ somniat esuriens, & comedit: quũ autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius, & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: Sic erit multitudo gentium qui dimicauerunt contra montem Sion. Rectè sicut somnians secũdum visionem suam esurit & comedit, & tamen adhuc in veritate vacuus remanet: sic auarus esurit diuitias, & congregat eas, & tamen æquè vacuus est vt prius vel amplius. ¶ Secundò assimilatur præsens felicitas somno in breuitate. Vnde Iob 20. Quasi somnium auolans non inuenietur, transiet quasi visio nocturna. ¶ Tertiò, assimilatur in hoc, q̃ diuites finito somno præsentis vitæ, nihil habet in manibus suis. Vnde Psalm. Dormierũt somnum suum, & nihil inuenerũt: omnes viri diuitiarum in manibus suis. Gloss. quia nihil hic posuerunt in manibus Christi. Manus pauperũ, sunt manus Christi, in quibus bonũ est vt nostra ponamus, quia non est, qui de manu sua possit eruere. Vnde quidam, Quis dederis solas, semper habebis opes. ¶ Quartò, assimilatur præsens felicitas somno: quia illis qui reputant se felices, nullis persuasionibus potest ostendi, quòd somnient: sicut nec alicui quũ dormit. Senec. Somnia narrare vigilantis est. Sic quando

quando ignis infernalis excitabit eos à somno, tũc cognoscent se somniasse, sicut illi qui dicũt Sapien. 5. in inferno, Transierũt omnia sicut vmbra. Quum erũt diuites in inferno, tũc cognoscent bona & mala huius vitæ non fuisse bona vera & mala vera: sed tantum vmbras verorum bonorum & malorum. Vera enim bona & vera mala futuræ vitæ sunt. ¶ Secunda stultitia est ebrietas. De qua Esaiæ vicesimoseptimo: Væ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim. Ephraim, id est, fructificans, est diues qui amore mundi ebrius est. Vnde Ieremiæ 51. Calix aureus Babylon in manu domini, inebrians omnem terram, id est, amatores terrenorum. Cuius ebrietatis triplex est signum. ¶ Primũ signũ est nuditas. vnde legitur de Noë, Gene. 9. q̃ bibens vinũ inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo: sic auarus veste nuptiali charitatis nudatus est, cũ egenis viscera claudat pietatis, secũdum illud 1. Ioan. 3. Qui habuerit substantiam mũdi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Hanc tamen nuditatem non erubescit auarus ad modũ ebrij, quia eam non cognoscit. ¶ Secũdum signum est hoc, quòd damna & læsiones spirituales non sentit. Gregor. Qui peregrinationem istam pro patria appetit, dolere inter dolores nescit. Prouerb. 23. dicit ebrius: Verberauerũt me, & non dolui: traxerũt me, & non sensi. ¶ Tertium signum est hoc, quòd auarus dormit tanquam porcus, adeò quòd non potest excitari à somno culpæ, nec ad bucciuam diuinæ prædicationis, nec ad tonitrua diuinarum comminationũ. ¶ Tertia stultitia auari est, quòd committit se diuitiis quas scit esse fallaces ex verbo veritatis. Matth. 13. vbi dicitur, q̃ fallacia diuitiarum suffocat verbum. Præterea scit eas quasi infinitos homines perdidisse, & hostibus inuisibilibus captos tradidisse. Abũdantia diuitiarum vtitur illo verbo Iudę, Quemcũque oscultoribus cauendũ est. ¶ Quarta stultitia auari est, quòd innititur labenti atque præcipitanti, scilicet mũdo, vnde Gregorius, Qui labenti innititur, necesse est, vt cum labente labatur. Prouerbiorum vndecimo, Qui confidit in diuitiis, corruet. ¶ Quinta stultitia auari est, quòd seruitiũ suum ponit in eis quæ in summa necessitate non poterũt eũ iuuare. vnde Prouerbio. 11. Non proderũt diuitiæ in die vltionis: iustitia autem liberabit à morte & Sophoniæ primo, Argentum & aurum non poterit eos liberare in die furoris domini. ¶ Sexta stultitia auari est, quòd credit diuitiis: quæ non solum sunt mendaces, imò ipsa men-

dacia vocantur. Vnde Psalm. Et quæritis mendacium. Et Prouerbiorum decimo, Qui initit mendaciis, hic pascit ventos. Et Aug. Domine, volui tecum possidere mendacium, sed te amisi, quia non dignaris cum mendacio possideri. Et mirum est, quomodo iam creditur diuitiis, quũ tam longum tempus transierit, quòd mentiri inceperũt, & tot homines suis mendaciis ad infernum pertraxerũt, & adhuc etiam quotidie mentiũtur, nec vnico mendacio, imò multiplici. ¶ Primò, honorem Dominij promittũt, & in miseram seruitutem hominem ponũt, de qua seruitute dictum est prius. ¶ Secundò, promittũt securitatem, & hominem timidum reddunt, vnde Cain qui interpretatur possessio, legitur habuisse caput tremulum. Iob 15. Sonitus terroris in auribus eius: & quum pax sit, semper insidias suspicatur. ¶ Tertiò promittũt sarietatem, & faciunt esurire. Vnde Philosophus: Diuitiæ cogunt esurire. ¶ Quartò, promittũt suauitatem, & tamen pungũt. Vnde Esaiæ 14. Ponam Babylonem in possessionem ericij, vt scilicet pungatur ab his quæ possidebit, sicut tenens ericium pungitur ab eo.

¶ De cæteris malis quæ veniunt ex auaritia.

Dicto de stultitia auarorum, ostendenda sunt cætera mala quæ facit auaritia subiecto suo, quæ in magna parte patebunt, si ostendantur mala quæ faciũt diuitiæ amatoribus suis. Vnde de illis malis modo dicemus. ¶ Primum malum est, quòd inquinant amatores suos: & ideo luto comparantur, Habacuc secundo, vbi dicitur, Vsquequo aggrauat contra se densum lutum? Ecclesiast. decimotertio, vbi dicitur, Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Et Ezech. 7. sterquilinio comparantur, vbi dicitur: Aurum eorum in sterquiliniũ erit. Sterquilinium dispersum vtile est. Agros enim fructificare facit. Congregatum verò non est vtile, nisi ad inquinandum, & ad fœtorem inferendum: sic diuitiæ dispersæ hominem iuuant: congregate vero amatores suos inquinant, quod dominus voluit in rerum natura significari, quando voluit vel ordinauit, quòd argentum & cætera metalla pretiosa contingentes se etiam corporaliter inquinarent. Ad eandem inquinationem pertinet, quod legitur Prouerbiorum 27. Qui festinat ditari, non erit innocens. Ditari festinat, qui in mundo hoc qui locus est paupertatis & exilij, vult ditari. vnde Ecclesiast. 11. Si fueris dives, non eris immunis à delicto, & Osee nono, de amatoribus diuitiarum. Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt. & Senec: Multum est diuitiarum contubernio non corrumpi. Diuitiæ obliuionem Dei inducunt. vnde Genesis 48. Ephraim & Manasses dicuntur fuisse fratres germani. Ephraim interpretatur fructificans, per quem intelligimus diuitias. Manasses obliuio. Abundantia enim diuitiarum & Dei obliuio, societatem habent adinuicem. Quę societas innuitur Deuteronom. 8. vbi sic legitur, Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum. & subiungitur, Absque penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris. Deinde sequitur, Obserua & caue, nequando obliuiscaris Domini Dei tui: valde enim turpis est inquinatio quam diuitię faciunt. vnde Tull. De nant diuitiæ, imò secum vniuersitatem inducunt vitiorum. ¶ Et primo superbiam. vnde Eccles. 21. Domus quæ nimis est locuples terius auaritia nullum vitium est. ¶ Nec solum vna macula inquiannihilabitur superbia. ¶ Secundo iram. vnde Gene. 13. Facta est rixa inter pastores Abraham, & pastores Loth. Erat enim substantia eorum multa, & nequibant habitare simul. ¶ Tertia inuidiam. vnde Prou. 28. Qui festinat ditari, & inuidet aliis, ignorat quòd egestas superueniet. Et Gre. dicit de viro iusto: Per hoc quòd in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. ¶ Quarto acediam. vnde Ierem. 48. Sterilis fuit Moab ab adolescentia sua, & requieuit in fæcibus suis. ¶ Quinto vitium gulæ. vnde Lucæ 16. Homo quidam erat dives & epulabatur, &c. Et eiusdem 12. Anima mea, multa habes bona reposita in annos plurimos, comede & bibe &c. ¶ Sexto luxuriam. vnde Ecclesiast. 57. dicitur ad Salomonem: Collegisti quasi aurichalcum aurum, & computasti quasi plumbum argentum. Et pòst sequitur, Inclinasti femora tua mulieribus. ¶ Secundum malum quod faciunt diuitiæ, est detentio in peccato. Et ideo comparantur luto. vt suprà, & bitumini, Gen. 14. vbi legitur quòd vallis syluestris habebat multos puteos bituminis. Vallis syluestris est vallis huius miseriæ, quæ diuersa genera diuitiarum habet, quæ corda hominum ad modum bituminis detinent. Ad hoc pertinet quod dicit Augustinus: Domine, ea tenebant me longè à te, quæ non poteram possidere sine te. Et illud Ecclesiast. 31. Qui diligit aurum, non iustificabitur. Et illud Ieremiæ viceſimosecundo: Locutus sum ad te in abundantia tua, & dixisti, Non audiam. ¶ Tertium malum quod faciunt diuitiæ est, quòd possessores suos spoliant. Bona enim temporalia, secundum Augustinum, bona viscata sunt. Ideo dicit Seneca: Quisquis, inquit, volet vitam agere tam, ista viscata beneficia deuiter. Sicut ergo virgæ viscatæ aues spoliant plumis suis: sic bona temporalia spoliant homines pen-

nis

nis virtutum, & plumis sanctarum meditationum & sanctorum desideriorum. Sicut etiam spinæ oues lana spoliant, & interdum excoriant, ita vt à muscis molestentur: Sic diuitiæ corda hominum excoriant, & faciunt ea molestari à muscis diuersarum solicitudinum. De quibus muscis legitur Eccle. 10. Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Et Exod. 18. Venit musca grauissima in domo Pharaonis & seruorum eius. Et Grego. Nihil laboriosius quàm terrenis desideriis æstuare. Nihil quietius, quàm in hoc mundo nihil appetere. Hinc est, quòd Israël custodiam sabbati accepit in munere, & Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Adeò autem spoliant diuitiæ amatores suos, quòd interdum brachæ continentiæ non remanent eis, vnde Ierem. 13. Computruit lumbare Ieremiæ ad Euphraten. Adeò etiam spoliant eos, quòd etiam cor eis non relinquunt, imò vbi thesaurus est eorum, ibi cor eorum est. Mirum est, quomodo sapientes mundi vocantur illi, quum mundus ita spoliet eos. Mirum etiam quomodo nō cessant ludere cum mundo, quum incessanter perdāt cum eo. Sed de ludo calefacti nesciūt se subtrahere ludo: sic vt non perdat, non cessat ludere lusor. ¶ Quarto loco debilitāt diuitiæ. Debilis est enim homo diues ad sustinendum, & ad pugnandum, & ad bene operandum. Ad sustinendum adeò debilis est, vt ad sibilum vnius verbi de altitudine virtutum deiiciatur, & si aliquam infirmitatem in aliquo viderit, fere insanit. Vnde Sene. Regum nobis animos induimus: nam illi obliti suæ imbecillitatis, alienæ deseruiunt, quasi iniuriam acceperint. Ad pugnandum etiam debiles sunt, vnde Ieto. 46. Ad Aquolonem iuxta fluuium Euphraten victi sunt, & corruerunt. Vnde legitur 1. Machab. quòd exercitur Alexandri deuicto Dario, spoliis victa modum ditatis, paulò pòst cum hostibus iterum congressus deuictus est. Quod videns Alexander, omnia spolia quæ sui acquisierant, iussit comburi, dicens: Quamdiu sine pecunia fuerunt non erat qui eis resisteret: sed auro & argento onusti desides & pigri effecti sunt: quibus amissis, fortiter sicut prius pugnauerunt. ¶ Debiles etiam sunt diuites ad bene operandum. De illis enim verum est, quod in Psal. legitur: Manus habent, & non palpabūt: pedes habent, & non ambulabunt: non clamabūt in gutture suo. ¶ Ille qui multum poterat laborare antequam fieret episcopus, cùm factus est episcopus, non potest ire, nec cantare, nec aliquod bonum facere. ¶ Quinto loco affligunt diuitiæ amatores suos. Vnde Eccles. 10. Labor stultorum affligit eos qui nesciunt in vrbem pergere: id est, in paradisum. Affligunt autem eos

eos quasi continue. Vnde Ecclesia. 2. dicitur de auaro: Cuncti dies eius pleni sunt laboribus & ærumnis, nec per noctem, mente requiescit. Et eiusdem 5. Saturitas diuitis non sinit eum dormire: & Ecclesiast. 14. dicitur de auaro quòd in tristitia erit super mensam suam. & Philosophus dicit de ipso, Nihil infelicius fortuna to insipiente. Item Philosophus: Nihil grauius potest imprecari cuiuis inimico quàm auaritia. Qua in præsenti vexante, corpus eius dura tormenta patitur, & in futuro æterna supplicia prometur. Hoc signatum est in eo quòd frater Abel legitur fuisse Cain. Abel luctus, Cain possessio interpretatur. Abel verò & Cain fratres sunt: quia luctus & possessiones iuncta sunt. Idem figuratum est in hoc quod Tyrus legitur fuisse filia Sidonis. Tyrus interpretatur angustia, & afflictio: Sidon, venatio. Venatio autem cupidorum, angustiam & afflictionem in eis parturit. ¶ Sexto loco faciunt diuitiæ quandam stultam fiduciam & præsumptionem. Vnde Psal. Ego dixi in abundantia mea, Non mouebor in æternū. Et Ece. 11. Inueni requiē, & nō manducabo de bonis meis solus: & nescit quòd tempus prætereat, & mors appropinquat, & relinquet omnia aliis, & morietur. ¶ Vltimo interficiunt animæ contēplationē. vnde Gene. 48. Iacob egrediente Euphratem, mortua est Rachel. Ephrates interpretatur sterilis, & significat diuitiarum abundantiam. Ista eadem mala quæ diuitiæ faciunt, facit per consequens ipsa auaritia, quæ eas congregat.

¶ *De duobus aliis malis quæ facit auaritia proprio subiecto.*

Præter ista mala sunt & alia duo quæ facit auaritia. ¶ Primum est, quòd conturbat auarum, & totam domum eius. Vnde Prouer. 15. Conturbat domum suam, qui sectatur auaritiam. Domus ibi potest accipi pro domo conscientiæ, vel pro domesticis. ¶ Secundum malum est gratitudo. Vnde Sen. Nullum malum maius hābet cupiditas, quàm quòd ingrata est. Idem: Quisquis de accipiendo cogitat, oblitus est accepti. Cùm deberet auarus regratiari Deo de bonis quæ iam accepit, ipse oblitus est acceptorum, & de acquirendis cogitat.

De his quibus scriptura comparat auarum. CAP. VIII.

Octauo faciūt ad detestationē auaritiæ, ea quibus scriptura auarū cōparat, scilicet inferno & morti. vnde Habacuc 2. Dilatauit quasi infernus animā suā, & quasi mors nō adimplebitur. Vnde in persona auarorū dicitur Prouerbior. 1. Deglutiamus eū sicut infernus viuentē. & Hierony. Auarus est sicut infernus. Insatiabilis est enim, & quo amplius rapit & deuorat, eo amplius rapere sitit quod deuoret. Comparatur etiā auarus mari. Omnia

enim

enim flumina intrãt mare,& mare nõ redundat:vt legitur Eccl. 1.Sic de diuitiis auarus non redũdat.Comparatur etiã cani. vnde Sen.Vidi aliquãdo canem missum à domino,frusta panis aut carnis aperto ore captantem:quicquid excipit,protinus integrum devorat,& semper ad spem venturi inhiat.Idem accidit nobis:quicquid expectantibus nobis fortuna proiicit,illud sine vlla voluptate dimittimus,statim ad rapinam alterius recti & attoniti aspiramus.Comparatur etiam auarus talpæ, eò quòd niger sit per nequitiam,cæcus per auaritiam, & habens diuersos tumulos. Tot tumulos habet auarus,quot possessiones amat.Comparatur etiam araneæ.Aranea telam facit vt muscas capiat. Muscę quę pungũt, signant diuitias,ad quas capiendas totum studium est auarorum. Vnde Esa.39.Telas araneæ texuerunt.

De exemplis quæ faciunt ad detestationem auaritiæ. CAP. IX.

NOno faciunt ad detestationem auaritiæ exempla sanctorũ & philosophorum,de quibus pauca ponemus.¶Primum exemplum est Genes.14.vbi rex Sodomorum dixit ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Respondit Abraham: Leuo manum meam ad Deum excelsum, possessorem cæli & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ, non accepiam ex omnibus quæ tua sunt &c. ¶Secundum exemplum est eiusdem 33. vbi Iacob volenti dare munera Esau: respondit Esau,Habeo plurima frater mi: sint tua tibi.¶Tertium est Exo. 26.vbi artifices tabernaculi dixerunt Moysi: Plus offert populus quàm necessarium est.Dixit ergo Moyses præconis voce: Nec vir, nec mulier quicquam offerat vltrà in opere sanctuarij.¶Quartum est,Num.22.vbi dicit Balaam: Si dederit mihi Balach domũ suam plenam argenti & auri,non potero mutare verbum Domini.¶Quintum est,1.Regum 12.vbi dicit Samuel: Loquimini de me coram Domino,si de manu cuiusquã munus accepi.¶Sextum,2.Regum,in fine,vbi dicit Dauid ad Ornan: Nequaquam fiet vt vis:sed emam pretio à te aream tuã.¶Septimum est in Ioãne,vbi dicit Dominus:Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.vbi dicit glos. Noluit habere quod perderet:venit pauper,ne haberet diabolus quod auferret.¶Octauum est, 2. ad Cor. 11.Gratis euangelizaui vobis:& quum essem apud vos,& egerem,nulli onerosus fui.Item Paulus Actu.20.Argentum,& aurum, & vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis: quoniam ad ea quæ opus erat mihi,& his qui mecum erant,ministrauerunt manus istæ. & idem:Oportet meminisse verbi Domini Iesu: quoniam ipse dixit, Beatius est dare,quàm accipere.¶Aliud

Aliud exemplum est quod ponit Hieronym.de quodam philosopho qui proficiscens ad philosophandũ Athenas, magnum pondus auri secum detulit.In via autem secum deliberans & considerans se non posse simul diuitias & virtutes possidere,proiecit à se aurum,inquiens:O diuitię,abite,sitis procul à nobis.¶Aliud exemplum est Diogenis in dolio degentis,qui locupletem ducebat paupertatem.Ad quem Aristippus quidam Anglicus quum mundaret olera sua accedens ait: Tu quum sapiens & philosophus sis, si mihi credidisses,& regibus seruire voluisses,non olera lauares, sed in aula summi principis maneres mecum.Cui respondens ait: Si mihi credidisses,& paupertate mediocri scires vti,non oportebere cum manu ad fontem,ait: Nesciebam naturam mihi dedisse scyphum.& paruulum vas cum quo bibere solebat, ad lapidem confregit.¶Aliud exemplum est beati Thomę Cantuariensis,qui instituens cancellarium suum,iuramento eum astrinxit ne vnquam aliquid vsque ad capillum in administratione cancellarij acciperet.

De speciebus Auaritiæ. PARS II. *Quæ habet* XV. *capitula.*

De peccato vsuræ,& eius detestatione,ex sacra scriptura.

CAPVT I.

DIcto de his quę faciũt ad detestationẽ auaritię in cõmuni,dicẽdũ est de speciebus eius.Inter quas primo dicemus de vsura,& hoc ordine.Primo dicemus de his quę faciũt ad detestationẽ vsurę.Secũdo,de speciebus eius.Tertio,tagemus aliquid de restitutione vsurarũ.¶Ad detestationẽ verò huius peccati faciũt testimonia sanctarũ scripturarũ.Quorũ primũ est Exo.22.vbi sic legitur, Si pecuniam mutuam dederis pauperi meo,qui tecum est, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Secundum est Leuit.25.Pecuniam tuam non dabis fratri tuo ad vsurã,& frugum superabundantiam non exiges. Tertium est Deuter.23. vbi sic legitur:Fratri tuo absque vsura id quo indiget commodabis, vt benedicat tibi Dominus in omni opere tuo, & in terra quam ingredieris possidendam.Vbi insinuatur quãta sit vtilitas mutuandi fratri suo. Benedicit enim Dominus ei in omni opere suo. Quartũ est 2.Esdræ 5.vbi sic legitur,Vsuras à fratribus vestris nõ exigetis.Aliud testimoniũ est in Ps.vbi quęrit Dauid ad Dominum Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Et Dominus subiungit, Qui pecuniã suam non dedit ad vsuram. Tabernaculum eius est habitatio militantium:vnde significat militantem ecclesiam,in qua non vult Deus

quiescere

quiescere vsurarios. Vnde ipse legitur mensas euertisse nũmulariorũ, & ęs effudisse, & eos eiecisse de tẽplo. Io. 2. nõ tamẽ recipiebãt manifestas vsuras, sed munuscula fructuũ accipiebãt vltra sortẽ. Aliud testimonium est Ezech. 18. vbi sic legitur de viro iusto: Si ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit &c.

¶ De sex stultitiis vsurariorum.

SECVNDO faciunt ad detestationem vsuræ, sex stultitiæ quibus laborat vsurarius. ¶ Prima est, cùm vehementer desideret fœnerari, non vult tamen cum Deo fœnerari: quod posset facere sine peccato, & cũ magno lucro: sed ibi fœnerator, vbi parum lucrum est, & magnum peccatum. Vnde Aug. Miser homo, cur fœneraris homini? Fœnerare Deo & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. ¶ Secunda stultitia est, quòd ipse accipit pecuniam ad vsuram, quum non egeat, & super melius pignus quod habet. Melius pignus quod habet est anima sua quam accipit: & quicquid vltra sortem accipit, est ad magnam vsuram pœnæ. De qua vsura dicitur in Psal. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, id est, pœna & culpa. Dicitur autem pœna vsura: quia pœna excedit culpam, cùm peccatum mometaneũ æternaliter puniatur. ¶ Tertia stultitia est, q̃ largè expendit super seipsum. Largius etiã quàm expenderet super deterius pignus quod habeat, vnde similis est animalibus emptis à carnifice quæ ad occisionẽ impingnãtur: pro quibus quicquid carnifex expendit, super ipsa expendit. Ad hoc pertinet quod legitur Ierem. 12. Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis: id est, separa eos tanquam ea quæ solent immolari. & Ecc. 26. dicitur de tali, Deus parauit eum ad rhomphæã. ¶ Quarta stultitia est, quòd sciẽter mortifera exurit, & quodãmodo sugit. Vnde cõparatur sanguisugæ, quæ mẽbro tumido apposita, prauũ sanguinẽ sugit. Et dum membrum à tumore fit nat, sibi ipsi est mortis occasio. Et à quibus sibi potius deberet nuere, si iam ea haberet. Ad magnitudinem verò, huius stultitiæ facit, quòd non habet inde quandoque nisi maculatas manus, & mortem animę suæ. Sicut enim dicitur Iob 20. Diuitias quas devorauit euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. ¶ Quinta stultitia est quòd omnẽ viã paradisi obstruit sibi vsurarius. Vt misericordiæ ostruit, cum à paupere petẽte à se mutuũ, petit plus quod plus est, & vult sibi ab homine dari, cui potius debuit dare. Viam veritatis obstruit, quũ dicit se amore pauperi facere & accõmodat pecuniam, quæ incessanter pauperem comedit. ¶ Sexta stultitia est, qua vsurarius laborat in fine vitæ suæ. De qua re-

rem. 16. legitur: Et in nouissimo suo erit insipiẽs. Hæc est summa stultitia, quę est in nouissimo vitæ, quum non possit homo postea de ipsa pœnitere. Attenditur autem ista stultitia in hoc, quòd quum deberet vsurarius de diuitiis sibi facere medicamenta, inde sibi facit vulnera, potius vult inde vti in mortem filiorum suorum, quàm sibi inde mederi. Aliter est etiam insipiens vsurarius in nouissimo suo, quia circa vitam futuram quæ nouissima est, insipiens est, de ipsa sibi non prouidens.

¶ De multiplici iniquitate vsurarij.

TERTIO loco facit ad detestationem vsuræ, multiplex iniquitas, siue iniustitia quę est in vsurario. ¶ Prima autem iniquitas est, quod ipse tempus vendit, quod inter omnia transitoria maximè voluit dominus esse commune omnibus absque personarum acceptione. Quum enim diues plus de aliis rebus habeat, vel meliores eas habeat quàm pauper, de solo tempore non potest habere, nisi idem quod pauper. Non potest enim esse nisi vnicum tempus simul & semel. Magna igitur iniquitas est, quũ vsurarius pauperi vẽdit quod cõmune est. Ideo iusto Dei iudicio in tẽporis indigentia frequenter punitur vsurarius, cũ id vẽdiderit, vel quia viri impij non dimidiabunt dies suos, vel quia differt conuersionem suam quantum potest. Et sic licet diu viuat, tamẽ semper habet temporis indigentiam, vnde de ipso verum est quod legitur Eccles. 29. In tempore redditionis postulabit tempus. Aliter etiam punitur vsurarius pro temporis vẽditione. Cùm enim vendiderit requiem noctis, & lucem diei, merito istis carebit. Vnde fatuus est sacerdos qui cantat pro eo, Requiem æternã dona eis domine &c. Quum petit vsurario restitui quod vendidit, præcipuè quum vsurarius pretium soluere noluerit. Scriptum est enim Ezechie. 7. Qui vendit, ad id quod vendidit non reuertetur. ¶ Secunda iniquitas est, quod vendit pauperi id quod ei debet lege triplici: id est, lege naturæ, lege Mosaica, lege Euangelica. Lege naturæ diues debet pauperi mutuum quod continetur in illo mandato, Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, eadem facite illis. Hanc legẽ videntur implere etiã creaturæ inanimatę. Fluuius enim inueniens vacuitatem foueæ, non pertransit, donec eam impleuerit. Lege etiã Mosaica debet diues pauperi mutuũ, vt patet ex diuersis testimoniis veteris legis prius positis. Lege etiam Euangelica debet hoc idẽ illi: iuxta illud Luc. 6. Date mutuum, nihil inde sperantes. ¶ Tertia iniquitas est, quòd vsurarius qui non est nisi cellerarius, vendit pauperi illud quod dominus præcepit ei dari. ¶ Quarta iniquitas est, quòd vult illud quod

est contra naturam & rationem. Vult enim quòd pecunia quam pauperi accommodat ad commodum suum, apud pauperem operetur, & sic cùm accommodare sit alicui pecuniam ad eius commodum dare, ipse simul vult commodum pecuniæ pauperi dare, & sibi retinere: quod contra rationem esse videtur. Præterea cùm parere in rebus quæ non viuunt, esse non habeat, iste tamen vult nummos suos, qui non viuunt singulis diebus vel mensibus alios nummos parere, quod contra naturam est: & frumentum in arca iam consumptum vult parere sibi aliud frumentum. Vult etiam pecuniã sibi operari dum quiescit. ¶ Quinta iniquitas est, quòd vult pauperi locare pecuniam quæ iam pauperis est. Quum enim mutuum dicatur quasi de meo tuum, pecunia illa iam est pauperis: & si amittatur, pauperi amittitur, nec ad eandem soluẽdam tenetur. ¶ Sexta iniquitas est: quod continuè Deum offendit, & continuò diabolo seruit. Alij peccatores interpolatè Deum offendunt. Fornicator enim quandoque per mensem non committit peccatũ suũ plus quàm semel: sed vsurarius absque treuga vel pace Deum continuè impugnat, & de die & de nocte diabolo seruit: quum Deus vix inueniat qui per dimidium temporis ei seruire velit. ¶ Septima iniquitas est, quod tot curiæ cælesti contumeliam facit. Nónne videtur contumeliã facere alicui sancto, qui in loco sibi dedicato peccatum mortale cõmittit? Sic ei cõtumeliam facit qui in die sibi dedicato peccat. Vnde quum vsurarius peccatum vsuræ omni die committat, manifestum est ipsum contumeliã facere, & Deo, & vniuersis angelis, & sanctis eius, & ideo destitutus est auxilio omnium sanctorum. Vnde cùm dicitur, Domine Iesu, miserere huius usurarij: potest respondere, Quomodo miserebor eius qui nec in ipsa die qua per assumptionem humanę naturæ me fratrem eius feci, honori meo pepercit, nec etiam in ipsa die qua pro latrocinio suo suspensus fuit? Similiter si dicatur S. Petro, Ora pro vsurario isto: potest respondere, Omnes festiuitates meas violauit nec in vllarum honori meo pepercit. Sic potest dicere beata Virgo de quatuor suis festiuitatibus. Sic cùm dicitur, Omnes sancti orate pro vsurario, possunt respondere, Vna festiuitas in anno nobis consecrata est, & hanc vsurarius explorauit, in qua omnibus nobis contumeliam irrogauit, nec honori omnium nostrum pepercit. Idem possunt respondere omnes angeli, Si præcepto dominj interfectus est Num. 35. ille qui ligna in sabbato colligebat, quomodo toleratur vsurarius qui omni die etiam in Natali & Pascha facit, quod peius est quam colligere? ¶ Octaua iniquitas

est, quòd à fratre suo, scilicet Christiano vsuras accipit, quòd Iudæus non faceret. Iudæus enim absque vsura Iudæo accõmodat. ¶ Nona iniquitas est, quòd quicquid habet vsurarius, quodãmodo dentes & fauces habet, quibus homines comedit. Frumẽtum eius, quod à Deo creatum est vt comedatur, homines comedit. Nummi etiam eius homines comedunt. Vnde vulgariter dicitur, Ego debeo viginti libras vsurario, quę me comedũt. ¶ Decima iniquitas est, quòd cum gaudio & risu comedũt & bibũt lacrymas pauperum. ¶ Vndecima est, quòd ipsi beneficio pauperis ad eius destructionem vtuntur, dum de hoc quod dedit eis pauper, vltra sortem suam comedũt, & inde vsuras exigũt. ¶ Duodecima iniquitas est quòd contra legem domini datam. Gen. 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. ipse plus cæteris comedere & bibere vult, & tamen sine labore. Alij laborauerunt, & ipse intrat in labores eorum. Ad vsurarios pertinet quod dicitur in Psal. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur. ¶ Tertiadecima est, quòd peccato suo finem non ponit. Fornicator in momento peccatum suum explet: sed vsurarius cùm accommodat quatuor pro quinque, non imponit aliquem terminum peccato suo, nec etiam vellet pecuniam suam sibi reddi.

¶ *De duodecim aliis quæ faciunt ad detestationem vsuræ.*

PRAETER predicta sunt xij. quæ faciunt ad detestationẽ vsurę. Primũ est, quòd vsurarius latro est. Vnde dominus in euãgelio cũ eiiceret nũmularios de tẽplo qui pro munusculis fructuũ pecuniã offerẽtibus accõmodabant, vocauit eos latrones, dicens: Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur: vos autẽ facistis illã spelũcam latronũ. In hoc etiam deterior est aliis latronibus, quia domesticus est. Nulla enim pestis est efficacior ad nocendũ, quàm familiaris inimicus, sicut Sapiẽs dicit. Et nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm quę latẽt sub similitudine officij. Multo plures exhæredãt vsurarij & depauperant, quàm fures. Fur solum occultè spoliat homines, & de nocte: sed vsurarius spoliat hominẽs & occultè & manifestè, & de die & de nocte, tam potentes quàm pauperes. ¶ Secũdũ est, quòd ipse est proditor. Cõfert enim pauperi beneficium mutui, hac intentione vt exhęredet eum à vinea bona, vel alia possessione si habet. Et hoc facit tã amico quàm inimico & etiam fratri. Si habet vsurarius fratrem minus discretũ, primo tradit ei pecuniam mutuo super possessiones suas, pòst exhæredat eum. ¶ Tertium est, quòd ipse est quasi homicida, quia pauperibus aufert vitam suam. Vnde Ecclesiast. 34. Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est.

Nec solum homicida est vsurarius quantum ad pauperes quibus aufert vitam suam, imò quantum ad filios proprios quos interficit spiritualiter. Vnde Ose. 9. Ephraim ducit ad interfectionem filios. ¶ Quartum est, quòd is aliquo Iuda est deterior. De Iuda enim legitur Mat. 28. quod pœnitẽtia ductus retulit triginta argenteos. Sed vsurarius dum viuit, non vult restituere. ¶ Quintum est, quod ipse est deterior inferno. Infernus enim in passione domini quæ sua non erant restituit: vsurarius verò audita Domini passione non vult aliena restituere. ¶ Sextum est quòd valde similis est diabolo. Sicut enim officium diaboli est peccare: sic officium vsurarij est illud quod est purè peccatum. Ipse facit peccatum negotiationem, sicut meretrices. Aliam negotiationem vel artem non vult vsurarius, nisi vsuras accipere. In hoc etiam diabolo similis est, quod quantum ad mutuum non dormit. Denarij enim quos mutuo dedit, incessanter operantur: sic diabolus non dormit. Iob 13. Qui me comedunt, non dormiunt. ¶ Septimum est, quod vsurarius similis est bufoni, qui terra pascitur, & de vinea exit cùm florere incipit, non valens eius odorem sustinere: sic vsurarius terrenis pascitur & delectatur, & ab ecclesia exit ad odorem verbi diuini. Si enim præsentit quòd sermo debeat ibi fieri, fugit in aliam ecclesiam audire missam. Cùm potius intrare deberet, si extra ecclesiã esset: cùm scriptum sit Ecc. 24. de sacra scriptura, Quasi balsamum nõ mistum, odor meus. ¶ Octauum est, quòd vsurarius die & nocte in infernum tendit, vnde mirum est si citius cæteris non perueniat, cùm continuitas ambulandi multum faciat ad hoc vt aliquis ad locum ad quem tendit citò perueniat. Vnde vetula vna aliquando ita citò venit ad sanctum Iacobum, sicut vnus fortis ambulator, eò quòd continuè incedat. ¶ Nonum est hoc, quòd vsurarius videtur simul xl. peccata vsuræ in diuersis locis exercere: quod fornicator non facit. Fornicator enim non committit simul nisi vnam fornicationem, & in vno loco solo. ¶ Decimum est, quod vsurarius non audet nomen suum coram hominibus confiteri, cum alij homines qui alicuius sunt officij absque omni erubescentia illud confiteantur. ¶ Vndecimum est hoc, quòc vsura quasi cancer est, & quasi morbus contagiosus. Vnde in Psalm. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius. Contagiosum est: quia valde periculosum est ab vsurario aliquid accipere, nisi in quibusdam casibus. Vnde Hieronymus: Cauendum est nobis maximè ne ab his accipiamus munera, quos nouimus viuere de lacrymis pauperum, ne dicatur nobis, Videbas furem, currebas cum eo. Vnde

Vnde legitur in vita beati Fulsei, quòd cùm mortuus esset, obiecit ei diabolus, quòd vestem à quodam vsurario accepisset, & restituit eũ dominus vitæ, vt vitam suã corrigeret: diabolus tamẽ sic eũ percussit, vt per totam vitam eius vestigium aliquod percussionis in eo appareret. Contagiosum etiãapparet esse morbum istum ex hoc, quòd tantum creuerit. Antiquitus enim in tota ciuitate vix inueniebatur vnus fœnerator, & ille non fœnerabatur, nisi data fide, quòd non publicaretur. De quo si fortè praua oriebatur suspicio, dicebatur, Domus eius domus diaboli, & vinea eius vinea diaboli, & sic de cæteris rebus eius. Oscu-lum pacis ei nõ dabatur in missa. Ignis à vicinis in domo eius non sumebatur. Pueri ad eius occursum expauescebant, & ad alterutrum cum digito demonstrabant. Nunc ferè nostrorum temporum fiunt homines tam detestabiles, cubicularij principum, & prælatorum ecclesiæ, & ab omnibus eis assurgitur.

¶ *De multiplici pœna qua punit dominus vsurarios.*

DVODECIMVM est multiplex pœna qua dominus vsurarios punit. ¶ Prima pœna est, quòd spoliantur à tyrannis, sicut ipsi spoliant pauperes. Vnde Esaiæ 33. Væ qui prædaris: nónne & ipse prædaberis? Vnde accidit eis sicut puero paruo tenenti panem in manu, cui canis capit manum, vt panem habere possit. Sic tyrannus vsurarium capit interdum vt eius denarios possit habere. Vnde Iere. 18. Perdix fouit quæ non peperit: fecit diuitias, & non in iudicio: in medio dierum, suorum relinquet eas. Dicunt illi qui nouerunt rerum naturas, ꝙ perdix furripit aliena oua, & fouet: sed cũ pulli adulti fuerint, relinquũt eam. Sic vsurarius congregat ea quæ sua non sunt: nec in acquisitione diuitiarũ suarũ habet respectum ad Dei iudiciũ, sed etiã sæpe in vita sua diuitias suas amittit. Secũda pœna est, quòd nõ habet potestatem restituendi vsuras suas. Vult enim dominus vt cũ restitua cõprehendatur, & suspendatur. Et nota, ꝙ rarò occidit, quòd vsurarius vsuras suas restituat: quia vel prodigus est, & tantum expẽdit, quòd restituere nõ potest: vel auarus est, & ideo restituere nõ vult: vel licet nõ sit prodigus vel auarus, tamẽ sibi potius placet in eleemosynas cẽtũ libras expẽdere quàm restituere cẽtũ solidos. Vnde cõparatur vsurarius cuidam vasi in quo denarij reponũtur habẽti vnicũ foramẽ per quod denarij immittuntur, nec per idem possunt retrahi. Oportet enim vas illud confringi antequã retrahãtur. Sic est ex vsurario. Illi enim de quo habuit nõ restitueret, sed forsitan pauperibus daret: nec etiam hoc faceret nisi in morte sua: vnde Seneca: Auarus nunquam bene

facit nisi cùm moritur. ¶ Tertia pœna vsurarij est, quòd hæreditas ipsius non transit vsque in tertium hæredem. Vnde Eccles. 21. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides in hyeme. Ædificium enim quod fit in hyeme, citò ruit. Sic diuitiæ male acquisitæ citò dilabuntur. Et eiusdē 41. Filiorum peccatorum peribit hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrij. Et hoc est vnum de iustis iudiciis Dei, quòd filij vsurariorum pauperes sunt & miseri, pro quibus ditandis Deum non timuerunt offendere. ¶ Quarta pœna est, quòd vsurarij & eorum filij in inferno sibi inuicem maledicent. Dicet enim pater filio: Maledictus sis fili, quia propter te sum in istis tormētis: fui enim vsurarius, ne tu esses pauper. Cui econtrario dicet filius, Imò tu pater maledictus sis: nisi enim male congregasses mihi diuitias, non male congregatas conseruassem eas. Ad hoc potest referri quòd legitur Eccles. 41. De patre impio queruntur filij: quoniam propter illum sunt in opprobrium. ¶ Quinta pœna vsuriariorum erit pœna damnationis ęternę. Cuius magnitudo insinuatur Eze. 22. vbi sic legitur: Vsuram & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos calumniabaris, meique oblita es, dicit dominus Deus: Ecce complosi manus meas super auaritiam quam fecisti. Complosa manu, & non palma aperta percutiet dominus vsurarium. Et merito: quia ipse manus complosas habuit, & non apertas ad pauperes. Super illud verbum dicit glos. interlin. Habitum irascentis assumpsi.

¶ *De duabus speciebus vsurarum.*

Dicto de iis quæ faciunt ad detestationē vsuræ, dicēdum est de speciebus eius. Notandū est ergo quòd duæ sunt species vsuræ. Vna est manifesta, alia palliata. Manifesta vsura est, cùm aliquis tradit pecuniam numeratā, vel ponderatā, vel mensuratā, tali pacto vt detur sibi aliquid vltra sortem. ¶ Vsura verò palliata sex habet species. ¶ Prima species accidit circa pignora vel obsides, & hęc quinque modis. ¶ Primus modus est, cùm aliquis habet grangiam, & fructus colligit vltra sortem. Secundus modus est, cùm pignoribus vtitur. Vnde Amos 2. Super vestimentis pignorata accubuerūt. Tertius modus sit cùm aliquis equos habet in pignore, & facit eos comedere plusquam possibile sit. Quartus modus sit cùm vsurarius habet obsides, & eorum expensis viuit. Quintus modus sit cùm non vult obsidibus dare dilationem, nisi prius aliquid sibi detur. Magna autem crudelitas vsurarij est, cui non sufficit quòd per se & per sua pauperē hominē comedat, nisi alienos equos & alienos homines in auxilium suum assumat. Vnde beatus

potest dominus dicere de vsurariis verbū illud: Deuorant plebem meam sicut escam panis. Secunda species vsuræ palliatæ est circa venditiones & emptiones. Fit autem species ista tribus modis. Primus est, quādo vsurarius emit aliquam possessionē longè minori pretio quàm valeat, tali cōditione, q̄ vēditor eā rehabere possit, quādo pretiū soluere voluerit. Secūdus modus est, cùm aliquid vēdit ad terminū amplius quā valeat, vel vsq; ad terminum illū valere debeat. Tertius modus est, quādo ante terminū emit aliquid minori pretio quàm valeat, sicut bladū in terra. Tertia species vsuræ est, cùm vsurarius aliquid vltra sortem accipit sine pacto expresso, ipsa consuetudine sic tacitè faciente pactum: sicut inter fatuas mulieres & peccantes cum eis ipsa consuetudo pactum facit ipsis tacentibus. Et in isto casu palliant vsurarij malitiam vsuræ, bonitatis nomine. Tales enim vsuras bonitates vocant. Vnde satis possunt timere ne incurrant illam maledictionem, Esaiæ 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum. ¶ Quarta species est, cū quis palliat vsurā societate: sicut cùm aliquis tradit pecuniā suā alicui negotiatori, talī cōditione quòd sit socius eius in lucro, & nō in dāno: quod est valde magna iniquitas, cū pauper cui traditur pecunia, laborē habeat & periculum animæ quàm corporis, & super eum adhuc ponatur pecuniæ periculū: vult enim vsurarius, quòd pecunia sua sit quo ad lucrū, & pauperis, quo ad periculum. Similiter hæc species vsuræ est, cùm aliquis animalia sua tradit pauperi, tali conditione, quòd sibi sint immortalia, quæ animalia vulgariter vocantur ferrea. Incantator est vsurarius, qui vult quòd animalia quæ pauperi sunt mortua, sibi sint viua. Quinta species est, cùm quis nomine pœnæ palliat vsuram, sicut faciunt Romani: quod licet aliquādo iustè possit fieri, quia iustum est, negligentiam alicuius puniri: tamen quantum ad multos, vsura est: quia non intendunt in pœnis talibus vt sibi soluatur citius, sed vt soluatur amplius. Sexta species est vbi palliatur vsura translatione facta de re ad rem, à persona in personam. A re ad rem fit translatio cū diues non vult vltra sortem pecuniā accipere à paupere: sed bene accipit vt operetur in vinea sua duobus diebus vel aliquid simile. A persona verò ad personam, vt cùm vsurarius non vult commodare, sed habet aliquem amicum quem facit accommodare.

¶ *De restitutionibus vsurarum, maximè de VIII. in quibus reprehensibiles sunt vsurarij circa restitutiones faciendas.*

Dicto de speciebus vsuræ, tangendum est aliquid ad restitutionem vsurarum. Et primo dicemus de his in qui-

bus reprehensibiles sunt vsurarij circa restitutionem. Secundo, dicemus de his per quæ sunt ad restitutionem inducendi Octo verò sunt in quibus reprehensibiles sunt vsurarij circa restitutionem. ¶ Primo in hoc, quòd nolunt restituere, sed de alieno volunt eleemosynarij esse. ¶ Secundo in hoc, quòd si aliquando habent voluntatẽ restituendi, tamen differunt quantũ possunt & authoritate sua sibi dilationem dãt, & accipiũt: absque mora volunt sibi restitui gratiã à qua spoliati sunt, & tamen in præsenti restituere nolunt pauperi illud, vnde eum spoliauerũt. Prius volunt restitui quàm restituere, cum tamen prius spoliauerunt. ¶ Tertio reprehensibiles sunt in hoc, quòd nõ plenè restituunt. Quod tribus modis accidit. Primus modus est, cũ nolunt restituere nisi vsuras quas in propria persona acceperunt, cũ teneantur etiam ad vsuras patris restituendas secũdũ portionẽ hęreditatis quã habẽt. Secũdus modus est, cum clamores exteriores pacificant. De clamore autem cõscientiæ propriæ qui proximior est & qui sequitur eos vsque ad æternum iudicẽ, non curant. Si enim aliquis est de cuius iniuria remordeat eos conscientia, ex quo ipse nõ cõqueritur, non curant, satisfacere ei. Tertius modus est, cũ his qui cõqueruntur quandoq; nõ soluit etiam quartam partem. Satis dissimilis est restitutio nostri temporis restitutioni illius Zachæi, de qua Lucæ 19. Si aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ideo meruit Zachæus tam citò audire, Hodie salus huic domui facta est. ¶ Quarto, reprehensibiles sunt vsurarij, quòd nõ humiliter restituũt, imò dicũt illis qui aliquid petũt sibi restitui, Si ego nõ fuissem, vos & familia vestra fame perissetis. Si Deo placuerit, ego cõualescã. Et proponũt, ꝙ si Deo placuerit vt cõualescant, ipsi facient pauperi quæ Deo non placeant. ¶ Quinto reprehensibiles sunt in hoc, ꝙ cũ difficultate restituunt ea quæ libenter deberẽt restituere: quia plus sibi à Deo restituitur quàm ipsi restituant. Grati etiam deberent esse conquerentibus, tãquam illis qui sunt adiutores propriæ salutis, cõsiderantes, ꝙ si isti modo taceant, dæmones postea, non tacebunt. ¶ Sexto reprehensibiles sunt in hoc quòd quãda infirmãtur, proponunt se restituere, si cõtingat eos mori. Si autẽ contingat eos euadere, nõ habent propositũ restituendi. Talem pacem volunt cũ Deo facere, quòd si moriantur, nõ infestabũt eũ. Sed sciãt indubitãter, quòd Deus nõ facit pacẽ cũ eis, siue moriantur, siue viuant. ¶ Septimo reprehensibiles sunt in hoc, quòd aliquã certam summam præfigunt, vnde vsuræ eorum restituantur: quod non sufficit, nisi præcipiant, quòd de aliis bonis eorum restitutio perficiatur, si summa illa non suffecerit. ¶ Octauo reprehensibiles sunt in hoc, quòd filios suos constituunt restitutores: quia verisimile est, cũ vsurarius in vita sua plus amauerit diuitias quàm propriam animam, quòd filius suus debeat eas plus amare quàm alienam animam, & quòd nolit maledictionem illam mundanam habere, Maledictus qui partem suam deteriorem facit.

¶ De octo quæ valent ad inducendum vsurarium vt restituat.

SEQVITVR de his quæ ad hoc valere possunt vt vsurarius libentius restituat, si frequenter ea meditetur. ¶ Octo sunt quæ ad hoc valent. ¶ Primo valet ad hoc, si sæpe cogitet ad ea quæ sibi restituentur, si ipse restituat. Sex enim sunt quæ sibi restituentur, quorum quodlibet plus incõparabiliter valet quàm ea quæ ipse restituet. Primo restituetur ei Deus. Vnde patet, quòd non debet credere diabolo, si ei dixerit, Tu pauper eris, si restitues: quomodo enim est pauper qui Deũ habet? Vnde Aug. Aurum habens in arca dives est, Deũ habens in conscientia dives nõ est? Cõiungere ibi sumitur, ge aurũ & Deũ, arcam, & conscientiã. Coniungere ibi sumitur, pro comparare. Item Aug. Satis dives est Christiana religio, quæ in omniũ possessore omnia possidet. Quis diceret aliquem pauperem, qui totum mũdũ haberet? Quomodo ergo pauper est qui Deum habet? cuius Deus, secundum iudicium vsurarij, plus valeat quàm mũdus? Secũdum quod esurario restituitur, est regnũ æternum. Quomodo depauperatur cui in tali regno acquiritur? Tertio restituũtur vsurario omnes spirituales fratres quos amiserat per peccatum. Vnde Ecc. 13. Quæ communicatio sancti ad canem? Velut canis est vsurarius dum est in peccato, non habens aliquam fraternitatem cũ aliquo amico Dei. Sed cũ vsuras restituit, omnes amici Dei eius fratres fiũt. Quis fratrem suum amissum, xij. denariis nõ redimat? Si autẽ vsurarius pro quolibet fratre quem recuperat, restituat xij. denarios, sufficienter erit restitutum. Quarto restituitur ei societas ecclesiæ, ex qua partẽ habet in omnibus bonis ecclesiæ, vnde Psal. Particeps ego sum omniũ timentiũ te &c. Quinto restituuntur ei bona quæ per peccatum amisit. Si peregrinationem fecit, vel aliud bonum, ipse amisit illud per peccatum vsurę consequenter cõmissum, ipse amisit illis

tionem. Non enim dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Quis latro videns sibi patibulum erectum non libenter restituat quicquid potest, si per hoc euadere credat? Vnde August. Quis non vt viueret, continuò perdere voluit vnde viueret, eligens potius vitã mendicantem, quàm celerem mortẽ? ¶ Tertio valet ad idem si cogitet, quòd iustitia Dei gladiũ tenet euaginatum super caput eius vt secet eũ medium: licet ad tempus misericordia Dei gladium teneat. Quis autem potius non eligat quicquid tenet deponere, quàm gladio perire? ¶ Quarto valet ad hoc, si cogitet se similem esse illi super quẽ cecidit domus vel magna massa terræ. Quis in tali statu si non possit molam per se remouere desuper se, non roget amicos suos vt se iuuent? Pecunia per vsuram acquisita, quasi mola terræ est, vsurariũ impediens ne ad vitam gloriæ possit resurgere. vnde deberet rogare omnes amicos suos vt se inuito vel nesciente pecuniam illã restituerent. Quinto valet ad idẽ si cogitet se similem esse illi qui molam asinariã habet ligatam ad collum trahentem eũ in profundum. Pecunia male acquisita est quasi mola asinaria fune amoris quasi collo eius ligata trahens eũ in profundum infernũ vnde cum lacrymis rogare deberet, si amicum haberet, quòd auferret sibi pecuniã illã, & restitueret. ¶ Sexto valet ad idẽ si cogitet, qꝫ ipse relictur⁹ est similiter pecuniã etiã si nõ restituat, & leẽ eat. vnde Eccl. 10. Cùm enim morietur homo, hereditabit bestias, serpẽtes & vermes. Ista tria diuidunt sibi bona vsurarij in morte ei⁹. Serpẽtes, id est, dæmones habent animã. Bestiæ, id est dominus, vel amici vsurarij qui bestiæ possunt dici à vastãdo, habẽt pecuniã: vermes verò habẽt corpus, & quilibet horũ non daret partẽ suã pro duabus aliis partibus. ¶ Septimo valet ad idem si cogitet vsurarius qꝫ pecunia sua filiis suis relicta sit eis occasio mortis æternę. Quis enim potius non eligat pecunia aliqua cõparare sibi vitã æternã, quàm hæredibus suis mortẽ æternam? ¶ Octauo valet ad idẽ, si vsurarius cogitet in cõpassionẽ & duritiã quæ post mortẽ suã futura est in eius filiis erga eũ. Vix enim semel in anno memores erunt ipsius vt eius anniuersariũ faciãt. In semetipso autẽ potest respicere quàm parũ boni pro suis fecerit. & sic sibi fieri non dubitet: vel multo minus, quia abundante iniquitate refrigescet charitas multorum, vt ait dominus.

De peccato rapinæ, vbi primo ponuntur sex quæ deberent homines cohibere à rapina. CAP. II.

POst peccatum vsuræ dicendum est de peccato rapinæ. Sex verò sunt quæ deberent homines cohibere à peccato iste. ¶ Pri-

¶ Primum est, magnitudo ipsius. Secundum est, macula huius peccati. Tertium est, iustitiæ vel vilitas quæ in peccato isto est. Quartum est, magnum damnum spirituale, quod raptor incurrit. Quintum est, parua vtilitas quę inde sequitur. Sextum est, pœna raptorum quæ in sacra scriptura inuenitur.

¶ De XII. quæ ostendunt magnitudinem huius peccati scilicet rapinæ.

DVODECIM verò sunt, quæ valere possunt ad ostendendam magnitudinem huius peccati. ¶ Primum est, quòd peccatum istud ipsum fundamentum iustitiæ vel bonitatis destruit in homine. Quod sit istud fundamentum, ostendit Sapiẽs, dicens: Primum fundamentum iustitiæ est, ne cui noceatur, deinde vt cõmuni vtilitati seruiatur. ¶ Secundum est hoc, quòd Exo. 20. videtur lex amplius prohibere istud peccatũ, quàm alia peccata. Postquam enim prohibuit actum rapinæ cum actu homicidij & cęteris malis actibus, iterum prohibet voluntatem rapiendi, dicens: Non concupisces domum &c. ¶ Tertium est hoc, quòd adeò est odiosa rapina Deo. Vnde Esa. 41. Ego dominus amans iudicium, & odio habens rapinam. Etiam in holocaustum, quod erat dignior species sacrificij, habeat dominus odio rapinam. ¶ Quarto etiam est exosa rapina sanctis hominibus, adeò vt ipsum mundũ eis exosum reddat. vnde Eccle. 4. Verti me ad alia quæ sub sole geruntur, & vidi calumnias pauperum, & lacrymas innocẽtum, & consolatorem neminem: nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub sole fiunt. Ad idem pertinet quod legitur Habacuc 1. Vsquequo domine clamabo, & non exaudies? vociferabor ad te, vim patiens, & non saluabis? Et subiungit: Quare respicis contemptores, & taces, conculcante impio iustiorem se? ¶ Quintum est, quòd rapina inter Christianos non solum rapina est, imò proditio, & quia omnes Christiani fratres sunt. deprędari enim fratrem suum innocentem non potest aliquis sine crimine proditionis. Et etiam propter hoc, quia qui deprædatur subditum alicuius, deprædatur ipsum dominum. Vnde qui fidelem deprædatur Deum deprædatur dominum suum. Vnde proditor est, cùm dominum suum deprædatur absque eius culpa. ¶ Sextum est hoc, quòd raptor homicida est. Vnde Ecclesiasti. 34. Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Quum raptor vitam suam pauperi auferat, quasi quodammodo mortem ei infert. Auferre enim vitam, & inferre mortem

tem conuertibilia sunt. ¶Septimum est hoc, quòd raptores peiores sunt furibus. Vniuersaliter enim peius est peccare apertè quàm peccare occultè. Sicut adulterari apertè peius est quàm occultè. Peius igitur est iniuriari alicui apertè, vt faciunt raptores, quàm occultè, vt faciunt fures. ¶Octauum est hoc, quòd peiores sunt raptores quàm vsurarij. Cuius signum est hoc, quòd pauperes homines vt euadant raptorũ manus, ponunt se in manus vsurariorũ, qui tamen valde mali sunt: vt ostensum est suprà. ¶Nonum est hoc, quòd peccatum rapinę multum assimilat hominem diabolo. Diabolus enim fuit raptor primus. Voluit enim altitudinẽ Dei rapere. Vnde Propheta in persona eius, Ero similis Altissimo. Et adhuc incessanter laborat, vt bona nostra rapiat. Nec solum assimilatur diabolo in rapiendo bona hominum, imò etiã torquendo homines, vt bona eorum extorqueat ab eis.

¶Quòd raptores peiores sunt diabolo.

Decimvm est, quòd raptores in tribus peiores sunt diabolo. ¶Primo in hoc, quòd diabolus eos depredatur, & torquet qui mala agunt. sed raptores depredantur & torquent qui à malo recedunt. Vnde Esa. 59. Qui recessit à malo prædæ patuit. Et Prou. 29. Viri sanguinum oderunt simplicem. Diabolus poterit se iustificare comparatione raptorum in die iudicij. Poterit enim dicere? Ego solus illos in inferno afflixi qui te offenderunt. sed raptores isti illos deprędati sunt, & afflixerunt qui non meruerunt. ¶Secundo sunt peiores in hoc, quòd diabolus defert angelo Dei homini ad custodiam deputato, vt corporalem violentiã ei non inferat, quod raptores non faciunt. ¶Tertio sunt peiores in hoc, quòd diabolus torquet homines in inferno: qui locus tormentorum vocatur, Luc. 15. sed raptores homines torquent in mundo, vbi homines deberent habere libertatem faciendi de se, & de suis secundum voluntatem suam. Vnde rectè possumus intelligere raptores vocatos angelos diaboli. Matth. 25. vbi sic legitur: Ite maledicti &c. qui paratus est diabolo & angelis eius. Missi videntur à diabolo & raptores ad faciendum talia opera in mundo, qualia facit diabolus in inferno. ¶Vndecimum est, quòd spiritussanctus in sacra scriptura dicit raptores talia facere de pauperibus, qualia nulli persecutores ecclesiæ leguntur fecisse de fidelibus. Dicit enim eos excoriare homines pauperes, & atterere & commolere, & pascere, & comedere, & deuorare. De primo legitur Michææ 3. Odio habetis bonum, & diligitis malum, qui violenter tollitis pelles eorum desuper eis, & carnes eorum desuper ossibus eorum. De secundo & tertio legitur Esa. 3. Rapina pau-

pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? De quarto, Eccles. 13. Venatio leonis onager in eremo: sic pascua diuitum sunt pauperes. De quinto, legitur Prouerb. 30. Generatio quæ pro dentibus gladium habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra & pauperes ex hominibus. De sexto legitur Ezech. 19. Factus est leo, & didicit capere prædam, & homines deuorare. Et eiusdem 22. Sicut leo rugiens capiénsque prædam, animam deuorauit inopis. ¶Quod autem prædicta testimonia scripturæ de raptoribus vera sint, constat, quum à sancto Spiritu dicta sunt. Sed qualiter intelligenda sint, non est adeò manifestũ. Possumus tamen intelligere raptores talia facere pauperibus, cum ea faciunt rebus eorum, quæ ad sustentationem vitæ eis sunt necessariæ. vnde qui excoriat vnum bouem quem habet pauper homo, reputatione ipsius pauperis excoriat eum. penè enim idẽ est pauperi acsi excoriaret eum. Vnde Dauid 2. Reg. 2. Quum Nathan proposuit ei parabolam de diuite, qui abstulerat pauperi homini ouem vnam, dixit eum dignum morte. Secundum hunc modum etiam molit pauperem, qui frumentum eius ei necessarium molit. ¶Aliter etiam possumus dicere, quòd raptor pauperem excoriat: quia aufert ei temporalia quæ defectum intolerabilem pellunt ab eo, sicut & pellis propriæ carnis. Nec sine illis potest viuere, sicut nec sine propria pelle: vnde & pelles vocantur, temporalia. Iob 2. Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo dabit pro anima sua. Pellem inquam temporalium, pro pelle propriæ carnis. Pellem etiam dicitur raptor auferre pauperi: quia aufert ea quæ adhærent per amorem cordi, sicut pellis adhæret corpori: imo amplius videntur adhærere cordi quàm ipsa anima corpori. Quum enim pauperes ad mortem infirmantur, potius permittunt animam à corpore recedere quàm à se separarent, dando medicis vel aliter expendendo illud modicum quod habent. Ex hac verò adhæsione patere potest qualis sit dolor in corum separatione. Carnem etiam & sanguinem auferunt raptores pauperibus, cum auferunt ea quæ acquisierunt labore & sudore, & proprij corporis consumptione, & quæ etiam proprio corpori subtraxerunt, vbi in carnem & sanguinem conuersa essent. Imò etiam plus videtur raptor facere pauperi, quàm si eum excoriaret. Ille enim qui eum excoriaret, non auferret ei nisi quod haberet pellem suam: sed raptor aufert ei etiam illud quod non habet, quia aufert illud quod vsurariorum est, qui accommodauerunt. Aufert etiam illi raptor quod iam comedit & bibit

bit. Expendit enim pauper & annonam & vinum antequam colligat illa. Possumus etiam intelligere raptores commolere pauperes: qui inter spem euasionis, & metum deprædationis, quasi inter duas molas eos affligunt. Notabiliter autem dicitur, facies pauperum commolitis. Præ paupertate enim faciunt facies eorum ad tantam maciem deuenire, quòd videntur genæ eorum compressæ fuisse inter duas molas.

¶ Quæ debeant hominem cohibere à peccato rapinæ.

DVODECIMVM faciens ad magnitudinem huius peccati est hoc, quòd ipsi peiores sunt bestia quacũque. Vnus enim raptor totam vnam patriam deuorat: lupus verò interdum per annum vnum nõ deuorat hominẽ vnum. Vnde sacra scriptura raptores comparat diuersis generibus bestiarum. Quandoque lupo. Vnde Sophoniæ 3. Iudices eius lupi, vespere non relinquebant in mane. Quandoque verò cõparat eos leoni, vel vrso. ¶ Vne Prou. 8. Leo rugiens & vrsus esuriens, princeps impius super populũ pauperem. ¶ Secundo, deberet cohibere homines à peccato rapinæ hoc, quòd macula huius peccati ita adhæret. Vix enim aliquis restituit perfectè ea quæ rapuit. Videmus eos qui habent nouas vestes quò diligentissimè cauent eis ab oleo, & ab aliis quorum maculæ remoueri non possunt, dicentes: Perdita esset vestis, si caderet super eam aliquid tale: quanto iuuenis magis qui nondum rapuit, deberet sibi cauere à rapina, & dicere intra se, Perditus sum, si incepero rapere? Nunquam enim de cætero restituam. ¶ Tertio, deberet raptores cohibere hoc, quòd magna ignobilitas & rusticitas est in rapiendo. Dare enim nobile est. Vnde in Tobia versificator, Est dare lætitiæ vox verbum nobile, verbum Mellifluum, dantis gloria dantis honor. Et valde assimilat hominem Deo. Deus ex liberalitate sua fecit quicquid fecit. Et ad dandum, alia fecit vt haberet quæ daret, alia verò vt haberet quibus daret. Si autẽ dare hominem nobilẽ reddit, auferre reddit eum rusticũ & vilẽ. ¶ Quarto, deberet raptores cohibere magnum damnum spirituale quod incurrunt, quando aliquid terrenum rapiunt. Vnde Augustinus: Lucrum in arca, damnum in conscientia, tollit vestem & perdit fidem, acquirit pecuniam & perdit iustitiam. Raptor lucrum habet in arca, quam cum lucrum relicturus est: sed damnum habet in conscientia quam cum damno delaturus est. Fidem perdit quam debeat Deo, & fratri in Christiano: vnde proditor est. Iustitiam etiam perdit: vnde non habebit eam in auxilium in die iudicij, sed potius erit contrarium. ¶ Quinto, deberet cohibere raptores hoc, quòd

tam vtilitatem habent de rapina sua. Quo ad corpus enim, eis parum valet, quia citò transit. vnde Eccle. 40. Substantiæ impiorum quasi fluuius siccabuntur. Et sumitur ibi fluuius pro torrente, qui à pluuiis congregatur. Quo ad animam verò, nullam habent vtilitatem, quia non possunt inde facere eleemosynam vel oblationem. Vnde Ecclesia. 34. Qui offert sacrificia ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris. Cum substantia pauperum vita sit eorum: qui eam offert domino, quasi vitam vel sanguinem pauperum qui sunt filij Dei, ei offert. Vnde substantia pauperis vocatur sanguis. Ieremiæ secundo, In alis tuis inuentus est sanguis animarum pauperum. Alæ vocantur extremitates pretiosorum palliorum: in quibus alis sanguis inuenitur, quum de rapinis pauperum fiunt. Cum his alis non de facili volat quis in cælum.

¶ Quòd dominus multum puniturus est raptores.

SEXTO deberet cohibere homines à rapina, magna punitio, quã sumpturus est Deus de raptoribus. ¶ Quatuor verò sunt per quæ potest ostendi quòd Dominus multũ puniturus est raptores. ¶ Primum est hoc, quòd ipse ita districtè iudicat eos qui propria non largiuntur pauperibus. Si enim damnat eos qui pauperibus sua non tradunt, quid faciet de his qui sua eis auferunt? Vnde dicit gloss. super Luc. 16. Non reprehenditur diues quòd aliena rapuerit, sed quòd sua nõ erogauerit: quid ergo erit ei, qui aliena rapit? Ad idem valet quod legitur Matth. 25. Tunc dicet rex his qui à sinistris eius erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim & non dedistis mihi manducare &c. Raptoribus verò dicere poterit: Esuriui, & abstulistis mihi quod debebam manducare. Ori meo subtraxistis quod canibus & auibus vestris dedistis. Raptores enim ori Dei subtrahunt à pauperibus quod in ore porcorum, id est voluptuosorum hominum, vel in ore canum, scilicet detractorum ponunt. Ad literam, etiam aues & canes pascuntur de rapinis pauperum. & etiam auferunt de ore Dei, quæ ponunt in ore diaboli. Os Dei est os pauperis. Os verò diaboli est os impij. Cum enim impius seruus sit diaboli, os & cætera quæ habet, diaboli sunt. Qui ergo subtrahit pauperi quod dat peccatori, ori Dei subtrahit, quod ponit in ore diaboli. Raptoribus etiam poterit Dominus dicere: Sitiui, & abstulistis mihi quod debui bibere: imò quod plus est, sanguinem meum in pauperibus bibistis. quod enim vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Poterit etiam Dominus eis dicere: Hospes

eram

Universidad de Deusto
Biblioteca

eram,& non collegistis me. imò quod plus est domum in quam colligi debebam,combussistis.Et iterum: Nudus fui, & non me cooperuistis.Imò quòd plus est, in pauperibus me excoriastis:& vnde cooperiri debui, mihi subtraxistis. Vxores militum vestibus caudatis terram operiunt,pro quibus viri earum Deum in pauperibus nudauerunt:& quandoque trahunt in cauda sua totam substantiam vnius pauperis hominis. Et iterum: infirmus fui,& non me visitastis, sed super dolorem vulnerũ meorũ addidistis,& quasi vulnere super vulnus me concidistis. In carcere fui,ibi me cruciastis,& quasi iterum me crucifixistis. ¶ Secũdo potest perpendi , quòd Dominus grauiter puniturus sit raptores per imprecationes & maledictiones quas faciunt eis viduę & pupilli,quos ipsi spoliant.Dicit enim scriptura,quòd tales imprecationes à Domino exaudiuntur. Vnde Ecclesiastì. trigesimoquinto: Non despiciet Dominus preces pupilli,nec viduam si effundat loquelam gemitus. Nònne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eam id est,super eum qui facit eam lacrymari.Et subiũgitur:A maxilla eius ascendunt vsque ad cælum , & Dominus exauditor non delectabitur in illis. Minus dicit, & plus significat, dum dicit Non delectabitur:quasi diceret , grauissimè irascetur in eis. Vndentur lacrymæ viduæ tantum ad maxillam descendere: sed veritate ascendunt ad cælũ vsque ad conspectum Dei,quãtum virtutem. Ad idem valet parabola quam Dominus ponit Luc 18.de iudice iniquo,qui Deum non timebat,nec hominem reuerebatur , qui nolebat per multum tempus vindicare viduam quandam de aduersario eius,sed potius dixit intra se : Etsi Deum non timeo , nec hominem reuercor: tamen quia molesta est mihi hæc vidua , vindicabo illam. Et subiungit Dominus : Videte quid iudex iniquitatis dicat , Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte , & patientiam habebit in illis? Multum timendum est raptoribus de propria salute: preces enim eorum propter rapinas eorum non exaudiuntur. Vnde Esaiæ 1. Quum multiplicaueritis orationem, non exaudiam vos. Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt. Orationes etiam bonorum pro eis factæ , sæpe non exaudiuntur: quia aduersantur eis lacrymæ pupillorum & viduarum quæ lacrymæ violentæ sunt in precibus. Sicut dicit Augustinus super illud , Auribus percipe lacrymas meas. Feruentiores lacrymosiores sunt & frequentiores preces pauperum contra raptores , quàm sint preces bonorum pro eis factæ. Vnde

tum timendum est raptoribus ne exaudiantur. Non de facili obtinet quis in aliqua curia iusta, quum habet ibi multos aduersarios,& fortes qui iustam causam habent.Ad cõtrarietatem istarũ precũ videtur pertinere quod legitur Eccl.34. Vnus orans, & alius maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus:Imò vnus orans,& multi maledicentes: vnde timẽdum est, ne vocem maledicentiũ dominus exaudiat. Vnde remedium est raptoribus, vt à rapinis cessent,& oppressis subueniant prout iustè poterunt, & tunc dominum propitium habebunt. Vnde Esa.1. Subuenite oppresso,iudicate pupillo,defendite viduam, & venite, & arguite me,dicit dominus. Si fuerint peccata vestra,vt coccinum,quasi nix dealbabuntur. ¶ Tertiò,potest ostendi,q̃ grauiter puniturus sit Deus raptores per amorem quẽ habet cælestis iudex ad pauperes qui spoliantur. Amor verò cælestis iudicis ad pauperes tãtus est,q̃ sibi fieri reputat quod eis fit.Vnde Mat.25. Quod vni ex minimis meis fecistis,mihi fecistis. Propter hoc etiam venit in carnem. Vnde Psal.Propter miseriam inopum & gemitũ pauperum,nunc exurgam,dicit Dominus. Et Esa.61.Euangelizare pauperibus misit me.In primo etiam verbo nouæ legis regnum suum eis communicauit,dicens:Beati pauperes spiritu,&c. Vnde verisimile est,q̃ districtè iudicet oppressores eorum.Ideò dicitur in Psal. Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum,& humiliabit calumniatorem.& Prouer.23.Ne attingas paruulorum terminos,& agrum pupillorũ ne introeas. Propinquus enim illorum fortis est, ipse iudicabit contra te causam illorum.Et Prou.22. Non facies violentiam pauperi,quia pauper est:nec conteres egenum in porta, quia Dominus iudicabit causam eius,& configet eos qui confixerunt animam eius. ¶ Quartò potest ostendi magna pœna raptorum,per hoc q̃ pauperes quos ipsi spoliauerunt,iudices eorum erunt. Vnde Iob 36. Pauperibus iudicium tribuit. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos,qui se angustiauerunt,& qui abstulerunt labores eorum: vt legitur Sapient.5.

¶ Quòd raptores etiam in mundo isto multipliciter punientur à Deo.

PRIMA verò pœna raptorum in mundo isto, paupertas est. Vnde Prou.11. Alij diuidunt propria,& ditiores fiunt:alij rapiunt non sua,& semper in egestate sunt. Possunt enim assignari quinque causæ huius paupertatis. ¶ Prima est hæc,quòd raptores relicto Deo & cõtempto,qui est fons, & abundantia omnium bonorum, de indigentiis pauperum repleri volunt. Vnde dominus

per Prophetam: Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ. Adeò mi-
lites deberẽt sperare ea quæ sibi necessaria sunt, & ei seruire, non
laboribus pauperum inhiare. De paupertate enim nõ colligitur
abũdantia. ¶ Secunda causa paupertatis est hæc, quia sicut rapto-
res auferũt aliis, ita & alij auferent eis. Vnde Esa. 33. Væ qui præ-
daris, nónne & ipse prædaberis? Et Habacuc 2. Quia tu spoliasti
gentes multas, spoliabunt te omnes qui relicti fuerunt de popu-
lis. ¶ Tertia causa est hæc, quòd oportet eos multas expensas fa-
cere. Abyssus enim rapinarũ abyssum inuocat expẽsarũ. ¶ Quar-
ta causa est hæc, q̃ dominus non dat libenter eis qui sibi auferũt
in pauperibus. Vnde plus amittunt quod Dei liberalitas eis datu-
ra erat, quàm sit illud quod pauperibus auferũt. Et facilius ad di-
uitias peruenirent Dei liberalitati seruiendo, quàm contra Dei
voluntatẽ Dei bona rapiendo. Mira infamia: volunt raptores bo-
na eius qui liberalissimus est, per violentiam habere. Cũ auarus
hominibus hoc solebat fieri, & non illis qui sua libenter largie-
tur. ¶ Quinta causa est hæc, q̃ creaturæ in locis sibi à Deo depu-
tatis conseruantur & quiescunt. In locis verò vbi violenter ponã-
tur, non quiescunt, vt ponderosa quæ in infimis locis quiescunt,
leuia in supremis. Si autem in aliis locis violenter ponuntur, ad
sua loca reuertuntur. Sic est de diuitiis. Vnde quidam: Non habe-
euentus sordida præda bonos. ¶ Secunda raptorum pœna, est fa-
rilitas: quum enim raptores contra Deum acquirere velint q̃
possideant, dominus negat eis, vel successoribus eorum qui pos-
deant. Non enim dat eis hæredes. Vnde Eccles. 40. Nepotes im-
piorum non multiplicabũt ramos. & Sap. 4. Adulterinæ plan-
tiones non dabunt radices altas, nec stabile fundamentum col-
locabunt. ¶ Tertia pœna raptorũ est acceleratio mortis eorum.
Vnde Dauid: Viri sanguinũ & dolosi non dimidiabunt dies suos
&c. Et Prou. 3. Impij de terra perdentur, & qui iniqua agunt,
ferentur ex ea. ¶ Quarta pœna est, quòd frequenter gladio mo-
riuntur, & anima à dæmonibus rapitur, & corpus sepultura ca-
ret. Vnde Iere. 22. Væ qui ædificat domum suam in iniustitia
quibusdam interpositis, subiungitur: Propterea hæc dicit do-
minus: Non plangent eum, Væ frater, & væ soror: & non con-
pabunt ei. Væ domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelie
putrefactus & proiectus extra portas Ierusalẽ. De hoc verò q̃
spiritus eius rapiatur à dæmonibus, dicit Greg. Qui mihi vi
liter rapit, subito vrgente exitu inuisibiliter rapietur. Et Eccl
Non effugiet rapinam peccator. ¶ Quinta & sexta pœnæ
quòd filij eorũ mendici fiunt, & gladio moriuntur. Vnde Na
2. L

2. Leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit leenis suis, & im-
pleuit præda speluncas suas. Et subditur: Ecce ego ad te, dicit Do-
minus exercituum, & succendam vsque ad summum quadrigas
tuas, & leunculos comedet gladius, & exterminabo de terra præ-
dam tuam. Et Iob 27. Hæc est pars impij apud Deum, & hæredi-
tas violentorum, quam ab omnipotente susципient. Si multipli-
cati fuerint filij eius, in gladio erunt: & nepotes eius non satura-
buntur pane. In futuro verò pœna raptorum erit, quòd rapinæ
eorum collis eorum imponentur: & sic coram toto mundo du-
centur, deinde verò suspendentur. Raptores simili pœna vel ma-
iori debent puniri quàm latrones: sed non est qui audeat hoc fa-
cere: sed cælestis rex qui non timet eos, hoc faciet. Vnde Thren.
Iniquitates meæ circunuolutæ sunt, & impositæ collo meo. Ini-
quitates posiũt intelligi res iniquè acquisitæ. Amos 4. Iurauit
Dominus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & leua-
bunt vos in contis, id est, in perticis, ad modum eorum qui su-
spenduntur. Rapinæ etiam se habebunt ad raptores, vt molæ asi-
nariæ collo corũ suspensæ ad inferiora loca inferni eos trahen-
tes. Vnde Prou. 21. Rapinę impiorum detrahent eos. Hæ sunt pœ-
næ raptorum, quas debent expectare, certi omnino quòd veniẽt
super eos, nisi pœnituerint. Iurauit enim dominus se non tradi-
turum obliuioni rapinas eorum. Vnde Amos 8. Audite hoc qui
conteritis pauperem. Et subiungitur: Iurauit dominus in super-
biam Iacob: si oblitus fuero vsquè ad finem opera eorum.

De iniustis tallijs, & peccati huius magnitudine.

CAPVT III.

TErtio loco inter species auaritiæ dicendum est de peccato
iniustarum talliarum. A quo peccato tria deberent cohibe-
re homines, scilicet peccati magnitudo, & vilitas quæ est in fa-
ciendo tallias, & damnum quod prouenit inde eis qui eas faciũt.
¶ Magnitudo verò huius peccati ex hoc potest ostendi, quòd præ-
ter peccatum rapinæ est ibi peccatum proditionis. Est etiam ibi
ingratitudo & contemptus Dei, & angelorum. Quòd proditio
sit ibi, potest ostendi multipliciter. ¶ Primò sic, Si aliquis pater-
familias filium suum transtulit per aliquam viam periculosam,
bonæ fidei alicuius commendaret, & certam summam pecuniæ
pro hoc ei assignaret: si ille vltra summam illam filio eius ali-
quid auferret, proditor esset. Et diceret paterfamiliãs: Ego com-
mendaueram filium meum bonæ fidei illius, & ipse spoliauit
eum. Sed constat quòd Deus filios suos commendauit potenti-
bus huius mundi, & definiuit eis de quibus deberent esse conten-

ti. Vnde Lucæ 3. quum quærerent milites à Ioanne Baptista quid facerent. Respondit Ioannes: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Prohibentur eis primo duo peccata, per quę solent potentes pecuniam à pauperibus extorquere, scilicet comminatio & calũnia. Comminatio, vbi dicitur, Neminem concutiatis: calumnia verò in sequenti verbo. Deinde verò ostenditur eis, quòd stipendiis suis debent esse contenti. Vnde si vltra stipendia sua accipiũt, sunt proditores. ¶Spoliant enim filios Dei bonæ fidei eorum commendatos: nisi faciant hoc in illis casibus in quibus eis licet. ¶Secundò ostenditur idem sic. Constat quòd tantam fidem debet dominus subdito, quantam subditus domino. Sed si subditus caperet dominum, vel alio modo, malefaceret, & proditor esset. Igitur si dominus subditum capiat, vel aliud malũ ei faciat, proditor est, nisi ille culpam commiserit quæ hoc requirat: nec minus incens est, si dominus absque culpa subditum capiat, quàm si subditus dominum caperet. Dicunt aliqui milites: Si alicui qui esset meus subditus male facerem, bene scio quòd peccarem: si subdito meo male facio, tunc non credo me peccare vel tantum peccare. Quibus dici potest, quòd secundum hoc, dominatio eorum diabolica est. Diabolus enim talis dominus est, qui sibi subditis loco retributionis afflictionem & pœnam tribuit illis qui melius sibi seruiunt plura mala facit: præterea quis capitis dubitet minus licitum esse hostem esse in ciues, quàm extraneos? quis nesciat crimen proditionis esse, cùm amicitias exercere? Subditi verò secundum Sapientem sunt miles amici. Præterea, cùm certum sit quòd miles iste fidem debebat pauperi homini antequam faceret sibi homagium quam fratri suo Christiano, nec pauper illum à fide illa absoquum ei homagium fecit: imò vinculũ quod inter eos erat lo pacis confirmatum est: quomodo ergo miles immunis crimine proditionis, quum malum facit ei, nisi ei prius signquòd non vult ei fidem illam seruare, & quòd non vult cæterο tanquam subditum, sed tanquam hostem habere? catum etiam ingratitudinis est ibi. Deus enim eum honoraaliis hominibus præficiendo. Ipse verò ex hoc inhonorat in pauperibus eum opprimendo: in hoc similis militibus, Deum crucifixerunt, qui de arundine de manu Domini pta, caput eius percutiebant. In arundine significatur potestas, quam milites à Deo acceperunt, & deinde ex ea in pauperibus percutiunt. Contemptus etiam Dei, & angelo

est ibi. Licet enim Deus tradiderit pauperes custodiendos potentibus huius seculi: tamen ipse noluit eos esse absque custodibus cælestibus, imò vnusquisque homo habet vnum angelum sibi ad custodiam deputatum, quem contemnit qui pauperem hominem opprimit, & in ipso etiam angelo Deum contemnit, cuius nuntium non reueretur.

¶De sex malis quæ proueniunt alicui eò quòd tallias faciat.

Secvndo deberet cohibere milites à talliis multiplex damnum quod inde prouenit eis. ¶Primum autem damnum quod ipsi incurrunt est, quòd dominus videns eos iniquos in paucis bonis temporalibus eis commissis non vult eis ea augere. Scit enim quòd qui in modico iniquus est, & in maiori iniquus est; secundum quod legitur Lucæ 16. Vnde frequenter videmus milites, qui tallias faciunt, pauperes, illos autem qui non faciũt, diuites. ¶Secundũ damnum est, quòd subditi eorum fugiunt eos: & fit iusto Dei iudicio, vt qui plus voluerant habere quàm debent, non habeant etiam quod deberent habere. Vnde legitur 3. Reg. 12. quod Roboam filius Salomonis volens aggrauare iugum filiorum Israël, dominium decem tribuum amisit. ¶Tertium damnum est, cælestis regni amissio. Sicut enim dominus dicturus est illi qui fidelis est in temporalibus istis: Euge serue bone, &c. Ita dicturus est ei qui infideliter se habuit, Væ tibi serue nequam & infidelis: quia super pauca fuisti infidelis, super nulla te constituam: intra in carcerem domini tui, qui scilicet præparatus est diabolo & angelis eius. Mira insania est potentum huius mundi, qui cùm receperunt aliquid terrenũ, non curant de Deo, quasi nihil vltrà essent recepturi: & quia plus habẽt de terra quàm alij, ideo omnino non curant de cælo. ¶Quartum damnum est, quòd durum iudicium & absque misericordia merentur sibi apud Deum. Ea enim mensura qua mensi fuerint illis quibus præsunt, remetietur eis ab eo, qui præest illis. Vnde non credant Deum misericorditer actutum cùm eis, cùm ipsi non habeant se misericorditer, nec etiam iustè cum suis subditis. Ad quod pertinet quòd legitur Sapien. 6. Citò apparebit vobis regibus, quoniam iudicium durissimum in his qui præsunt fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potẽter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam dominus, qui est omnium dominator: nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillũ & magnũ ipse fecit, & æqualiter cura

est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat curatio. ¶ Quint ũ damnum est, quòd interdum aliquis tyrannus potentior eos opprimit, sicut ipsi minus potentes opprimunt. Vnde in Psal. Deus conteret dentes eorũ in ore ipsorũ, &c. Per dentes eorum & molas leonũ, intelligitur potestas deuorandi pauperes, & conterendi, quam dominus interdum aufert. ¶ Sextũ damnum est, quòd odio habentur ad modum luporum. Ideo lupus odio habetur, & ab hominibus, & à cæteris animalibus: quia non vivit, nisi ex eis quæ aufert. Eadem ratione exosi sunt homines rapaces. In hoc tamen differentia est, quòd lupi rapinas non exercent contra lupos, sed contra animalia alterius speciei: sed tales homines contra eos, qui sunt eiusdem speciei, rapinas exercent.

¶ De vilitate huius peccati.

TERTIO deberet cohibere milites à tallijs vilitas quæ est in faciendo eas. ¶ Sicut enim gloriosum est dare, sic vile est quærere. Et tanto vilius videtur esse genus quærendi, quanto vilior & inferior est persona à qua queritur, & nobilior persona quæ quærit. Vnde vilitas ista quærendi, repressiuum quoddam deberet esse militibus ne vltra vires expenderent. Plus enim ignominiæ est in quærendo, si ipsi scirent intelligere, quàm sit honoris in expendendo indiscrete. Sed dicet aliquis miles, Oportet nos viuere, & viuere non possumus, nisi iniustas tallias faciamus. Cui respondeo quòd in valde periculoso statu sunt. Simles enim sunt illi qui in carcere esset, cui non apponerentur nisi toxicata: & sic cogitaret in mente sua, Non possum viuere, nisi comedam: & si comedam mortem meam comedo. In magno animi dolore deberent esse qui in tali statu se vident, & totã viram istã deberent contẽnere.

De fraudibus negotiatorum. CAP. IIII.

QVARTO loco inter species auaritiæ dicendum est de fraudibus negotiatorũm. Et notandum est quòd negotiatio bona est in se, & hominibus necessaria. Ordinauit enim Deus, vnam terra in omnibus sufficiat: vt cùm alia terra ei subuenerit, ea chariorem habeat. Subuentio autem ista mediante negotiatione fit. Sed malitia hominum adeò impleuit fraudibus negotiationem, quòd multi negotiatores non sunt minus mali hodie quam ptoribus vel vsurarijs. Vnde hodie impletum est quod legitur Apocal. 13. de bestia quam vidit Ioannes: Et faciet, inquit, ne quis possit vendere aut emere, nisi qui habuerit characterem, aut nomen bestiæ, & numerũ nominis eius. Bestia quæ dicitur à vastando, est diabolus, cuius character, siue imago est falsitas vel fraus: ipse enim fuit primus mendax. Vnde Ioan. 8. Ipse est mendax, pa-

ter eius. Absque ista imagine confitentur multi mercatores quòd non possunt emere, vel vendere. Et tamen legitur in Apocalypsi, 13. quòd qui acceperit characterem in fronte sua vel in manu sua, hic bibet de vino iræ Dei.

¶ De octo malis abundantibus in mercatoribus.

OCTO verò sunt mala quæ abundant in mercatoribus. ¶ Primum malum est, vendere quanto carius possunt, & emere quanto vilius possunt. Istud malum excludit Deum à negotiatoribus, & facit negotiatores idololatras esse. Ex quo enim aliquis nullum habet respectum ad Deum ac fraternam charitatem in sua negotiatione, ipse seruitium quod deberet Deo impendere, impendit diuitijs, quod indubitãter idololatria est, sicut ostensum est prius. ¶ Secundo abundant mendacia in mercatoribus, in quibus non est parua culpa. Vnde legitur Ecclesiastic. 20. Quòd potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis. ¶ Tertiò, abundant ibi periuria, in quibus similiter non parua culpa est, quum sint cõtra illud decalogi, Non assumes nomẽ Dei tui in vanũ. Præterea cùm tãta culpa sit hominem in falsum testimoniũ adducere: quanta culpa credenda est, quum aliquis vult ad testificandũ falsum adducere? quod fit in periurio. Per Deũ enim iurare, est eũ in testẽ adducere. ¶ Quartò, verò abũdãt in mercatorib. furta, quæ furta fiũt præsertim per fraudes, quas faciũt circa stateras & põdera & mensuras.

¶ De triplici fraude mercatorum quæ fit in mensuris. Et de duplici damno proueniente ex isto peccato.

IN talibus verò tripliciter est fraus. Vno modo, quum quis habet diuersa pondera vel diuersas mensuras, & vendit ad minorem, & emit ad maiorem. Secundo modo cùm quis habet iustam mensuram, & iustum pondus, sed tamen male mensurat vel ponderat; sicut faciunt caupones qui mensuram implent spuma. Tertio modo cùm quis procurat quòd res quã ad pondus vende re debet ponderosior sit, vt faciunt illi qui lanam madefaciunt. Duo verò sunt quæ deberent homines cohibere à fraude quæ fit in ponderibus & mensuris, scilicet magnitudo ipsius peccati, & damnum quod inde prouenit. Magnitudo verò huius peccati tripliciter potest ostendi. Primò, ex hoc, quòd peccatum istud Dei abominatio vocatur. Proueb. 11. vbi sic legitur: Statera dolosa abominatio est apud Deum, & pondus æquum voluntas eius. Nõ vocamus abominationẽ illud quod displicet alicui, sed quod valde displicet. Secundo potest ostendi magnitudo huius peccati per hoc, quòd per mensuras, & pondera, & stateras deberent ex quæ iniqua sunt, & iniusta ad iustitiã & æquitatem reduci. Vnde

sunt quasi instrumenta iustitiæ & æquitatis: ideò magis displicet Deo iniquitas in talibus. Tertiò, potest ostendi magnitudo huius peccati per hoc, quòd mensuræ & pondera pertinere solent ad dominum terræ, vnde falsitas talium in eõtumeliam domini quodammodo redundat. Ideò dicitur Leuitic. 19. Ego dominus Deus vester, nolite facere aliquid iniquum in iudicio, & in regula, & in pondere, & in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera: iustus modius, æquúsque sextarius. Ego dominus Deus vester. Ideò cum loqueretur de mensuris & ponderibus, bis se dominum dixit, vt timeant in eis fraudem facere, cùm scirent se habere dominum, quem nulla fraus posset latere. Damnum verò proueniens ex peccato isto, duplex est, scilicet temporale, & spirituale. De temporali habetur Deuteron. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius, & minus: nec erit in domo tua modius maior, & minor. Pondus habebis iustum & verum, & modius æqualis & verus erit tibi, vt multò viuas tempore super terram quam dominus Deus meus dederit tibi. Abominabitur enim dominus eum qui fecerit hæc. Et Michææ 6. Nunquid iustificabo stateram impiam, & saccelli pondera dolosa? Et subditur pœna eius qui talia facit: Tu seminabis, & non metes: & calcabis olivam, & non vngeris oleo &c. Spirituale verò damnum est, quod tangitur Michææ 6. Adhuc ignis in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor iræ plena. Quantum mensuræ subtrahitur, tantum iræ & offensæ diuinæ acquiritur, cùm scriptum sit in libro Sapientiæ 11. Per quæ peccat homo, per hæc & torquetur. Vnde cùm in statera peccent tales, in statera beati Michaëlis ponentur, vt mala eorum in ea magni fiant ponderis, bona verò nullius. ¶ Quintum malum quod abundat in mercatoribus, est vendere ad terminum, quod est species vsuræ palliatæ, vt dictum est prius. ¶ Sextum malum est, aliud ostendere, & aliud vendere: sicut accidit in scriptoribus qui bonam literam ostendunt & prauam deinde scribunt. ¶ Septimum malum est, verum celare. ¶ Octauum malum est, tenebrosa loca eligere, vel aliter procurare vt res venalis appareat alterius modi quàm sit. Sicut accidit in mercatoribus, qui tenebras faciunt in locis in quibus debent pannos vendere: in quo ostendunt se esse filios tenebrarum. Vnde meritò dicet de eis dominus: Proiicite eos in tenebras exteriores. Tenebras quæsierunt, tenebras habeant. Ostendunt etiam se velle male agere: quia qui male agit, odit lucem. Iob. 24.

QVinto loco inter species auaritiæ dicendum est de acceptione munerum. ¶ Et primo ostendemus quàm periculosa sit munerum acceptio. Deinde agemus de his quæ reprehensibilia sunt circa acceptores munerum. Quàm periculosa verò sit munerum acceptio, satis apparebit, si ostendantur mala quæ faciunt munera acceptoribus suis.

¶ *De decem malis quæ proueniunt ex acceptione munerum.*

PRIMVM malum est, quòd excæcant eum. ¶ Secundum malum est, quòd eum mutum reddunt. De his duobus legitur Ecclesiastici 20. Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptionem. De excæcatione etiam legitur in Exod. 23. Non accipies munera quæ excæcant etiam prudentes, & subuertunt verba iustorum. Deuterono. 16. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba iustorum. Quis, nisi insanus, in hospitio suo libenter recipiat eum à quo debet excæcari? Ad hoc verò quòd munera hominem mutum reddunt, pertinet quod dicit Gregorius: Non potest constanter argui à quo accipitur. Apostolus noluit accipere, ne dum acciperet, authoritatem magisterij inclinaret. Ad idem pertinet quòd legitur Esa. 56. Canes muti non valentes latrare. Interdum prælatus aliquis venit ad aliquem sacerdotem cum tanto latratu, quòd videtur quòd velit eum deuorare. ¶ Sed ille proiicit aliquid in ora eius, & aufert ei latratũ. Percutit enim de vna marca argenti, ita quòd aufert ei loquelã. ¶ Tertium malum quòd faciunt munera acceptoribus suis, est corruptio. Vnde Esaiæ 1. Principes tui infideles, socij furum. ¶ Et subiungitur causa: Omnes diligunt munera, sequũtur retributiones. Et licet aliqui per munera non corumpantur, tamẽ præsumptio habetur contra eos de corruptione. Quia secundum Hieronymum, sicut matrona non est casta, quæ eum rogatur munera accipit: ita nec iudex munuscula accipiẽs à corruptione immunis iudicatur. ¶ Quartũ malum est, quòd munera accipientẽ in seruitutẽ redigunt. Vnde t. ad Corinth. 11. Omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Et loquitur Apostolus de sumptibus recipiẽdis: & innuit quòd si ab eis sumptus reciperet, iam sub eorum potestate esset. Vnde quidam sapiẽs cum pro libertate reipublicæ stetisset in causa contra quendam diuitẽ, cuius expensis diu edoctus fuerat, & super ingratitudine à diuite illo in causam vocatus fuisset. Reges enim Romanorũ ingratos puniebãt. dixit illi diuiti: Domine mi, tu scis, quia nihil causa odij feci: sed pro liber-

tate reipub: & honestate meę personæ, imò qtiã & tuæ steti. Nũc verò hoc video quòd nihil periculosius est acceptis muneribus, si ad omnem nos obligant seruitutẽ. ¶ Quintum malum est, quòd manum suscipientis inquinant. Ad hoc referre possumus quod legitur Osee 5. Ephraim cœpit abire post sordes. Homo cupidus cuius cor aurum affectat, videtur post aurum abire, iuxta illud Eccle. 31. Beatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit. Sed secundum iudiciũ viri spiritualis vadit post sordes, & affectat in manibus recipere illud à quo deberet eas excutere si iam illud teneret. Ab eis enim quæ inquinant, solent homines manus excutere. ¶ Sextũ malũ est, quòd munera male dictionẽ inducũt super acceptores suos. Vnde Deute. 27. Maledictus qui munera accipit vt percutiat animã innocentis. Esaiæ 5. Væ qui iustificatis impiũ pro muneribus. Cupidus quãdo munus recipit, creãit se benedictionem recipere. Vnde munus vocatur benedictio. 4. Regum 5. Vbi dicit Naamã Eliseo, Obsecro vt accipias benedictionem à seruo tuo. Sed latet ibi maledictio quam Giezi sensit, cùm lepra Naaman ei adhæsit. ¶ Septimum malum est, quòd munera impediunt acceptores suos à melioribus donis. Væ illis qui ideò cælestia accipere non possunt, quia manus eorũ terrã impediunt. Ad hoc pertinet id quod legitur Esa. 33. Qui excutit manus suas ab omni munere & cætera. In exul fis habitabit. ¶ Octauum est, quod munera acceptores suos obligant non tãtùm ad seruitutem, sed etiam ad mortẽ. Vnde prouerb. 15. Qui odit munera, viuet. Vbi per oppositũ innuitur, quod qui diligit munera, morietur. Ad idem pertinet illud Eccle. 10. Homo venalem animã suam habet. Et loquitur de amatore pecuniæ. ¶ Nono, inolinant munera acceptores suos ad omnem impietatem. Vnde in Psalm. In quorũ manibus iniquitates sunt. Et ideò dicitur causa: Dextera eorum repleta est muneribus. ¶ Decimum igne infernali eos comburent. Vnde Iob 15. Ignis deuorabit tabernacula eorum qui libenter munera accipiunt. Quis nisi insanus, ea amet quæ amatoribus suis tot & tanta mala faciunt?

¶ *De quinque in quibus possunt reprehendi acceptores munerum.*

SEQVITVR de his quæ possunt esse reprehẽsibilia circa acceptores munerũ. Quæ sunt quinq;. ¶ Primũ est, quãdo aliquis non indiget recipit quod pauperibus dari deberet. Vnde Hieronymus papã: Clerici qui de bonis & opibus parẽtũ sustentari possunt, si quod pauperũ est sibi accipiũt, sacrilegiũ profectò admittũt, & per abusionẽ taliũ iudicium sibi manducant & bibunt.

Idem in quadam epistola: O monache, si eges & accipis, potius das quàm accipis. Hoc dicit: quia obligatur ad dãdum spiritualia quæ acceptis meliora sunt. Deinde subdit: Si non indiges, & accipis, rapis: quia distribuenda pauperibus tibi vsurpas. Item Prosper in libro de vita contemplatiua: Habentes vnde sustentantur, non sine grandi peccato suo: vnde pauper victurus erat, accipiunt. ¶ Secundo reprehensibile est in acceptoribus munerum, quando illi qui dant tenentur restituere eis à quibus habuerunt. De quibus dicit Hierony. Qui à raptoribus, simoniacis, & fœneratoribus munera accipiunt, similes sunt illis qui minores pisces deuoratos à magnis comedunt, & deuorant. Sicut enim sic deuorati nulli vsui sunt apti: ita nec obligatio talium vlli vsui, vllæ religioni apta est. Hoc vitio laborant quidam religiosi nostri temporis exterius prætendentes sanctitatem, interius verò pleni auaritia & cupiditate. Qui quasi mercatores sunt pellium anguillarum, qui indifferenter omnia accipiunt, & in pios vsus conuertere volunt. Qui signati sunt per Gedeonem, qui inaures aureas de præda Madianitarum accepit, vt faceret inde sacerdotales vestes. Et factum est Gedeoni & omni domui eius in ruinam. Vt legitur Iudicum 8. ¶ Isti etiam similes sunt Saul, qui regem Amalech, & meliora de ouibus & armentis reseruauit, volens immolare domino, propter quod abiecit eum dominus ne esset rex, vt legitur 1. Regum 15. Isti etiam similes sunt Achor, qui furatus est de anathemate Iericho: vt legitur Iosue 7. Vnde Hieronymus: Diligenter discutiendum est & cauendum, ne quis abstulerit de aliquo anathemate, ne propter illud multi cum eo perdantur. Isti etiam contra prohibitionem legis mortis cinium comedunt, & à bestia captum. ¶ Tertio, reprehensibile est in acceptoribus munerum, cùm habent impios ministros, qui procurant quocunque modo possunt vt ipsi à subditis aliquid extorqueant, quod est valde magnum peccatum, quos suggillat mus hoc exemplo: Quidam clericus cùm ad aleam omnia quæ habere potuisset præter quinque solidos perdidisset, incœpit Deũ blasphemare, & promittere eosdem quinque solidos homini qui eum doceret quomodo Deum magis offenderet. Cui quidam qui aderat dicit: Si Deum supra omnem peccatorem voluerit offendere, fias quæstor palatij episcopi. Tales figurati sunt per fuscinulam, de qua legitur 1. Regum 2. Veniebat puer sacerdotis cùm coquerẽtur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, & omne quod leuabat fuscinula tollebat sacerdos sibi. Quidam prælati ecclesiæ ad

modum

modum dæmonum habent fuscinulas suas, quibus subditos sibi liant. Isti etiam significati sunt per ostiola per quę sacerdotes Belis furabantur quæ ponebantur ante idolum eius: vt legitur Danialis 14. Isti etiam similes sunt mergulis illis quos vidit beatus Martinus in quodam flumine, qui assiduè capturæ piscium intendebant. Et ait, Forma ista dæmonum est. Et præcipit eos auctare. Isti sunt velut aucupes. Vnde Amos 3. Nunquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? Laqueus terræ est prælatus malus. vnde Osee 5. dicitur ad prælatos: Vobiscum iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super montem Thabor. Isti etiam canes sunt, de quibus dicitur in Psal. Ipsi dispergentur ad manducandum: si verò non fuerint saturati, & murmurabunt. Dispergentur ministri episcoporum per eorum diœceses. Si non dant eis sacerdotes, accusant illos: iuxta illud Michææ 3. Si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eũ prælium. Asserunt enim rectum esse & iustum quòd ab officio & beneficio suspendantur. De iis legitur Iere. 5. Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. ¶ Quartò, reprehensibiles sunt acceptores munerum, quando ipsi accipiunt munera pro causa pro qua non deberent accipere: sicut iudices qui munera accipiũt vel vt iustitiam deserant, vel vt iustitiam faciãt quam gratis deberent facere. Vtrunque enim peccatum est. Sicut enim iniquus esset qui cappam meam mihi venderet: ita iniquus est qui iustitiam quam debet facere ex officio, non vult facere nisi sibi aliquid detur. Ad quod referri potest illud Psalm. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Iustitiam vendens tam dominus iudicabit, & pro ea venditorem damnabit: munera vero accipere, vt deseratur iustitia, quasi peccatum Iudæ est. Vnde super illud Matth. 26. Exinde quærebat opportunitatem vt eum traderet. dicit glos. Multi hodie sunt qui factum Iudæ execrantur, & idem faciunt. Nã cum pro munere falsum testimonium dicunt, Deum qui veritas est, vendunt. A simili, qui pro munere falsum iudicium faciunt, Deum qui iustitia est, vendunt. ¶ Quinto, reprehensibiles sunt acceptores munerum, quando non faciunt illud ad quod obligantur acceptione munerum. Sicut accidit in illis qui eleemosynas recipiunt, & tamen negligunt orare pro largitoribus earum. Mercedem bene volunt susc̃ipere, laborem recusant ferre. Quibus dicitur in Psalm. Surgite postquam sederitis, &c. Panis doloris vocatur panis clericorum: quia requiritur pro eo luctus & dolor. Dolere enim debent pec-

eorum à quibus eis datus est panis ille. Ideo postquam sederunt ad mensam, surgere debent ad orandum pro eis. Sed ipsum panem doloris, faciunt panem risus & gaudij, iuxta illud Eccles. 10. In risu faciunt panem epulantes, & vinũ bibentes. Conuiuia quæ deberent esse in luctu, faciunt esse in risu, ita quòd epulantur bibentes, id est, potum obliuioni non tradentes. Varius enim vinis & exquisitis vtuntur. Et est alicubi verbum vsitatum, cum videtur aliquis pinguis & rubicundus, vt de eo dicatur: Iste vt comedit, bibit: id est, potum in comestione obliuioni non tradidit. Tali quidè eleemosynis delicatè comedit, & cum saturitate, dicit beatus Bernard: Væ tibi clerice: mors in olla carnium, quia peccata populi constat esse quæ comedis, acsi tua tibi sufficere non viderentur. Mirum est quomodo ita audacter comedunt quod mortem continet, cum Iob 6. scriptum sit: Aut gustare quis poterit quod gustatum affert mortem?

¶ *De delitijs clericorum quæ mortes septem continent.*

NOTANDVM est, quòd delitiæ clericorũ mortẽ continent: nec vnicã mortem, imò septem mortes ibi possunt esse. ¶ Prima mors est, mors peccatorũ pro quibus dãtur eleemosynę quas clerici comedũt iuxta illud Osee 4. Peccata populi mei comederunt. De ista morte loquitur beatus Bern. in prædicta authoritate. ¶ Secũda mors est, illorũ peccatorũ quę habẽt sequi ex delitijs: vt est luxuria, & alia vitia quæ ex vitio gulę nascuntur: vt ostensum est in tractatu de gula. ¶ Tertia mors est, mors sanctorum, qua comparata sunt bona ecclesiæ. Acquisiuit enim Christus ecclesiã sanguine suo & suorum. Vnde in recompensationem debent illi qui bona ecclesiastica comedunt glorificare Deum & sanctos. ¶ Quarta mors est, mors corporalis, quæ comeditur in delitijs. quia delitiæ mortis sunt occasio, vt prius ostensum est. ¶ Quinta mors est, mors pauperum: quia portione quam deberent habere in bonis ecclesiasticis defraudantur. Defraudatio verò talis iudicatur esse homicidium. Eccles. 34. vbi sic legitur: Panis egentium, vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. ¶ Sexta mors quæ ibi comedi potest, est mors propriæ damnationis. Peccatum enim res venenata est. Vnde dum comeditur, nisi sanctitas comedentis vel sequens oratio illud expellat, interdum mors æterna inde incurritur. Vnde Lucæ 20. Devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi percipient maiorem damnationem. Et Bernardus: Venient, venient ante tribunal Christi: ibi audietur pupillorum accusatio grauis, allegatio dura, quorum vixere stipendiis, nec defuere pec-

cata

cata, quibus facti sunt cæci duces, & mediatores fraudulentis Idem: Quid tibi insipiens delitiæ sapiunt? quid diuitiæ illæ cæcos oblectant oculos, quibus tam graue mercaris iudicium, tam dure te obligas rationi? vniuersum siquidem vsque ad nouissimum quadrantem exegeris. ¶ Septimò, comedunt mortem clerici qui comedunt eleemosynas sibi datas pro mortuis, & ab igne purgatorij qui grauior morte est, debent eos liberare. Ad hoc enim obligantur ex susceptione eleemosynarum: & verisimile est quòd dominus multum offendatur, cùm animę quę igne cruciatur, in tanta amaritudine ei dicant: domine, clerici iam bona nostra susceperunt, & debuerunt liberare de angusta ista, & ipsi sunt in risu & delitiis, & de nobis non curant.

¶ De munerum diuersitate.

TERTIO circa acceptionem munerũ dicendum est de munerum diuersitate. Distinguuntur autẽ tres species munerum super illud Esaiæ 33. Qui excutit manus suas ab omni munere. Dicit enim glo. interli. super illud: Munere oris munere manus, munere officii. Munus oris est laus vel preces carnales. Munus manus est pecunia. Munus officii, est seruitiũ incredibile impensum. Super illud verò Ierem. 48. Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter. distinguntur similiter tres species munerũ, non omninò eædem cum prędictis. Dicit enim glossa interli. super illud fraudulenter: vel pro corporalis rei prẽmio, vel pro laudis verbo, vel humani iudicij gratia. glo. etiam dicit ibidẽ: Tribus modis fraus ista committitur, quia vel cordis humani gratia, aut fauoris aura, aut cùm res quælibet exterior desideratur.

De auaritia Aduocatorum. CAP. VI.

SEXTO loco inter species auaritiæ, dicendum est de auaritia aduocatorũ. Et notãdum quòd officium aduocationis secũdum se non est malum. Vnde Augustꝰ. Non licet iudici vẽdere iustum iudicium. sed licet aduocato vendere iustum patrocinium, & iurisconsulto iustum consilium. Non peccat aduocatus vẽdendo iustum patrocinium, si non sit persona cui non sit prohibitum hoc officium: si debito modo procedat, & causa iniusta non sit vel desperata & salarium recipiat iustum & moderatum. In moderatione verò debet respectus haberi ad quantitatem causæ & laboris aduocationis, & qualitatem personæ aduocantis: scilicet ad sapientiam, scientiam, & etiam ad consuetudinem regionis.

¶ De octo quæ debent retrahere homines ab officio Aduocationis.

OCTO tamen sunt quæ deberent homines retrahere ab officio aduocationis. ¶ Primum est, venalitas quam nobilis animus naturaliter exhorret. Triplici autem ratione indecens est venalitas in aduocatis. Primò, eum carè empti sint à Christo, non debent se alij vendere. Vnde Aug. Post quam intellexi me pretioso sanguine Christi redemptũ, nolui me venalem exhibere. Secundò, quia venalitas habet vilitatem quandam: vnde pugiles & aliæ personæ quæ ad certamen venales se offerunt, viles reputantur. Aliud iudicium est de illis qui pro iustitia certant. Meretricum etiam est venales esse. Et cum indecentia quæ in nobiliori parte est, peior sit, venalitas, quæ penes linguam attenditur, quę est vnũ de nobilioribus membris & in quo magis displiceat indecentia, peior videtur esse quantum ad hoc venalitate meretricum. Huic vilitati videtur attestari Apostolus 3. ad Corint. 6. vbi dicit: Securiaria iudicia si habueritis, cõtemptibiles qui sunt in ecclesia, illos cõstituite ad iudicandũ. & Poëta: Si fortuna voler, fies de rhetore cõsul. Si voler hæc eadẽ, fies de consule rhetor. Rhetor ponitur ibi pro persona vili, consul pro nobili. ¶ Tertiò indecens est venalitas ista: quia decorum esset quòd talentum scientiæ quod gratis acceperunt, gratis darent, præcipuè quum prohibitum sit illud vẽdere. Prou. 23. vbi dicitur: Noli vendere sapientiam, & doctrinam & intelligentiam. Assimilantur enim aduocati vsurariis. In hoc, quòd sicut vsuratius talentum fortunæ quod gratis accepit, non vult tradere proximo, ita aduocatus talentum gratiæ quod gratis accepit, non vult gratis proximo dare.

¶ De 4. periculo aduocatorum.

SECVNDO deberet homines cohibere ab officio aduocationis, multiplex periculum, quod est circa officiũ illud. Possumus verò ad præsens numerare duodecim pericula, quæ ibi possunt esse. ¶ Primum periculum est, cum miserabilibus personis sõ sub uenire, quibus tenetur ex lege Dei subuenire. vnde Esa. 1. Subuenite oppresso, &c. Et sicut medicus pauperi infirmo potens subuenire, & non subuenies, homicida illius iudicatur: ita aduocatus quasi aufert rem suam pauperi homini, quum nõ conseruat eam, quum possit. vnde Symmachus papa: Non grandis differentia, vtrum mortem inferas, vel admittas: mortem enim languẽtibus probatur infligere, qui hanc quũ possit non excludit. ¶ Secũdum periculũ est, quum scienter causam iniustam vel desperatam suscipit. ¶ Tertium periculum est, quum in processu negotij causam esse iniustam cognoscit, & tamen adhuc eã defendit. ¶ Quartum periculum est, quando aduocatus monẽs ad compositionem illum ex cuius parte est, quem scit causam iniustam habere, cõsuadet ei vt partem suam aduersario relinquat, & partẽ accipiat: consu-

sulit ei alienum accipere. ¶ Quintum periculum est, quŏ per in-
fidelitatem, vel negligentiam, vel ignorantiam illius cadit à cau-
sa sua ille quem ipse tuetur: tenetur enim ei ad restitutionem.
¶ Sextum periculŭ est, quãdo ille contra quem patrocinium prę-
stat, propter pertinaciam illius rem suam amittit. Tenetur enim
illi similiter ad restitutionem. vnde aliquando pro centum soli-
dis quos habet de aduocatione, tenetur ad restitutionem centum
marcarŭ vel mille. ¶ Septimum periculum est, cùm accipitur im-
moderatŭ salarium, vel vnde non deberet accipi. ¶ Octauŭ peri-
culum est, quum incurritur odium illorum contra quos præsta-
tur patrociniŭ. ¶ Nonum periculum est, circa modum procedẽ-
di in causa, quum scilicet per leges falsas, vel falsa instrumenta,
vel falsos testes, vel per mendacia proceditur: vel quŏ dicit con-
uitia, vel proponit quæ non valent nisi ad dilationem causæ.
¶ Decimum periculum est, simoniæ, quum aduocatus scientiam
suam vendere intendit. ¶ Vndecimum periculum est, vanæ glo-
riæ, ex cuius amore multi timent cadere, etiam à causa iniusta,
nolentes inscij videri, Vnde per mendacia vel quocunque alio
modo volunt obtinere. ¶ Duodecimum est, periculum infideli-
tatis. Infidelis enim est malus aduocatus erga dominum, qui ta-
lentum naturę ei commisit, quando de talento illo lucratur con-
temptibilia, cùm possit lucrari pretiosa. Sicut nuntius alicuius
negotiatoris, si veniat ad nundinas aliquas in quibus eodem pre-
tio posset habere brunetam quo burellum, infidelis esset domi-
suo, si relicta bruneta burellum emeret. Eadem infidelitate labo-
rare videntur qui in sacra sciptura proficere possunt, & ad lucra-
temporalium leges vel decreta discunt. Propter pericula quæ
sunt in causis, dicit Apostolus ad Corint. 6. Omnino delictŭ est in
vobis, quòd iudicia habetis inter vos. Quare nŏ magis iniuriam
accipitis? quare non magis fraudem patimini? ¶ Tertiò, debent
cohibere homines ab aduocatione multiplex pœna, qua dominus malos aduocatos solet punire. Multos enim ante mortẽ
tos efficit. Cuidã etiã aduocato morienti visa est lingua eclesiæ
aura moueri, quasi diceret: Lingua mea velox & facilis fuit
peccandŭ, sicut arundo de facili vento agitatur. Alij visum est
ferius labium moueri citius labijs crocodili. Alius etiam ex
lingua extra os. Insipienter etiam solent agere mali aduocati
ca mortem, quando præcipuè sapientia opus esset. Vnde quidã
quum adferretur ei Eucharistia, in extremis ait: Iudicetur
vtrum rectŭ sit quod accipiam. Cui circunstantes dixerunt: N
quidem rectum & iustum hoc indicamus. Quibus ille. N

hoc rectŭ iudicium. Non enim quum sitis mihi pares, habetis me
iustè iudicare. Et aliàs cŭ in extremis admoneretur ad susceptio-
nem Eucharistiæ, petiit dilationẽ: quam quum nollẽt amici eius
dare propter mortẽ quam ei videbãt imminere, appellauit à ma-
nifesto grauamine. Post mortẽ verò balneantur aduocati in auro
feruenti. Vnde legitur in quadã tragœdia Senecæ, quòd visum est
cuidam quòd videret Neronẽ apud inferos balneantẽ, ministrós-
que circa eum aurum feruens infundẽtes. Et quum videret cho-
rum aduocatorŭ ad se venientem: Huc, inquit, venale genus ho-
minum aduocati, amici mei accedite, vt in hoc vase mecum bal-
neemini: adhuc supereſt locus in eo quẽ vobis reseruaui. ¶ Quar-
tò deberet homines cohibere ab hoc officio, quia prę ceteris vide-
tur esse corruptŭ. Inuenitur enim quandoque aliquis morbus in-
curabilis, ad quem curandŭ non inuenitur medicus, quia de salu-
te ægri desperatur. Sed nulla causa adeò inuenitur iniusta, ad quã
tuendam non inueniatur aduocatus. ¶ Quinto deberet homines
cohibere ab hoc officio, molestia quæ est in audiendo lites. Pro-
pter quam dicit Augustinus, Christum testem inuoco, quòd mal-
les per singulos dies manibus aliquid operari, quàm tumultuo-
sas causarum prolixitates pati. Et Ambr. in lib. de officiis: Disper-
dio litis carere non mediocre lucrum. Et Bern. ad Eugenium pa-
pam: Lex domini silet in sacro palatio, leges perstrepunt secula-
res. Miror si plerunque dicere non cogaris: Narrauerunt mihi
iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. ¶ Sexto deberet homines
cohibere ab hoc officio, quia valde simile est actibus dæmonum.
Vnde Aug. Nihil est similius actibus dæmonum, quàm litigare.
¶ Septimo deberet homines cohibere ab hoc officio magnum
damnum, quod faciunt mali aduocati Deo, & ecclesiæ ipsius. Plus
enim nocet alicui quandoque vnus malus aduocatus, quàm pos-
sent ei nocere decem fures, vel etiam omnes raptores vnius pa-
triæ. Aufert enim alicui abbatiam suam vel archiepiscopatum
suum, quod non possent facere omnes raptores vnius patriæ.
Omnes etiam dæmones non possent tantùm nocere ecclesiæ
quandoque, quantum nocet vnus malus aduocatus, quum episco-
patum vnum vel archiepiscopatum subdit dominio alicuius qui
seruus est diaboli: per consequens enim ponitur episcopatus, vel
archiepiscopatus eius sub dominio diaboli. ¶ Mali aduocati hæ-
reticis similes sunt, & quia sunt falsarij legum & decretorum, quę
sacra sunt secundum iudicium eorum. Vnde falsarij sunt sacræ
scripturæ, sicut & hæretici. Et quia suadent contraria iustitiæ, si-
cut hæretici contraria fidei. Duo necessaria sunt ad salutem, fides,

& bona operâ,& neutrum sine altero sufficit.Hęreticus homines errare facit in fide, aduocatus verò in opere. Alij peccatores,etsi mala agunt, non tamen dicunt sic agendum esse: sed malus aduocatus iudici suadet, vt alicui adiudicet quod eius non est. In hoc etiam est deterior hæretico: quia hæreticus ignoranter peccat, putans credendum esse quod hominibus suadet: sed malus aduocatus suadet iudici,vt agat quod scit non esse agendum. Mali etiam aduocati hostes sunt iustitiæ, veritatis & æquitatis, quorum tamen se amatores & defensores profitentur. Vnde hodie impletum est per eos quod legitur Esa.59.Conuersum est retrorsum iudicium,& iustitia longe stetit:corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Conuertitur retrorsum iudicium, quum appellatur quando sententia debet fieri. Et iustitia tunc à longe stat, quæ ante appellationem proxima erat. Oportet enim vt pro iustitia eatur Romam,vbi fortè iustitia etiam non inuenitur,sed solum iudices dabuntur. Corruit veritas in platea, quum aliquod crimen quod populo notum est,alicui prælato obiicitur: & tamen impedientibus hoc malis aduocatis, de illo non punitur. Æquitas verò ingredi non potest, quum correptio in aliquo clausto inchoatur, & opponentibus se aduocatis non perficitur. Mali aduocati quasi iugulatores sunt iustitiæ: iuxta illud Psalm. Tota die cogitauit iustitiam lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.Nouacula acuta dolum facit,quando hominem scindit,cui decorando eum seruire debuit.

¶ *De fraude mali aduocati.*

Ad modum ergo nouaculæ malus aduocatus dolum facit quando iustitiam strangulat,cui militare debuit. Qualiter expectare audent illud districtissimum iudicium, quod tenebit iustitia, qui se iugulatores iustitiæ intelligunt. Mali etiam aduocati quasi hostes Dei sunt,& quasi antichristi.Christus enim in mundum venit,vt pacem faceret.Vnde Apostolus ad Ephes.2. Ipse est pax nostra,qui fecit vtraque vnum,ipsi verò discordiam & litem amant, & quærunt. Vnde sicut de Christo dicunt, In pace factus est locus eius:ita de malo aduocato potest dici,In lite factus est locus eius. Aduocati ad litem conueniunt, sicut corui ad cadauera. Deus præ omnibus discordiam detestatur, quod potest haberi ex illo verbo Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius.Et est illud septimum,Seminare inter fratres discordiam.Aduocatus verò eam optimam arbitratur. Mali aduocati Deum fugant ab ecclesia, diabolum verò introducunt & custodiunt ibi.Si enim aliquis homo sanctus eligatur in abbatem vel episcopum,tam citò aduocati se opponunt,nec Deum in sancto viro in ecclesiam intrare permittunt. Si verò electus sit aliquis malus,qui simoniam nõ timet committere,adiuuant eum. Mali etiam aduocati quasi præcipitatiua diaboli sunt, iuxta illud Psal.Dilexisti omnia verba præcipitationis lingua dolosa. O aduocate, qui es lingua dolosa: id est, linguosus & dolosus: verba præcipitationis sunt verba aduocatorum.Ad modum enim illius machinæ quæ dicitur præcipitium, destruunt ecclesiam Dei. Quorum pœna innuitur quum subditur,Propterea Deus destruet te in finem,&c. Ista præcipitatiua orat Dauid à Domino destrui: vbi dicit,Præcipita domine,diuide linguas eorum:quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate. Solet præcipitium contra præcipitium fieri, sed secundum hunc modum loquitur hic Dauid.Tunc præcipitium contra præcipitium efficitur,quando aduocati adinuicem corrixantur. Non videtur ecclesiam Dei amare, qui permittit diabolum ibi ponere præcipitia sua ad voluntatem suam. ¶ Aduocati etiam sunt sagittarij diaboli. Vnde Ierem. 9. Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. Nec solum aliis, sed etiam sibiipsis damnum faciunt aduocati, dum in officio aduocationis seipsos consumunt. Vnde Osee septimo. Comederunt alieni robur eius, & ipse nescíuit. Alieni,id est,dæmones.In legibus & Decretis,robur multorum consumunt. Seneca: Cauillatio verborum multum temporis nobis eripuit. Mortem etiam æternam acquirunt aduocati in officio suo. Quod videtur signatum Genesis tricesimoquarto, vbi Sichem adamauit Dinam,quæ interpretatur causa: cuius occasione deinde occisus est.Notabiliter verò Sichem dicitur fuisse filius Hemor,qui interpretatur asinus. Homines enim duri & asini,qui in aliis scientiis ne queunt proficere,consueuerunt decreta, & decretales audire. Octauo deberet homines cohibere ab hoc officio amor legis diuinæ & conditiones scientiæ decretorum.De amore legis diuinæ,dicit Gregorius:Qui diligit regem, diligit legem. Et Psalm. Palpebræ eius interrogant filios hominum. Palpebræ quæ quandoque sunt clausæ, quandoque apertæ, significant sacram scripturam,quæ alicubi est obscura,alicubi est aperta, quæ interrogat filios hominum vtrum amant Deum. Signum enim diuinæ dilectionis est, quum quis laborat libenter in studio sacræ scripturæ. Sacra verò scriptura multum contemnitur propter scientiam decretorum. Vnde potest dicere, quod dicit Sara ad Abraham, Genesis decimosexto: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum,quæ videns

quòd conceperit, despectui me habet. Ancilla sacræ scripturæ est scientia decretorum, quę sacram scripturam despectui habet propter fructum lucri quod ex ea consequitur. Et Genes. 21. Signata est oppressio quam facit scientia lucratiua sacræ scripturæ, per ludum quo opprimebat Ismaël Isaac. Vnde sicut præcepit dominus, Eiice ancillam & filium eius. Fortè sic necesse esset scientiam illam in magna parte ab ecclesia excludi. Nec solum contemnitur sacra scriptura per scientiam illam, imò etiam blasphematur, & in ea ipse Deus qui legislator est. Quod dicitur figuratum esse Leuitic. 24. vbi legitur, Filius mulieris Israëlitidis quem pepererat de viro Ægyptio, iurgatus est cum viro Israëlitico, & blasphemauit Deum Israël. Sic Decretistæ, qui Israëlitę sunt in parte quo ad illam partem scientiæ quam à lege diuina accipiunt, & Ægyptij quo ad illam partem quam habent à sapientia mundana, blasphemant Deum Israël, dum legem quam ipse dedit paleam vocant, quasi inutilem: quum tamen legatur Esaiæ 48. Ego Deus tuus docens te vtilia. Ipsi potius paleæ sunt, de quibus Matthæi 3. Paleas autem igni comburet inextinguibili. Et August. Si paleam sequeris, palea efficieris.

¶ *De conditionibus scientiæ Decretorum & similium.*

CONDITIONES etiam scientiæ illius deberent homines cohibere ab ipsa. Mobilis enim est, & terrena, tumultuosa, inflatiua, & absque refectione. Mobilis ideo est: quia per similitudines remotas procedit. Agellius: Leges nostræ sunt telæ aranearum, quæ fortia animalia transmittunt, minus fortia & debilia retinent. Etiam ea de quibus est temporalia sunt. Vnde eam oportet secundum varietatem temporum variari. Et quia decreta quodammodo in corde domini Papæ sunt, sicut quidam ait, vt ea interpretetur sicut sibi videbitur. Canoni autem derogatur canonis contrario vel tacito consensu Romanæ ecclesiæ, & vsu faciente in contrarium. Ad hanc mobilitatem referri potest, quod legitur Iere. 2. Duo mala fecit populus meus. Dereliquerunt me fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas quę aquas continere non valent. Cisterna non valens continere aquam, est Decretum, quod hodie aquam sapientiæ continet & cras non continebit, quia abrogatum erit. Aliter est de lege diuina. Vnde Dauid dicit domino: Iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua veritas. Non solum verisimilitudo. & in Euangelio: Cælum & terra transibunt: verba autem mea non transient. Terrena est etiam scientia illa. Vnde sicut terra aquis commixta impedit, ne ibi videatur: ita terrenitas multos decretistas impedit ne recte iudicent. Sed lex Dei quæ contemptum terrenorum prædicat, quasi aqua clara est, ideo dicitur illi qui lucratiuas scientias sectantur, Ieremiæ 2. Quid tibi vis in via Ægypti: vt bibas aquam turbidam? Tumultuosa etiam est, & inflatiua. Vnde per siliquas porcorum intelligitur, de quibus filius prodigus cupiebat implere ventrem suum, Luc. 15. Siliquæ enim porcorum resonant & inflant. ¶ Propter tumultum quem habet scientia illa signantur aduocati per ranas, de quibus legitur Exod. 7. Et in Psalmi. Ædidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum. Sed sacra scriptura est pacifica. Vnde Dauid: Pax multa diligentibus legem tuam domine, &c. Et iterum: Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Et Esaiæ 48. Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua. Scientia etiam decretorum animam non reficit, sed potius famem temporalium immittit, & quodammodo homines inanit, dum exteriorem apparentiam quærere facit. Ad quod potest referri, quod legitur Esaiæ 55. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Et vt breuiter dicamus, aliæ scientiæ, comparatione sacræ scripturæ, scientiæ non sunt. Vnde Hieronymus: Literas non nouit qui sacras ignorat.

De auaritia ministrorum ecclesiæ, & ordine dicendorum de illa. Et primo de Simonia, & de octo quæ faciunt ad eius detestationem.

CAP. VII.

SEquitur de auaritia ministrorum ecclesiæ. Circa quam hoc modo procedemus. ¶ Primò dicemus de Simonia. ¶ Secundò, de peccato ædificantium Sion in sanguinibus. ¶ Tertiò, de peccato choritarum. ¶ Quartò, de peccato mercenariorum. ¶ Quintò, tangemus de signis auaritiæ quæ apparent in ecclesia Dei. ¶ Sextò, de peccato indignè conficientium. ¶ Septimò, de vitio proprietatum in claustralibus. ¶ Octauò, de auaritia scientiæ. ¶ De Simonia primo hic duo dicemus. ¶ Primò ponemus ea quæ pertinent ad detestationem simoniæ. ¶ Secundò, diuisiones quæ pertinent ad simoniam. ¶ Octo verò sunt quæ faciunt ad detestationem ipsius. ¶ Primum est illud verbum Damasi papæ: Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis, quasi pro nihilo reputantur. In quo verbo dupliciter detestabilis ostenditur, & quia ostenditur excedere cætera crimina, & quia hæresi comparatur. In multis etiam aliis locis vocatur hęresis peccatum illud. Vnde Nicolaus papa: Statuimus decretum de simoniaca tripartita hæresi. & super illud Matthæi 21. Et cathedras

vendentium columbas euertit. dicit Gloss. Hinc est, quòd hæresis simoniaca damnatur. Et super illud Ioann. 2. Et his qui columbas vendebant &c. dicit gloss. interlin. Specialiter damnatur simoniaca hæresis. Et act. 8. Vbi dicit Petrus Simoni mago: Pœnitentiam age ab hac nequitia tua. dicit gloss. interlinear. Idem est, à duplici malo cupiditatis & prauæ fidei. Et in veritate simoniaci, quantum ad hæc, hæretici sunt, quòd æstimant mente vel facto quod impretiabile est, sub vili pretio cadere, & separant corpus ecclesiæ à suo capite, sicut hæretici, vt inferius ostendetur. ¶ Secundo verò facit ad detestationem simoniæ, hoc, quòd ipsa est spiritualis sodomia. Sicut enim in sodomia corporali facit contra naturam ille qui est opus naturæ: sic in simonia facit contra gratiam ille qui est opus gratiæ, quia à gratia est redemptus. Et sicut in die iudicij obmutescet sodomita secundum interpretationem sui nominis, quia hostis fuit naturæ quæ eum fecerat: quantum enim in se est, sodomita genus humanum destruit: sic obmutescet simoniacus, qui hostis gratiæ fuit, à qua redemptus fuerat. Et sicut secundum legem naturalem sodomia vel maximum peccatum, vel vnum de maximis iudicatur, quia est contra naturam. In tempore gratiæ secundum legem euangelicam maximum peccatum iudicatur simonia, quæ propriè est contraria gratiæ. Propriè enim facit contra illud Matthæi 10. Gratis accepistis, gratis date. Vnde rectè significati sunt simoniaci per Sodomitas, volentes infringere fores Loth. de quibus Genesis 19. Iámque propè erat vt infringerent fores Loth &c. ¶ Tertium quod facit ad detestationem simoniæ est magnus zelus quē legūtur sancti habuisse contra peccatum istud. vnde 4. Regum 5. dixit Eliseus ad Giezi: Lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo in sempiternum. Et Dominus in suo primo aduentu non legitur contra aliquod peccatum ita exarsisse, sicut contra istud. Vnde bis legitur eiecisse ementes & vendentes de templo. De prima eiectione habetur Ioan. 2. De secunda, Matth. 21. Venerat dominus iudicare, non iudicare, & vt in mansuetudine peccata toleraret, non vt ea puniret, & tamen contra istud peccatum, imò figuram istius peccati mansuetudinem seruare noluit: sed quasi iratus cum flagello de funiculis facto, mensas numulariorum, cathedras vendentium columbas euertit: & licet primus aduentus esset misericordiæ, tamen de hoc peccato iustitia se intromisit. Vnde Bernard. ad Eugenium papam loquens de peste simoniæ: Intuere, inquit, magistrum: non parat aures vt audiat, sed flagel-

lum quo feriat: verba nec facit, nec recipit: nec enim sedet iudicans, sed insequitur puniēs. Causam tamen non tacet, quòd scilicet domum orationis domum negotiationis fecissent. Ergo & tu fac similiter. Erubescant vultum tuū istiusmodi negotiatores, si fieri potest: si non, timeant. Timeant numularij, non confidant in nummis, sed diffidant. Abscondentes suum à te, scientes effundere quàm accipere pariorem. Propter zelum quem habuit dominus contra hoc peccatum, scriptum est in Psal. in persona eius, Zelus domus tuæ comedit me. Etiam peccatum Iudæ voluit dominus patienter tolerare, sed istud peccatum noluit. Petrus etiam magnum zelum habuit contra istud peccatum, quando dixit Simoni mago, Pecunia tua tecū sit in perditionē, vt legitur Act. 8. Quantum etiam zelum habeat ecclesia contra hoc peccatum, satis patet illis qui canonici iuris peritiam habent.

¶ *De* XII. *contumeliis Simoniæ.*

QVARTO facit ad detestationem simoniæ multiplex cōtumelia, quā facit istud peccatū Deo: & ponemus ad præsens XII. de contumeliis istis. ¶ Prima est, quòd Deū vendit. Et hoc dupliciter. ¶ Primo quia vendit gratiā sancti Spiritus. vnde super illud Io. 2. His qui columbas vendebant &c. dicit glo. Spiritus in columba apparuit. Vnde per columbam, spiritus accipitur, quem simoniaci vendunt: sed Spiritus sanctus Deus est, vendunt ergo simoniaci Deum. Aliter etiam vendunt Deum dū Christum in sacramento altaris vēdunt pro pecunia celebrando. Nec est parua cōtumelia ista. Nō est aliquis ita pauper in mundo qui nō multū indignaretur, si quis vellet ducere eum ad forum, & ibi eū venalem exhibere tanquā iumentū suum: quanta ergo contumelia est Deo, cùm ipse venalis exponitur ab his à quibus præcipuè honorādus esset? Sufficere deberet talibus quòd Christus semel pro peccatis eorum vēditus est. Venditores isti deteriores videtur esse Iuda in his quinque. Vēdunt immortalem, & iam glorificatū quē Iudas vendidit mortalē & in statu humilitatis: maior autem contumelia est quæ fit alicui in statu honoris, quàm in statu humilitatis, vnde contumelia illata militi, maior est, quàm si inferatur domicello. Nec semel tantū eū vendunt vt Iudas, sed plus quàm centies: minori etiā pretio eū vēdunt quàm Iudas. Credunt etiā eum Deū esse, quod nō credebat Iudas, cùm vendidit XXX. denariis. Iudas etiā cùm de hoc peccato pœnituit, pœnitētia ductus reddidit XXX. argēteos, quibus Christū vēdiderat: sed simoniaci ad pœnitentiā induci non possunt vt ea restituant quæ per simoniam acquisierunt. ¶ Secunda contumelia est, quòd Deum

venditorem æstimant:quod non est parua contumelia. Si enim aliquis rex vel comes valde liberalis requiratur super venditione vestium suarum vel armorum, pro magno malo habet: quid mirum ergo si pro malo habeat ille, qui est liberalissimus largitor omniũ,qui omnia quæ fecit, ad largiendum fecit quædam vt eis largirentur,alia vt ea largiretur,qui munera sua dat bonis & malis,gratis & ingratis,amicis & inimicis, qui rogat vt ab eo petatur ? Hanc contumeliam innuit Petrus, vbi dicit Simoni: Quia existimasti donum Dei pecunia possideri. quasi diceret,donatorẽ existimasti venditorem.Et Io.2. dicit Dominus: Nolite facere domũ Patris mei domum negotiationis.Domum Dei domum negotiationis facit,qui Deum negotiatorem existimat.¶ Tertia contumelia est,quòd donũ Dei contemnit, quum illud quod adeò pretiosum est, quòd pretium est regni cælorum,luto temporalium parificat,in quo etiam ipsum donatorem contemnit. Non solet parum displicere hominibus quũ aliquis bona eorum contemnit : vt patet in mercatoribus & artificibus:præcipuè verò quum dona eorum cõtemnũtur.Et hoc multum solet retrahere etiam ipsos liberales homines à largiendo, vnde dominus Matth. 7. prohibuit ne dona eius largirentur talibus:Nolite,inquit,margaritas spargere ante porcos,id est,pretiosa de terra dare contemptoribus. ¶ Quarta contumelia est, quod simonia aufert Deo ostiũ ecclesiæ:quod dominus maximè voluit seruare : propter quod ostium se dixit. Ioannis 10. Sicut aliquis solet se ponere in medio ostij,quum vult seruare ne quis ingrediatur nisi de voluntate eius. In quo verbo significauit dominus,quòd quasi violentiam ei faciet,qui nisi per eum intrabit. Ad ostendendum etiam hoc quòd ingressum ecclesiæ maximè seruari voluit, intrauit ipse ad discipulos ianuis clausis : qui enim ingressum bene vult seruare, solet aperire volenti ingredi,quantũ minus potest de otio? Et multum placeret ei si ille qui debet ingredi, ostio omnino clauso ingredi posset. Ad idem ostendendum iussit Dominus Exod. 12. Postes ostij sanguine agni intingi.quasi diceret, saltem ostium ecclesiæ quod proprio sanguine emi, habere solo. Hac de causa tradidit ipse claues ecclesiæ Petro:quia amabat eum ardentius cæteris.Per simile etiam potest idem manifestari in munitionibus, dum guerræ sunt, portæ solent præcipuè custodiri. Vnde turres consueuerunt fieri super eas.¶ Quinta contumelia est : quia simonia procurat vt ecclesia quæ sponsa Dei est,aliunde grauida sit, quàm à sponso suo. Ecclesia de solo Spiritu sancto concidere deberet quod

figuratum est in beata Virgine, quæ inuenta est habens in vtero de Spiritu sancto.Matt.1.Sed Simonia facit quòd ipsa concipiat de spiritu maligno. Vnde mirum est, quòd sponsus eius non deserit eam. Ioseph enim voluit dimittere beatam Virginem, dum dubitaret vnde ipsa concepisset. ¶ Sexta contumelia est,quòd Deum facit nutrire filios adulterinos. ¶ Septima contumelia est,quòd filios Dei exhæredat à patrimonio Christi,& filios diaboli ibi hæredes constituit.iuxta illud Ecclesiastic. 23. Omnis mulier relinquens virũ suum,peccabit statuens hæredi-tatem ex alieno matrimonio. ¶ Octaua contumelia est, quòd Deum idololaticum facit idolo auaritiæ eũ offerẽs:& in hoc detestabilior est simonia aliis speciebus auaritiæ. Simoniæ enim non sufficit quòd alium Deum constituat, sed proprium Deum idolo suo immolat, quum pro pecunia celebrat. Magna contumelia esset domino alicuius castri,si subditi eius aliũ dominum constituerent:sed longe maior esset, si domino cõstituto verum dominum captum offerrent.¶ Nona contumelia est, quòd illud peccatum nulli loco,nullæ personæ defert. Alia peccata sancti tati locorum deferunt. Nullus enim fornicaretur in ecclesia vel iuxta altare:sed simonia ipsa etiam altaria inuadit. Vnde Ierem.17.dicitur, peccatum Iuda exaratum esse in cornibus, arum eorum. Per peccatum Iuda, peccatũ clericorũ intelligitur, qui debent vacare confessioni diuinæ laudis. ¶ Ista est quæ iuxta filium virginis ponit idolum cupiditatis, vt videatur impletum illud Daniël.9. Et in templo erit abominatio desolationis.Simonia non defert Deo,nec angelis eius. Interest enim cùm diuina celebrantur,licet Christus præsens sit,inquantũ Deus,& inquantum homo cum angelis suis.In hoc simoniaci dæmonibus deteriores sunt quia dæmones timẽt Christũ & angelos eius, ipsi verò nõ.¶ Decima contumelia est, quòd eisdem vtitur simonia ad hominũ inquinationem,quæ Christus instituit ad eorum sanctificationem.Vnde bene videtur triumphasse diabolus de ecclesia, quando ecclesiã impugnat propriis armis, & quasi proprio baculo percutit eam.¶ Vndecima contumelia est,quòd latrones & sacrilegos facit obtinere locum & vicem Dei. Simoniacus enim latro est.Vnde Ioan.10. Qui nõ intrat per ostium in ouile ouiũ, sed ascendit aliunde,ille fur est & latro. Vnde super illud Matthæi 21.Vos autem fecistis illam speluncam latronum.dicit glo. Latro est qui lucra sectatur, qui non dantes corporaliter persequitur:& dantes spiritualiter necat. Et dum læsionem proximi cogitat, quasi latro sedet in spelunca. Sacrilegus etiam est si-

moniacus,quia sacra sunt ea circa quæ latrocinium suum exercet. Absurdum enim est dicere eum sacrilegum qui furatur vel rapit calicem alicuius ecclesiæ, & non dicere eum sacrilegum qui furatur vel rapit totam ecclesiam cum calice & aliis quæ ad eam pertinent. Dupliciter autem potest dici simoniacus fur & respectu illius cuius bona contrectat eo nolente, & respectu pauperum quos bonis ecclesiæ defraudat. Vnde quum prælatus vicem Dei obtineat: quando simoniacus prælatus efficitur, latro & sacrilegus vice Dei in ecclesia fungitur. ¶ Duodecima est tumelia est,quòd ecclesiam Dei iumẽtis & reptilibus replet.Suffodit enim murum ecclesiæ,scilicet prælatum,præcipuè si terrenus sit:iuxta illud Gen.49. Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis.Et subiungitur:Voluntate sua suffoderũt murum. Et interponit Iacob quandam orationẽ, quæ frequenter facienda est prælatis ecclesiæ.In consilio eorum non veniat anima mea. Minus enim periculosum esset prælatis ecclesiæ habere in consilio suo homines dæmoniacos quàm simoniacos.Suffosso verò muro ecclesiæ,intrat multitudo reptilium & iumentorum, iuxta illud Ezechiél.10.Ingredere,& vide abominationes pessimas. Et subditur:Et ingressus vidi, & omnis similitudo reptiliũ & animalium abominatio. Quum aliquis luxuriosus in aliqua ecclesia beneficiatur,porcus tunc in ecclesia ingreditur. Quum aliquis amator lites & rixas præficitur,tunc canis in ecclesiam ingreditur.

¶ De multiplici damno quod prouenit de Simonia.

QVINTO facit ad detestationem simoniæ multiplex damnum,quod inde prouenit Deo & ecclesiæ eius. ¶ Primum autem dãnũ est,quòd Deus per eam quasi ecclesiam amittit, dum amittit ingressum & egressum eius. Non enim est dominus alicuius castri qui non habet ingressum & egressum in eo. Ideo dicebat Psa.dominus custodiat introitũ tuum & exitum tuum &c.Aliud damnũ est, quòd ecclesiam quæ deberet esse habitaculum filiorum Dei,cõuertit in speluncam latronum,iuxta illud Matth.21. Scriptũ est,Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronũ.In hoc deteriores videntur esse prælati ecclesiarum principibus secularibus: quia illi in potestate sua speluncas latronum non tolerant: sed illi sustinent claustra in qua simoniacè intratur.Iudicio domini sunt spelunce latronum. Satis latrones sunt qui patibulo inferni iam sunt adiudicati. Aliud damnum est,quòd vbi Deus debuit honorari, exercetur idololatria.Illi enim quos aurum & argentum introduxerunt,argento & auro quasi Deo seruiunt. vnde Oseæ 8. regnauerunt, & non ex me:principes extiterunt, & non cognoui. Argentum suum & aurum suum fecerunt sibi idôla. Qui dignitatem emit, vult postea vendere quæ ad dignitatem pertinẽt. Vnde super illud Actuum 8. de Simone mago, dicit Glos.Spiritum emere volebat vt aliis vendens plus accipere posset. Et sicut beatus Bern. dicit, Qui infideliter intrat, & non per Christum, quid nisi infideliter agit, & contra Christum? Ex quo Christus non introducit aliquem in ecclesiam, pòst non cognoscit eum. Vnde Petrus introductus ab ancilla ostiaria in atrium principis sacerdotum, dixit se Christum non cognoscere. Ancilla ostiaria caro est quæ habet quinque sensus quasi ostia animæ. Ancilla ergo ostiaria illum introducit, quem carnalitas introducit. Auferetiam simonia ecclesiæ Spiritum sanctum: quod videtur esse signatum in hoc, quòd ignis sacer qui per LXX. annos Babylonicæ captiuitatis vixerat, sub aquis extinctus est, Antiocho vendente sacerdotium Iasoni:sicut dicit Augustinus. Per quem ignẽ figurabatur Spiritussanctus.Et hoc est maximum damnum quod possit fieri ecclesiæ Dei, sicut maximum damnũ quod posset cuipori nostro est, si auferatur ei spiritus à quo habet totum suum valorem. Simonia etiam facit vt ecclesia quæ sponsa Dei est, & deberet Deo filios generare,generet monstruose talpas, serpentes,& etiam asinos cornutos. Quum in aliqua ecclesia canonicatur vel profitetur aliquis auarus, possunt dicere canonici illius ecclesiæ,Mater nostra quum fratrem nobis generare debuit, pro fratre nobis talpam generauit. Quum verò canonicatur aliquis detractor,tunc serpentem generat illa ecclesia: iuxta illud Eccle. 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.Quum verò indiscretus aliquis episcopatur in aliqua ecclesia, tunc asinus cornutus in ea nascitur. Nihil enim aliud est stolidus mitratus, quàm asinus cornutus. Asinus enim est per stoliditatem,cornutus per mitram. Sexto facit ad detestationem simoniæ hoc, quòd peccatum hoc reddit hominem exosum Deo & hominibus. vnde Eccle.20. Qui potestatem sibi assumit iniustè, odietur.glo.dicit, A Deo & hominibus. Frequenter enim licet simonia sit occulta, tamen hominem reddit exosum hominibus. Punit enim Deus eum in hoc, quòd apud homines gratiam non habet.Septimo facit ad detestationem simoniæ hoc, quòd ipsa vitiat radicem, vnde ea quæ sequuntur venenata vel saltem inutilia reddit.Ad quod referri potest illud Oseæ 9. Radix eorum exiccata est,fructum nequaquam faciẽt. ¶ Octauo & vltimo facit ad detestationem simoniæ hoc,quòd simonia-

ci

ci difficile saluantur,& hoc duabus de causis.Primo,propter magnitudinem peccati. Secundò, quia oportet resignare beneficium quod simoniacè acquisierunt. vnde sunt quasi nassa diaboli. Pisces qui nassam ingressus est, non de facili per locum per quem intrauit regreditur, & per alium locum non exit nisi captus. Sic non de facili renuntiat homo beneficiis quæ simoniacè habet, & non aliter saluatur. vnde quasi vnum pedem iam habet in inferno. Vnde diligenter debet homo cauere quomodo intret in ecclesiam: nisi enim caueat sibi,in inferno quasi ponit pedem suum. Ideo dicitur Eccles. 4. Custodi pedem tuum ingrediens domum domini. Qui emit beneficium ecclesiasticũ, similis est illi qui emeret vt magna moles terræ super eum caderet quæ eum opprimeret, & non permitteret eum surgere. Ad difficultatem saluandi quæ est simoniacis,potest referri illud Ier.17. Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo,in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.per Iudam clerici intelliguntur, quorum est intendere confessioni diuinæ laudis. Ad quos pertinet peccatum simoniæ,quod innuitur scriptũ esse quasi indelebiliter per hoc quod dicitur stylo ferreo, qui idoneum instrumentum est ad scribendum,& per hoc quod scriptum est in adamantino simili vngui, id est, nitido & plano. Scriptura enim in tali materia facta diutius durat. Sed quia scriptura quæ indelebilis est,potest amitti,ideo subditur: Exaratum super latitudinem cordis eorum. Et ostenditur quòd hæc scriptura sit in tabula cordis, quæ non potest ab eis vel amitti vel relinqui. Ad eandem difficultatẽ pertinet quod dicit Petrus Simoni mago Actor. octauo: Pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum fortè remittatur tibi hęc cogitatio cordis tui.In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.

¶ De diuisionibus Simoniæ.

Post ista ponendæ sunt diuisiones quæ faciunt ad declarationem simoniæ, & quæ pertinent ad simoniam. De quibus pro tanto ponemus. Et est prima diuisio, quòd inter eos qui simoniam cõmittunt, alij cõmittunt eam emendo, vt Simon magus qui propriè simoniaci dicuntur. Alij verò committunt eam vendendo, vt Giezi, qui Giezitæ vocantur. Aliquando tamen latè vocantur simoniaci & isti & illi. ¶ Secunda diuisio est, secundum diuersitatem munerum per quæ simonia committitur.

¶ De quadruplici Simonia.

Committitvr autẽ simonia quadruplici munere: videlicet cũ quis obtinet aliquod spirituale per pecuniam, vel per aliam

lationem, vel per preces carnales,vel per obsequiũ sordidum.De primo legitur 3. Reg. 13. quòd quicunque volebat implebat manum Ieroboam,& fiebat sacerdos excelsorũ,& sequitur q̃ propter hanc causam domus Ieroboam euersa est & deleta de superficie terræ. Si venditio sacerdotij idolorũ sic vindicata est à domino: quomodo vindicabitur venditio veri sacerdotij? Adulatio verò valde timẽda est.Penetrat enim cor hominis,& quasi insensibiliter : propter quod oleũ vocatur in Psal. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.Et alibi: Intrauit sicut aqua in interiora eius,& sicut oleũ in ossibus eius. Et fit sermo in maledictione:adulatio enim oleum est, & maledictio.Oleum inquantũ delectat, maledictio inquantũ tormenta parat.Vnde gl.super illum locum:Quæ male delectant,dicuntur maledictio,quia tormenta parant: à precibus autem carnalibus diligẽter cauendũ est. Vnde Bern.Vbi non licet facere,quis locus roganti? alius pro alio,alius forte pro se rogat. Pro alio rogans sit suspectus:qui rogat pro se, iam iudicatus est.Exemplum non acquiescendi precibus carnalibus dedit nobis dominus Ioan.2.vbi dicit matri suę volenti vt faceret miraculum: Quid mihi & tibi est mulier? Innuens se non habere ex ea potestatẽ faciendi miracula.& Matt.20. Non exaudiuit materteram suam petentem vt daret hanc dignitatem Iacobo,& Ioanni, vt vnus sederet à dextris in regno eius,& alius à sinistris. Exemplum etiam non rogandi pro beneficio nepotibus obtinendo,habemus Gene.18.vbi Abraham rogauit dominum ne Sodomam destrueret: non enim voluit eum rogare specialiter de nepote suo Loth vt eum ab incendio liberaret.Et dicebat cantor Parisiensis bonæ memoriæ, quòd vix rogasset pro beneficio nepoti suo impetrando,qui noluit rogare dominum vt nepotem suum ab incendio liberaret. De illo verò qui per obsequium vult obtinere beneficium, dicit beatus Bern. Circuit sedulus explorator,sequitur, & obsequitur, simulat & dissimulat, manibus ac pedibus repens si quomodo possit introducere in patrimonio Crucifixi. ¶ Tertia diuisio est secundũ diuersitatem eorum quæ vendere simoniaci volunt:quia inter bona spiritualia quæ ipsi vendere volunt, quædam sunt spiritualia, quia illis acquiritur Spiritussanctus, vt orationes ecclesiæ. Quædam verò spiritualia,quia illis confertur vel habetur gratia Spiritussancti,vt sunt sacramenta ecclesiæ præterquam matrimonium & societas ecclesiastica, & officia vel dignitates ecclesiæ. Quædam verò dicuntur spiritualia,quia ipsis habetur Spiritussanctus, vt scientia & virtus. Scientia enim habetur inquantum illuminat,& ideo prohibetur vẽdi

scien

scientia. Prou.23.vbi dicitur,Noli vendere sapientiam,doctrinã & intelligentiam. Virtute verò habetur Spiritussanctus inquantum afficiens animam. Quædam verò dicuntur spiritualia, quia per ea ostenditur haberi Spiritussanctus,vt miracula:quædã verò dicũtur spiritualia largè sumpto nomine,quia spiritualibus exercitiis deseruiunt,vt sunt vasa & vestes ecclesiæ. Quædam verò dicũtur spiritualia,à quibus illi sustentãtur qui spiritualibus exercitiis sunt intenti,vt sunt decimæ. Sed ista duo vltima genera potius dicenda sunt annexa spiritualibus, quàm spiritualia.

De peccato ædificantium Sion in sanguinibus, & de tribus quæ faciunt ad eius detestationem. CAP. VIII.

POst peccatum Simoniæ, dicendum est de peccato ædificantium Sion in sanguinibus. ¶Tria verò sunt quæ facere possunt ad detestationem huius peccati. ¶Primum est maledictio quam facit talibus Spiritussanctus.Habacuc 2.Væ,inquit,qui ædificant ciuitatem in sanguinibus, & præparant vrbem in iniquitatem:id est,per iniquitatem. Collatio beneficiorum facta consanguineis, quædam præparatio est vt habeant vrbem ecclesiæ concordem ad omnem iniquitatem quam facere volunt. ¶Secundum valent ad detestationem huius vitij, diuersa exempla & verba scripturæ. Et de exemplis sufficiat ponere octo. ¶Octo exempla contra carnalem amorem. ¶Primum est,quod legitur de Cain, ne,quòd nullum dilexit priuato amore, & nullum odiuit priuato odio. ¶Secundum est,exemplum Abrahæ:cui præcepit dominus Genes. 22. quod offerret ei vnigenitum suum in holocaustum. Idem volens ostendere in facto illo quod postea docuit verbo,vbi dixit: Qui non odierit patrem & matrem propter me non potest meus esse discipulus. Abraham figuram tenet parentorum,quos non vult Deus carnalem amorem habere ad parentes suos, imò vult paratos esse ad interficiendum eos si ipse puniciperet. Vnde Exod. 32. dicit Moyses filiis Leui, cùm commisissent peccatum idololatriæ: Occidat vnusquisque fratrem suum & amicum, & proximum suum. ¶Tertium exemplum est Melchisedech,de quo Apostolus ad Hebr.7. Melchisedech rex Salem sacerdos Dei summi. Et subiungitur: Sine patre, & sine matre, sine genealogia. Non facit mentionem de patre vel de matre Melchisedech, qui propriè figurat sacerdotes nouæ legis:vt ostendat carnalem amorem longe debere esse à sacerdotibus. ¶Quartum exemplum est Moysi, de quo habetur Exod. 4. quòd cùm iret ad liberationem populi, & duceret vxorem suã,& filios suos, cùm esset in itinere in diuersorio,voluit eum dominus occidere.

Sciebat enim Deus vxorem & filios sibi fore impedimento. ¶Quintum exemplum est,Exod.18. Vbi dicit Iethro Moysi:Prouide de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos. De omni plebe,& non de consanguineis consuluit tribunos constitui & viros potentes, non puerulos, sicut fit hodie in ecclesia. Pueris enim tradũtur ecclesiæ qui nõ eas possunt fœcundare, sed vicarios ponũt,cũ valde ridiculosum sit aliquẽ matrimoniũ contrahere qui non potest fœcundare propter solam fiduciã ponendi vicariũ. ¶Sextum exẽplum est, in Num.17. vbi dicit dominus Moysi:Contẽplare terram quã daturus sum filiis Israël. Cúmque videris eam,ibis tu ad populum tuũ.Cui respondit Moyses: Prouideat dominus Deus spirituum omnis carnis hominẽ qui sit super multitudinem hanc.Et Deus ad eum: Tolle Iosue filiũ Nun, in quo est spiritus domini. Non petiit Moyses aliquem de filiis suis constitui ducẽ.Vnde Hiero.Moyses amicus Dei,cui facie ad faciem locutus est Deus, potuit vtique successores principatus filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem: sed extraneus de alia tribu eligitur Iosue,vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum esse,sed vitæ merito.Dominus etiam innuit ibi quales sint eligendi,vbi dicit,Tolle Iosue in quo spiritus domini. ¶Septimum exemplum est in Petro, cui dedit dominus principatum Ecclesiæ, Matth.16. quia ardentioris amoris erat. Habebat dominus cognatum germanum magis literatum,scilicet Ioannem,non minorem honestate,quia virgo erat,& inter cæteros magis dilectus:noluit tamen dare ei principatum ecclesiæ: matrem suam commendauit ipsi Ioanni, quasi carnem carni: sed ecclesiam commendauit Petro, quia eum ardentius amabat. ¶Octauum exemplum,in actibus Apostolorum 1. vbi legitur, quòd Apostoli statuerunt duos, scilicet Ioseph & Mathiam, vt alter eorum apostolatum Iudæ susciperet. Et cùm Ioseph iustus esset,& haberet tres fratres apostolos,scilicet Iacobum minorem,& Simonem,& Iudam,& duos cognatos,scilicet Iacobum maiorem, & Ioannem, & ipse dominus apostolorum eius cognatus esset, tamen Mathias ei prælatus est.

¶*De verbis Sacræ scripturæ quæ valent ad detestationẽ carnalis amoris.*

PRIMO ponamus illud quod legitur Deutero 33. vbi Moyses benedixit filiis Leui:Qui dixit patri suo,& matri suæ,Nescio vos: & fratribus suis, Ignoro illos: & nescierunt filios suos. hi custodierunt eloquium tuum. Illi qui habent carnalem amorem, vix possunt mandata Dei seruare. Malum enim quod pro se nõ facerent,

rent, faciunt pro parentibus suis. Tales non contendunt intrare per angustam portam, cùm per amorem ligent se simul, vt vnus intrare non possit, nisi omnes intrent. Iuuant enim se inuicem etiam in malis. Quomodo intrabunt xl. simul congregati per angustam portam per quam vix vnicus intrat? Secundo ponemus illud verbum Psal. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: id est, non erunt carnales conuentus ecclesię sicut fuerunt synagogæ. Tertio illud Ioan. 1. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate, &c. & loquitur de illis qui credunt in nomine Christi. Quarto illud Matth. 16. Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelabit tibi. Cuius contrarium potest dici prælato qui ex carnali amore confert beneficia sua. Væ tibi Simoni non Bariona, sed Satana: quia caro & sanguis reuelauit tibi, nō Pater meus qui in cælis est. Quinto illud verbū Dominus. Matt. 10. Qui amat patrem & matrē plus quàm me, nō est me dignus. Sexto illud Matth. 8. quod dixit dominus vni de discipulis suis rogāti vt permitteret eum sepelire patrē suū: Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Noluit discipulus exhibere patri suo officiū sepulturæ, cùm tamen illud officium sit vnum de officiis maximè debitis inter amicos. Hieron. Ob amorem Christi obtinenda est sepultura patris, pro cuius etiā amore nullus relinquendus est inhumatus. Septimum est, illud Matth. 18. Si manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, &c. Et iterum, Si oculus tuus scandalixauerit te, erue eum, &c. Manus est adiutor valde necessarius, vel pes: oculus consiliarius valde necessarius, à quibus tolerabilius est separari quàm à Deo separamur. Nec mirum, cùm Deus caput animę sit. Absciso vero capitis indubitanter magis timenda est, quàm abscisio manus vel pedis, sed multi semimortui vel semiuiui, iuxta illud Luc. 10. semiuiuo relicto, de abscisione veri capitis spiritualis non curant sicut corpus mortuū de abscisione capitis corporalis non curat. Octauū est, illud Matt. 12. quod dixit dominus turbæ dicenti: Ecce mater tua & fratres tui foris stāt quærentes te: Quæ est, inquit, mater mea & fratres mei? Et respiciens eos qui in circuitu sedebant, ait: Ecce mater mea & fratres mei. Qui enim fecerit voluntatē Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est. Nonū est, illud Gen. 3. Quāobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ. Amor filiorū spiritualiū quos generat prælatus de ecclesia, adeò deberet amorem eius attrahere vt parentum carnalium obliuiscatur à quo instruitur. Arbor enim humorem naturaliter mittit ad ramos, & non ad radices.

¶ *De multiplici malo quod prouenit ex carnali amore in ecclesia Dei.*

TERTIO valet ad detestationem carnalis amoris in ministris ecclesiæ multiplex malum, quod facit hoc peccatum in ecclesia Dei. ¶ Et est primū malum, ꝙ oculū ecclesiæ in multis locis nō plus videt ecclesia de cis sanguis operit, ita ꝙ in multis locis nō plus videt ecclesia de oculo quā de calcaneo. Oculus ecclesiæ clerus est, quę carnalis amor alicubi sic excæcat, vt mulierculæ melius videant in spiritualibus, quàm ipsi: vt videatur illud prophetæ impletum, Erit sicut populus sic sacerdos. ¶ Secūdum malum est, ꝙ inutilē reddit constitutionem illam ecclesiæ quæ est de continentia seruanda ab his qui sacros habēt ordines: hoc enim statutum est ad carnalē amorem excludēdum ab ecclesia, sed sicut dicit Alexāder Papa: Deus abstulit nobis filios, sed diabolus dedit nobis nepotes. ¶ Tertium malum est, ꝙ carnalis amor est quasi quoddā bitumē quo arca ecclesiæ bituminata est hodie, ne Spiritussanctus intret: iuxta illud Iob penult. vbi loquitur de Behemoth: Corpus eius quasi scuta fusilia, cōpactum squamis sese præmentibus: vna vni cōiungitur, & ne spiraculum quidē incedit per eas. Hoc bene apparet cum aliqua correptio vel electio debet fieri in aliqua ecclesia. ¶ Quartum malū est, ꝙ carnalis amor est quasi quædā catena, qua ligatos simul custodit diabolus ministros ecclesiæ ne ei euadant, sicut duæ equæ solent simul ligari vt vna aliam custodiat: si enim eorum vnus qui amore carnali ligati sunt ad religionem vehit transuolare, amor parentum retinet eum.

¶ *De triplici infidelitate carnalium.*

QVINTVM malum est infidelitas magna quā facit hoc peccatum in ministris ecclesiæ, quæ infidelitas tripliciter potest ostendi. ¶ Primo sic, si princeps aliquis peregrè proficiscēs trādidisset alicui de subditis suis terrā suam tempore opportuno filiis suis diuidendā, & subditus terram illā propriis filiis diuideret, & filios domini exhæredaret, nunquid non infidelis valde esset? Sic prælati ecclesiæ valde infideles sunt qui patrimonium Christi, quod filiis Christi deberent diuidere, cōsanguineis suis tribuunt. ¶ Secundo potest ostendi infidelitas ista per illud verbum beati Bern. Mira res, inquit, est, Episcopi habent ad manum cui credāt animas: cui autem credant facultates suas, non inueniuntur. Et subdit: Vnde liquidò datur intelligi quòd patientius ferimus iacturam Christi, quàm nostram. Quandoque aliquis episcopus alicui nepotulo suo quinque millia animarum committit, cui decem pira non committeret. ¶ Tertio potest ostendi infidelitas

ista prælatorum per hoc, quòd ipsi infideles sunt erga consanguineos suos, quibus beneficia ecclesiastica conferunt, quod sic potest ostendi. Nunquid Dauid iniquus fuit, & infidelis erga Vriam? quem fecit poni ex aduerso belli, vbi fortissimum erat prælium, vt legitur 2. Reg. 11. Sic infidelis est episcopus qui nepotulo suo prælationem confert, cùm sciat eum imbellem, & sciat totum pondus prælij spiritualis versum super prælatos. Vnde 3. Reg. 11. legitur quòd totum pondus prælij versum est in Saul. Nunquid Pharao iniquus fuit in paruulos Iudæorum, cùm præcepit populo suo vt quod nascereturr de Iudæis masculini sexus, in flumen proiiceretur? Sic iniqui sunt prælati in nepotulos suos quos in flumen deliciarum & diuitiarum proiiciunt, vbi spiritualiter submerguntur. Vnde nepotuli huiusmodi consueuerunt esse locatores. Præterea quæ maior impietas quam super puerulum vnum ponere pondus ipsis angelicis humeris formidandis, gigantibus vix portabile? Ad primum pertinet illud Bern. Parati sunt filij hominum ad honores, ad celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis angelicis humeris formidandos. Vnde cuilibet animæ legitur vnus angelus deputatus esse. Ad secundum pertinet illud Iob 26. Ecce gigantes gemunt sub aquis, id est, perfectissimi viri sub populis. Quæ maior impietas, quàm illi qui adeo imbecillis est, quòd stare non potest quin ad ventum tentationum cadat, superponere vnum magnum castrum vel vnam magnam molam? De onere isto videtur conqueri Moyses Numer. 11. dicens: Cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Fortem oportet esse columnam super quã ponitur domus vna. Quanta ergo fatuitas est super virgulam vnam etiam arundineam villam vnam ponere? ¶ Sexto peccatum istud facit prælatos ecclesiæ amittere amicum fidelissimum & propinquissimum pro amicis carnalibus, qui verius inimici dici possunt: iuxta illud Prophetæ: Inimici hominis domestici eius. Amicus fidelissimus Christus est, quo nullus maiorem charitatem habuit. de hoc amico legitur Eccle. 6. Amico fideli nulla est comparatio, & non ponderatio auri & argenti. Vnde vsualiter dicitur: Amplior gna valet amicus in platea, quam aurum in arca. Valor huius amici in morte apparet, quando cæteri amici hominem relinquunt. Nescit homo quid amittat amittendo istum amicum, dum post mortem arguet eum conscientia sua dicens: Deum qui genuit dereliquisti, & oblitus es Dei creatoris tui. vnde Ieremias: Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te. Scito & vide quia malum est & amarum reliquisse te dominum Deum tuum. Ideo

Ideo dicitur Eccles. 6. Noli fieri pro amico inimicus proximo, Christo scilicet, qui propinquior est inter amicos tuos: vnde proximus vocatur Lucæ 10. vbi dicitur: Quis horum proximus tibi videtur fuisse illi qui incidit in latrones? Et subditur: Qui fecit misericordiam in illum. Huic præ cæteris amicis adhærere debemus. Mihi autem adhærere Deo bonum est, ait Dauid. ¶ Septimo peccatum istud est radix & occasio multorum magnorum peccatorum, vnde in Iuda fuit hoc peccatum initium malitiæ eius. Ex amore enim carnali quem habebat ad vxorem & liberos suos murmurauit ipse de effusione vnguenti. vnde Ioan. 12. Quare hoc vnguentum non venditur pro trecentis denariis, & datum est egenis? Et subditur: Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad ipsum: sed quia fur erat & latro, & loculos habens, ea quæ mittebantur portabat. Vnde venditione domini voluit illud damnum recompensare, sicut dicit Gloss. super illud Matthæ. 26. Tunc abiit vnus de duodecim &c. Damnum de effusione vnguenti vult magistri pretio compensare. dicit interlin. Non timuit Iudas dominum suum tradere vt acquireret quod daret eis quos carnaliter amabat. Sic prælati quibus dominatur amor carnis, non timent committere simoniam vel alia enormia peccata, vt consanguineos suos promoueant. Et si Iudas meruit peruenire ad suspendium, quia loculos domini habens dabat vxori & filiis quod dandum esset pauperibus, licet pauca eis daret: quid meretur ille qui non vxori, sed concubinæ dat quod pauperibus dandum esset, & consanguineis, quibus minus tenetur quàm filiis, dat officium dispensandi res pauperum, quos scit expensuros eas in vanitates & voluptates? Non faciebat dominus de quo dicit gloss. super Matthæ. 16. Eum qui primo ascenderit, tolle. Et aperto ore inuenies staterem. Iudas communia habebat in loculis: sed res pauperum conuertere in suos vsus nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. Si Ananias qui retinuit ea quæ pauperibus danda erant, sic punitus est, licet habuisset ea de venditione proprij agri, vt legitur Act. 5. qualiter punientur illi qui sibi & suis retinent quæ pauperibus danda essent, quæ non de suo patrimonio habent, sed ex patrimonio Christi? Item si septem viri qui electi ab Apostolis vt præessent mensis, furati fuissent ea quæ danda erant pauperibus, nunquid verissimè est quòd Petrus in eos vindicasset sicut in Ananiam vindicauit? Et vt breuiter concludamus, plus nocet amor carnalis ministris ecclesiæ, quàm simonia, triplici ratione.

¶ *Quòd in ministris ecclesiæ plus nocet carnalis amor, quàm simonia.*

PRIMO, quia peccatum simoniæ magis exosum est hominibus quàm carnalis amor. Vnde multi sunt qui dedignarentur simoniam cõmittere, qui tamen non dedignarentur nepotulis intuitu cõsanguinitatis beneficia ecclesiastica cõferre: imò inuenitur hoc peccatum in viris qui sancti vidẽtur esse. ¶ Secundo, quia prælatus qui carnalẽ amorẽ habet, pluribus vult acquirere beneficia quã simoniacus, inquãtum talis: & ideo oportet eum plura capere. Vnde septẽ episcopatus nõ sufficerẽt ei, cùm plures consanguineos habeat. Simoniacus verò nõ curat nisi tãtum de vno. ¶ Tertio quia citius liberatur quis à peccato simoniæ, quã à pœnis infernalis amoris. In morte enim saltẽ simoniacus resignat beneficio simoniacè acquisito: sed prælatus carnalis etiã in morte sua vult nepotulos suos retinere beneficia, quibus indigni sunt. Nota arcã Dei reductã fuisse à terra Philisthinorum, vaccis nouis reflexis ad fœtus suos, licet eos haberent: vt legitur 1. Reg. 6. Sic ecclesia de malo statu in quo est pro magna sui parte nõ exibit, nisi illi quorum est trahere eam, carnalem amorem deposuerint.

De peccato choritarum, quod maius est simonia. CAP. IX.

POst peccatum ædificantium Sion in sanguinibus, dicendum est de peccato choritarum, quod committitur quum aliquis intrat in ecclesiã Dei per violentiã, vel per preces armatas principum, vel maiorum prælatorum ecclesiæ. Archiepiscopus enim vel episcopus non potest præcipere minori prælato vt det ecclesiasticum beneficium, nec etiam potest dare illud, quum inferioris prælati sit primo illud dare, nisi in casu in pœnam male dantis: sicut maior dominus terrenus feuda minoris domini nõ potest dare, nec præcipere ei vt det. Primo ergo ostendemus quam detestabile sit peccatum istud, per pœnam qua legitur dominus punisse hoc peccatum. Secundo per diuersas similitudines. Tertio per malum, quod prouenit in ecclesia. Inuenitur autem dominus punisse peccatum istud tripliciter, scilicet exustione, terræ absorbitione, & lepra. De exustione Num. 16. q̃ Chore cum ducentis quinquaginta de maioribus Leuitis igne diuino succensi sunt, quia sacerdotium rapere voluerunt. Et legitur ibidẽ de Dathan & Abiron qui ducatui Moysi inuiderunt quum essẽt de tribu Ruben, cui iure primogenituræ videbatur deberi, q̃ dirupta est terra sub pedibus eorũ, & aperiens os suum deuorauit eos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum, descenderúntque viui in infernum. Legitur verò de lepra, 2. Par. 26. de Ozia, qui in festiuitate propitiationis indutus stola pontificali intrauit

in templum, vt incensum poneret, & factus est terræmotus, & percussus est lepra in facie, & fuit leprosus toto tempore vitæ suæ. Peccatum istud maius est quã peccatum simoniæ, sicut asserit Aug. dicẽs: Quis dubitet deterius esse cõmissum quod grauius est iudicatum? quod etiã per simile potest ostendi. Grauius enim peccat raptor qui facit violentiã quã fur: & grauius peccat, qui alicui mulieri violentiam facit, quàm qui pecunia facit eam cõsentire sibi: sic grauius peccat qui per violentiam intrat in ecclesiam Dei, quàm qui per simoniam. Quãta autem contumelia Deo fiat in peccato isto, potest mãnifestari per hoc q̃ principes pro tãta cõtumelia habẽt, quũ aliquis vxores eorum exhonorat, cõtumeliam & violẽtiam eis inferendo: vix enim pacificari possunt. Quãta ergo cõtumelia est regi cœlesti, cũ ostiũ ecclesiæ quę sponsa eius est, frangitur, & violentia ei fit? Valde possunt timere tales ne in eo in quo peccant puniantur, ne ab ingressu triumphãtis ecclesiæ omnino prohibeãtur. Non est parua contumelia quòd domino omnium à suis in terra inferatur violentia. Accidit autẽ propter peccatũ istud q̃ in ecclesia omnino indigni pro mouentur. Vnde legitur 2. Mach. 4. de Menelao, q̃ acceptis à rege mãdatis venit nihil habẽs dignũ sacerdotio. Ex hoc etiam peccato accidit destructio ecclesiarum. Vnde legitur 2. Machab. 8. de Alchimo quẽ rex Demetrius cõstituit sacerdotem: q̃ multo plus malefecerit filiis Israel, quã gentes. Hoc peccatum dissuadet Apostolus ad Heb. 5. dicens: Nemo sibi assũmat honorem, sed qui vocatur à Deo tãquam Aaron. Aaron ostensus est dignus sacerdotio per virgam, quæ floruit & fronduit, & fructum fecit. ¶ Et hic est primus modus quo quis vocatur à Deo ad honorem, quum aliquo miraculo ostenditur dignus honore. ¶ Secundus modus est, cùm aliquis ostẽditur dignus dignitate aliqua voce lapsa de cælo, vt Iosue, de quo Numer. 27. Et beatus Nicolaus. Et Christus, de quo Matthæ. 17. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. ¶ Tertius modus fit per sortem: qua Mathias ostensus fuit dignus apostolatu. ¶ Quartus modus fit per canonicam electionem. Sed hodie electio canonica facta est diabolica: quãdo enim in ecclesiis plures erant boni quàm mali, tunc electio quæ est secundum pluralitatem punctorum bona, bona erat. Plures enim erant illi qui eligebant Deo, illis qui eligebant diabolo: sed nunc econtrario est. Quum enim plures sint mali quàm boni in ecclesiis: plures eligunt secundum voluntatem diaboli, quàm secundum voluntatem Dei. Et sic frequenter est potius electio diabolica quàm canonica. Contra illos qui per principes seculares

volunt intrare in ecclesiam,est illud Ecclesia.7. Noli ab homine quærere ducatum,neque à principe,neque à regè cathedram honoris.Isti non sunt gratia Dei id quod sunt,sed potius gratia hominum. Vnde in literis quæ scribuntur eis, non debet apponi Dei gratia, sed gratia hominum, & Dei furore. vnde Osee decimotertio,Dabo tibi regem in furore meo &c.Isti sunt simulachra gentium,argentum & aurum, opera manuum hominũ. hi sunt qui colunt personam potentis vt Deum suum : vnde ad eum verbis vtuntur quibus ad solum Deum vtendum est.Vos fecistis me, inquiunt, ex nihilo:in quo eum creatorẽ confitentur. Creare enim est ex nihilo aliquid facere. Non solum institutio prælatorum ecclesiæ,sed etiam institutio principum secularium purè à Deo debet esse.Deut.17.Quum dixeris,Constituam super me regem,sicut habent omnes per circuitum regiones:eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit.

De auaritia mercenariorum, quæ multum nociua est ecclesiæ Dei: & quòd sex faciunt ad eius detestationem. CAP. X.

AVaritia mercenariorum multum nociua est ecclesiæ Dei. Sapiens: Nullum vitium deterius est auaritia in principibus,& rempublicam regẽtibus. ¶ Ad detestationem huius vitij. Primo facit maledictio quam scriptura prædicit his qui sunt in peccato isto.Eccle.2.vbi dicitur, Væ peccatori ingredienti terram duabus viis. Terram duabus viis ingreditur qui in ecclesia vult seruire Deo & mammonæ,quum tamen dominus dicat Matt.6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. De hac maledictione legitur Ezech.33.Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos. ¶ Secundo facit ad detestationem huius peccati pœna qua dominus puniuit figuram huius peccati. Leuit.10. Vbi quum dominus ignem cælestem misisset in quo solo sacerdotes ei offerrent,Nadab & Abiu filij Aaron acceptis thuribulis imposuerunt ignem & incensum desuper, offerentes coram domino ignem alienum:egressúsque ignis à domino , deuorauit eos coram domino. Ignis de cælo missus, Dei amorem designat,ex quo pura debent offerre sacerdotes. Ignis verò alienus, ignis ambitionis est vel cupiditatis.Vnde Bern. Habet aduersarius noster, vt peruersus diuinorum operum æmulator,ignem ambitionis, quo Saluator in nobis non accendere, sed extinguere venit. Si quis autem alienum ignem in diuino præsumpserit offerre sacrificio, morietur in iniquitate sua,etiam si patrem habeat Aaron. ¶ Tertio facit ad detestationem huius peccati, multiplex malũ quod facit prælatus ecclesiæ. ¶ Primũ est, q̃ oculum intentionis læsus

in eis, & sic consequenter fert omnia quæ faciunt in ecclesias quæ mala sunt. Vnde Matth.5.Si oculus tuus fuerit simplex,totum corpus tuũ lucidũ erit, id est,tota congeries operum lucida erit.Si autem nequam fuerit, totũ corpus tuũ tenebrosum erit. Tunc oculus intentionis est simplex , quum aliquis sola æterna petit in ecclesia,iuxta illud Psal. Vnam petij à domino,hanc requiram &c.Matthæi 6.Primum quærite regnũ Dei &c. & Apostolus: Quæ sursum sunt sapite,non quæ super terram. Et tunc totum corpus,id est, tota congeries operũ lucida erit. Si autem oculus intentionis læsus est,tunc tota congeries operũ tenebrosa est. ¶ Secundo facit eum amittere Christum,quod figuratũ est Gen.31.vbi quum Laban misisset ad tondẽdas oues,fugit Iacob: sic dum mercenarij tonsioni gregis intendunt,Christus recedet ab eis.Iudas cùm ascenderet ad tonsores ouium suarum, incestũ commisit cum Thamar : vt legitur Gene. 38.sic prælati qui non quærunt nisi tondere & mulgere oues in ecclesia Dei, sæpe à Deo deserũtur,adeò vt incestum committãt proprias filias corrumpendo.Absalon etiam cum tonderentur oues eius, interfecit fratrem suũ Amon,quum esset temulentus.Et nota, q̃ Iudæi in tonsione ouium solennizabant: in quo figuratum est gaudium mercenarij de commodo temporali , quod facit ecclesia Dei. Vnde Zacha. 11. Pasce pecora occisionis , quæ qui possederant,occidebant,& non dolebant:& vendebant ea,dicentes,Benedictus Deus, diuites facti sumus. Tertio facit illud peccatum ecclesiam eum diabolo inire illud ignominiosum fœdus,de quo legitur 1. Reg.11. quòd Naas Ammonites dixerit viris Iabes Galaad,In hoc feriam vobiscum fœdus , vt eruam omnium vestrũ oculos dextros. Eruebat oculos dextros his quos in bello capiebat,vt sinistros scutis celantes ad bellum forẽt inutiles. Oculus dexter in multis locis erutus est Ecclesiæ:quia ibi non est iã aliquis spiritualis,sed solũ terreni homines adeò occupati circa defensionẽ temporalium, quòd ad bellum spirituale sunt inutiles. ¶ Quartum malum est ariditas brachii dextri.vnde Zacha.11.O pastor & idolum,dereliquens gregem : gladius super brachium eius,& super oculum dextrum eius: brachium eius ariditate siccabitur , & oculus eius dexter obtenebrescens obscurabitur. ¶ Quarto facit ad detestationẽ huius peccati, multiplex malũ, quod prouenit ex peccato isto gregi.Vnde Ioã.10.Mercenarius, & qui non est pastor,cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues.Lupus dicitur diabolus,vel persecutor violentus. Et Augu.

loquens de mercenario, dicit: Si ouis deuiat, non reuocat: si infirma, non medetur: si deuoratur, non lacrymatur. Si fugiunt temporalia quæ ipse amauit, fugit ipse animas quas ipse amare simulauit. Hoc bene apparebit in tempore antichristi, quando temporalia auferentur ecclesiæ: tunc enim implebitur illud Esa. 1. Et derelinquetur filia Sion sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario. In vmbraculo vineæ nullus habitat, nisi quandiu sunt ibi racemi: nec in domicilio horti, nisi quãdiu sunt ibi fructus. Sic mercenarij non habitant in ecclesia, nisi dum ibi lucrantur. Quomodo mercenarij se habeant ad gregem, ostenditur Ezech. 34. vbi sic dicitur eis: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat occidebatis: gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: & quod fractum, non alligastis: & quod abiectum, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia. ¶ Quinto facit ad detestationem huius peccati, peruersitas quam facit hoc peccatum in ecclesia. Altaria enim ecclesiæ in mensas nummulariorum conuertit. vnde super illud Matthæi 21. Mensas nummulariorum &c. dicit Gl. Altaria enim Dei sic vocat, propter auaritiam sacerdotum. Altare in mensam nummularij conuertit, qui in eo celebrat potius nummo quàm Deo. Et tali potest dici illud Ouidij: O nummi, nummus nobis hunc præstat honorem. Thuribula etiã ecclesiæ quæ deberent esse inferius clausa, superius verò aperta, peruertit hoc peccatum, cum ea quæ deberent fieri pro æternis, fiunt pro temporalibus. Et vt breuiter dicam, hoc peccatũ facit vt seruitium ecclesiæ in multis locis Deo non placeat. Vnde Malac. 2. Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuitò? Et subdit: Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus: & munus nõ suscipiam de manu vestra. ¶ Sexto facit ad detestationem huius peccati hoc, quòd Christus ita diligenter cauit sibi ab auaritia mercenariorum: quod potest ostendi primo ex hoc, quod legitur Matthæi octauo, quòd vnus scriba dixit Christo: Magister, sequar te quocunque ieris. Et dominus: quia propter lucrum terrenũ volebat eum sequi. Vnde dixit ei, Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos &c. Vulpes, id est, homines astuti: habent foueas, id est, loca in ma in ecclesia Dei: sed volucres cæli, id est, nobiles, habent nidos, id est, loca alta, scilicet dignitates. ¶ Secundo potest ostendi per hoc, quod dominus dixit Ioan. 6. turbæ quæ propter lucra secuta est eum: Quæritis me, inquit, non quia vidistis signa quæ feci

feci, sed quia panem meum manducastis, & saturati estis. ¶ Termino potest ostendi idem per hoc, quod dicit Aug. Noluit dominus per baptismũ amoueri pœnam & mortalitatẽ nostram sicut & culpam, ne delicatè crederetur in Deum. Præterea Ioan. vlti. præcepit in nauigij dexteram mitti rete. Ibidem etiã postquam dixit Petro, Pasce oues meas, non subiunxit mercedem quam habiturus esset, qua Petrus alliceretur: sed subiunxit de morte quam pro grege erat passurus, dicens: Amen amen dico tibi, cùm esses iunior &c. quasi ad terrendum ignauos. Simile habetur in missione apostolorum, dixit enim eis, quòd paupertatem & persecutionem passuri essent. Vnde Matth. 10. Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Et Luc. 9. Nihil tuleritis in via &c. Idem habetur in missione Apostolorum. Luc. 10. Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculum &c.

¶ *Quare Deus in primitiua ecclesia noluit temporalia coniuncta esse spiritualibus.*

SED potest quærere aliquis, quum spiritus carni connexus sit in homine: quare noluit dominus in primitiua ecclesia temporalia spiritualibus esse connexa? Præterea, nunquid tẽporalia prouocatiua sunt ad spiritualia? Ad quod respondemus, q̃ tẽporalia prouocatiua sunt illorum quæ Christus noluit habere ecclesiam sanctam. Contemptores enim temporalium voluisse esse rectores ecclesiæ suæ, & non amatores. Qui vult sibi cauere à muscis, caueat sibi à lacte & melle quæ amãt muscæ. Præuidebat Christus, q̃ amatores temporaliũ auferrent ei ecclesias, si spiritualibus officiis temporalia lucra connecterentur. Quivult à canibus dilacerari aliquid, inuoluat illud carne. Vnde beatus Antonius præcepit cuidam monacho qui pecuniã habebat, vt emeret inde carnes, & super se nudus eas sibi afferret: quod faciẽs monachus à canibus dilaceratus est. Pisces ferrũ transgluniũt, quia esca inuolutum est, licet mors sua lateat ibi. Similiter & milui intestina. Sic amatores temporalium, officia ecclesiæ quibus terrena annexa sunt, assumunt ad damnationem suam, & videntur sequi Christum, quum sola temporalia sequantur. Sene. Multi aliquem comitantur, mel muscæ sequũtur, cadauera lupi, frumẽta formicæ: præsam sequitur turba ista, nõ hominẽ. ¶ Præterea sciebat Christus, q̃ temporalia spiritualibus officiis annexa terrori essent virtutis perfectis. Quis enim sanæ mentis non timeat dispensator terrenorũ esse in ecclesia, quãdo legitur primum dispensatorẽ temporalium in ecclesia furẽ fuisse, & proditorem, & homicidã sui ipsius? Quis non timeat per locum illum ire in quo clauos po-

sitos esse scit, quomodo non timeat terrena ista qui legit Iob 18. quòd abscondita est in terra pedica diaboli. ¶ Tertio præuidebat dominus temporalia putrefactura, imò submersura multos in ecclesia Dei. Propter quod vocantur aqua. Apoc. 12. vbi sic legitur, Et misit serpens ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi à flumine. Mulier ista ecclesia est, quam serpens antiquus temporalium abundantia quærit submergere. ¶ Quarto præuidebat dominus superbiam quæ nascitura erat in ecclesia ex abundantia temporaliũ. De qua videtur loqui dominus Esa. 60. Ponam, inquit, te in superbia seculorum, gaudium in generatione & generationem, & suges lac gentium, & mammilla regum lactaberis. Superbia seculorum, id est talis qualis est hodie in secularibus, est hodie in ecclesia Dei. Vnde Bern. ad Eugenium papam: Vides totum ecclesiæ zelũ pro dignitate feruere tuenda. Dignitati datur totum, sanctitati nihil vel paruum gaudium, cui maledixit dominus Lucæ 6. dicens, Væ vobis qui ridetis. Præfert ecclesia luctum benedictioni. De quo ibidem, Beati qui nunc fletis. quod autem sequitur, Et mammilla regum lactaberis, potest intelligi dictum in derisionem ecclesiæ, quæ in senectute sua lac transitoriæ consolationis non cessat sugere. Ecclesia enim quasi in infantia sua fuit sub veteri lege. Vnde dominus promittebat sibi terram fluentem lacte & melle. Lac enim & mel cibus sunt paruulorum. In aduentu vero Christi, à lacte separata est. Sed modo quantum ad maiorẽ partem sui ad lac rediit, quod signum est puerilitatis. Superbia & diuitiæ quasi connexa sunt. Vnde opes vocantur superbæ. Prouerbiorum 8. ¶ Quinto nolebat dominus, quòd ecclesia haberet fiduciam suam in alio quàm in ipso: volebat potius fundare eam supra petram, quàm supra terram. vnde Matthæi 16. Super hanc petram ædificabo ecclesiã meam. Si fiduciam suam habuisset ecclesia in Deum, & non in diuitiis, non ita elongasset se a deo. Legitur in Vitis patrũ, quòd quidam venerũt in ciuitatem quandã vt distribuerẽt ibi eleemosynas, & venientes ad domum cuiusdam pauperis viduæ, quæ quũ esset candidatrix, exierat ad opus suum, quandã inuenerũt filiam quæ apparuit eis quasi tota nuda, & voluerunt ei dare vestes, quæ noluit accipere eas: mater etiam quũ veniſſet noluit eas accipere, sed dixit: Ego habeo pro curatorẽ meum Deum, & vos eũ à me vultis tollere hodie? Et audientes glorificauerunt Deũ. ¶ Sexto sciebat dominus ecclesiã impediẽdum esse temporalibus istis ab officio suo. Et ideo voluit duces ecclesiæ pauperes esse, eò quòd paupertas expedita est, sicut dicit Senec. Et subdit: Si vis animo vacare, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Et si cętera membra corporis ad plura officia conueniant, vt lingua ad gustum & locutionem, & manus similiter ad multa: oculus tamen vnicum habet, & contactum terrę maximè timet: sic oculus ecclesiæ contemplationi legis diuinæ debuit intendere, & à terrenis istis separari. Licet pes hominis à cæteris membris eius separatus non sit: tamen habet separatim artem quæ ei deseruit, & artifices qui totaliter circa calciamenta eius intenti sunt: quantomagis deberent esse aliqui qui totaliter spiritualibus sint intenti? Sed magis occupata est hodie ecclesia in temporalibus quo ad magnam partem sui, quàm fuerit synagoga. Vnde quando datum fuit à Constantino occidentale imperium ecclesiæ, facta est vox de cælo, dicens: Hodie infusum est venenum ecclesiæ Dei. ¶ Mercenarij mali latrones sunt, aliunde enim intrant in ecclesiam quàm per Christum. Vnde super illud Ioan. 10. Qui non intrat per ostium &c. dicit Gloss. Aliunde quis intrat, vel non bene de Christo sentiendo, vel non Dei gloriam, sed suã quærendo. Ipsi enim non abhorrent spoliare crucifixum, similes militibus qui spoliauerunt Christum crucifigendum. Isti Iudaizant in ecclesia Dei, potius eligentes esse discipuli Moysi, quàm Christi. iuxta illud Ioannis 9. quod dixerunt Iudæi cæco: Tu discipulus illius sis, nos discipuli Moysi sumus. Discipuli Moysi sunt qui temporalia volunt quæ promisit Moyses. Discipuli verò Christi sunt qui contemptis terrenis cælestia volunt habere quæ Christus promisit. Mercenarij enim quodammodo patiuntur pœnam illam qua Dominus solet punire lusores blasphemantes. Habent enim faciem cordis quodammodo præposteratam. Quum enim deberent posteriorũ obliuiscı, & ad anteriora se extendere, iuxta verbum Apostoli, ipsi potius iuxta verbum Prophetæ, fiunt in retro & non in ante. Faciem enim versam habent ad temporalia quę retro debent esse, & dorsum ad spiritualia bona quę debent esse ante. Vnde figurati sunt per xxvi. viros habentes dorsa ad tẽplũ, quos vidit Ezechiel. Ipsi deberent attendere quid accidit Sichem & populo eius qui pro temporalibus spirituale opus fecerũt, circũcidentes se pro filia Iacob & vtilitate quã sperabãt ab Iacob & filiis eius. Vnde Gene. 34. dicit Sichem: Substantia eorũ, & primogenita eorũ, & omnia quę possident erũt nostra. Occasione enim illius circũcisionis interfecti sunt. Sic qui pro terrenis spiritualia faciunt, timere possunt ne æternaliter occidãtur.

De sep

De septem signis Auaritiæ in ecclesia Dei apparentibus. CAP. XI.

SEquitur de signis Auaritiæ quæ apparent in ecclesia Dei. Primum signum est, cùm vnus habet plura beneficia ecclesiastica, quorum sufficeret sibi vnum secundum statum suæ perso-ne. Secundum est, cùm aliquis in die multas missas celebrat, nisi in casibus à iure exceptis. Tertium est, cùm aliquis in eadem mis-sa multiplicat officia. Quartum est, quum quis multiplicat altaria non necessaria. Quintum est promotio ad sacros ordines, vel di-gnitates eorum qui sunt infra legitimam ætatem. Sextum est, re-seruatio fructuum, & congregatio ab eis qui habent annuos red-ditus. Septimum est, concursus ad funera & processiones, & nu-mos horarios, & breuiter ad omnia ad quæ esca alicuius lucri re-ueni allicit eos, & neglectus eorum in quibus nullum lucrum speratur. Et licet aliqua ex his interdum ex deuotione fiant, cupi-ditas tamen ea adinuenit.

¶ *De pluralitate beneficiorum, & primo quòd non liceat habere plura beneficia ecclesiastica.*

MVLTA sunt alia signa: sed causa breuitatis tãtum de his tan-gemus, incipientes à pluralitate beneficiorũ. De qua quidã de cõ-silio auaritiæ dicũt, quòd meritorie potest quis habere plura bene-ficia ecclesiastica, licet vnum eorum sit ei sufficiẽs secundum sta-tum suæ personæ. De quorum numero quidam cũ longo tempo-re affirmaslet hoc esse mortale peccatũ, dũ vnicũ beneficiũ hab-bat, dato sibi secũdo beneficio, asserit quòd licitè posset quis plu-ra beneficia habere. Et addidit, quòd nullus posset intelligere, qui haberet ea. Cuius rei talis potest assignari causa, sicut legitur Zach. 5. Impietas est oculus eorum in vniuersa terra. Luxuria est oculus luxuriosi. Auaritia est oculus auari, & sic de ceteris pi-pietatibus: vnde accidit quòd alicui luxurioso videtur aliqua fe-tua mulier, quã nimio diligit amore, pulchra, quũ in veritate non pis sit: & hoc est, quia oculo luxuriæ eam intuetur: nimius enim amor luxuriosus qui in eo est, facit eum sic iudicare de pulchri-tudine illius. Alius autem qui non habet huiusmodi oculum, non videt illam pulchritudinem in illa muliere. Sic ille in quo est oc-lus auaritiæ, videt quòd aliquis posset habere plura beneficia ec-clesiastica, sufficientia visione falsa vel fantastica. Illi autem qui nõ habent oculum auaritiæ, non vident hoc, vnde dicunt malum esse habere plura beneficia talia ecclesiastica. quod multipli-citer potest ostendi. ¶ Primo sic. Tria distinguuntur princi-pia operationum nostrarum, scilicet natura, gratia, & vitium. Igi-tur cùm aliquis vult habere talia plura beneficia, vel natura e-

principium huius operationis, vel gratia, vel vitium. Et videtur quòd non natura. Natura enim paucis contenta est. vnde Sen. Exi-guum natura desiderat, & 1. ad Tim. 6. Habentes alimenta & qui-bus tegamur, his contenti simus. Gratia etiã non videtur esse prin-cipium huius operationis. Quod multipliciter potest ostendi. Pri-mo per hoc quòd gratia paucioribus contenta est quàm natura: quod patet per hoc, quòd ipsa est aqua sitim terrenorum extin-guẽs. Vnde Io. 4. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei nõ sitiet in æternum. Super quod verbũ dicit Aug. Qui biberit ex flumine paradisi, de quo gutta vna maior est quàm Oceanus, restat vt in eo extincta sit sitis mundi. ¶ Secundo potest idem ostẽdi per hoc quòd Dominus consulit cõtrarium. Cõsilium enim Dei est sum-ma paupertas. Vnde non est verisimile, quòd gratia ipsius contra-rium consulat. Si enim gratia ipsius multiplicationem tẽporaliũ consuleret, ipse Deus hoc consuleret. Dicitur enim hoc Deus fa-cere quod gratia ipsius facit: & sic Deus consuleret contraria: & sic esset in eo est & non. Cuius contrarium dicit beatus Bern. su-per illud, Ductus est Iesus in desertũ &c. Absit, inquit, vt spiritus veritatis qui te adduxit huc, te reducere velit: quia non est in ore eius est & non. ¶ Tertio potest idem ostendi per hoc, quòd in fi-ne vitæ quum Dominus venturus est ad eos, nõ auderet retinere multitudinem beneficiorum talium. Si enim gratia Dei & amo-re ea possederunt, desiderare debent, vt in statu tali à Domino in-ueniantur, vt ab eo dignam mercedem accipiant. Et si vnctio gra-tiæ in statu sanitatis docebat eos beneficia multiplicanda esse, ipsa in statu infirmitatis cùm maior est deuotio, non permitteret eos de hoc dubitare. Non videtur esse consilium diuinæ gratiæ, quòd aliquis in statu illo viuere audeat, in quo non audet mori. ¶ Quarto potest ostendi hoc authoritatibus quæ sequuntur. Aug. Qui veram fidem habet, non cupit in his miseris fieri diues. Non videtur ergo habere veram fidem, quæ est prima gratia, ille qui desiderat habere plura talia beneficia. Quomodo ergo con-sulit ei gratia quàm non habet? Item veritas nõ volat ad muscas. Charitas etiam cùm ignis est, non tendit deorsum. Præterea cùm charitas Deum super omnia amet, ipsa non desiderat multiplica-tionem terrenorum, quibus eum amittat vel impediatur ne ei in-tẽdat. Vnde Aug. Otium sanctum quærit charitas veritatis. Idem: Videtur quidem mihi animũ pluribus actionibus intentum Deo quodammodo vacuari. Non est verisimile quòd charitas quærat quę eã Deo euacuent, sed potius querit pacem in qua factus est Io-cus eius. Ipse etiã est pallium breue quod vtrumque operire non

poterit.

potest. De quo legitur Esa. 28. Vnde August. Domine, ergo pe-
auaritiam meam te amittere nolui, sed volui tecum possidere
mendacium. Itaque te amisi, quia non dignaris cum mendacio pos-
fideri. Præterea, charitas plus diligit legem Dei, quàm milia aur
& argenti: non est ergo verisimile, quòd ipsa consulat multiplic
citatem temporalium, quæ requirit multiplicationem actionum
quæ impedit hominem à studio sapientiæ diuinæ. Vnde Ec-
clesiast. 38. Sapientiam scribe in tempore vacuitatis: & qui mi-
noratur actu, sapientiam percipiet. Patet ergo quòd operatio-
nis prædictæ non est principium natura vel gratia. Vnde relin-
quitur quòd principium eius sit vitium. Et sic patet quòd vni ho-
mini non sit licitum habere plura talia beneficia. Et hoc satis po-
test manifestari, si considerentur causæ propter quas aliqui cre-
dunt hoc sibi licere.

¶ Causæ plurium beneficiorum, sed inefficaces.

Alii enim credunt hoc sibi licitũ esse, quia beneficia illa bene
expendunt. Alij quia nobiles sunt. Alij quia vicarios ponunt. Al
quia ad administrationem temporalium vtiles sunt, vel propter
sapientiam huius mundi, vel propter potentiam. Cõtra illos qui
credũt quòd bene possunt illa habere, quia bene expendunt illa
cimus quòd nõ sufficit medico bene expendere ea quæ sibi dic
ab infirmo, & nullam curam habere de infirmitate illius. Simil
ter nõ sufficit aduocato bene expẽdere salariũ, & se nõ intro
tere de causa. Nec stipẽdiario sufficit stipẽdia sua bene expẽdere
& de guerra se non intromittere. Sic clerico habẽti beneficia ec
clesiastica nõ sufficit bene ea expendere, nisi faciat officia qu
bus illa annexa sunt. Contra illos verò qui credunt se posse ha
bere plura talia beneficia, quia vicarios ponunt. Primò dicimus
quòd eadem ratione laicus vnus imò etiam mulier posset hab
re decem beneficia ecclesiastica: posset enim ponere vicarios
Præterea, ridiculum est matrimonium contrahere spe ponendi
uicarium: & qui hoc facit, videtur incidisse in illam maledictio
nem, Deut. 18. Vxorem habebit, & alius dormiet cum ea. Ter
quærimus de vicario illo: vtrum sit pastor vel mercenarius.
mercenarius est, latro est, sicut prius ostensum est. Quum ergo
dicit aliquis: Bene possum habere hoc beneficium, quia p
nam ibi vicarium, penè idem est acsi dicat, Bene possum illud
bere: quia ponam ibi latronem, qui furetur, & mactet, & pe
Io. 10. si verò pastor est, quæ ratio est vt tu habeas duas ec
sias, ipse vero nullam? Nunquid dicet tibi Ioannes (id est p
Dei, vel in quo est gratia Dei) Non licet tibi habere vxorem

tris tui. Quarto quærimus à tali vtrũ vicarius ille sit minus bo-
nus, vel æquè bonus, vel melior quàm ipse. Si minus bonus, tunc
naturalis ratio dictat, quòd non est recipiendus pro eo. Opera-
rius enim in vineam alicuius conductus, nõ potest vicarium mi-
nus bonum ponere. Si verò æquè bonus est vel melior, quæ causa
est quòd iste habeat duo beneficia, & ille nullũ? Quinto quòd ipse
deberet attendere quid acciderit de primo vicario synagogæ.
Sic enim legitur Exo. 32. Moyses relinquẽs populum, satis paruã
morã facturus cum Domino, dimisit vicarium satis bonũ Aarõ,
& tamen in reditu populum quem reliquerat fidelem, infidelẽ &
idololatram inuenit. Præterea dicit Apostolus, quòd si quis non
laborat, non manducet. Quo iure ergo pascitur aliquis de be-
neficio illo, vbi ipse non laborat? Ordinauit Deus vt qui seminat
spiritualia, metat carnalia. Qua ratione ergo pauper vicarius
spiritualia seminabit, & alius carnalia metet? Et quum Dominus
dicat: Quos Deus coniunxit, homo non separet: quo iure de-
narius ille quem subditus offert vicario pauperi sibi spiritualia
seminanti, accipietur à patrono male viuente: Et si quo ad forum
contentiosum ius ibi videatur habere: tamen quo ad iudicium
sacræ scripturæ ipse raptor est, vsurpans sibi alterum eorum quæ
à Deo coniũcta sunt sine reliquo: id est, mercedẽ sine labore: imò
etiam homicida reputatur, & respectu mercenarij quem defrau-
dat, & respectu pauperum subditorum quorum sudorem come-
dit. De primo legitur Eccles. 33. Qui effundit sanguinem, & qui
fraudem facit mercenario, fratres sunt. De secundo legitur ibidẽ:
Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum.
Vltimo dicemus quòd illi qui vicariũ ponũt, qui sola cupiditate
lucri seruiunt, & nõ amore Dei, talem amorem faciũt matri suæ
ecclesiæ, qualem amorem aliquis faceret suę matri carnali, si pe-
dem verum ei auferret, & loco eius pedem ligneum substitue-
ret. Pes ligneus non viuit, nec corpori adhæret. Sic vicarius qui
charitatem non habet, non est membrum viuũ vita spirituali, nec
adhæret corpori ecclesiæ. Sola enim charitate viuit quis, & ad-
hæret cæteris membris ecclesiæ. ¶ Contra illos qui dicunt quòd
possunt habere plura beneficia ecclesiastica, quia sunt nobiles,
dicimus quòd si filij Dei sunt, & ecclesiæ Dei vtiles, non volen-
tes excedere mensuram nobilitatis suæ, forsitan iustum est vt de
beneficiis ecclesiasticis præ cæteris accipiãt, si fieri potest absque
iactura animarum. Sed si filij diaboli sunt, qua ratione de bonis
Domini accipient? Nunquid Dominus debet nobilitatem filio-
rum diaboli honorare? Similiter si inutiles sunt ecclesiæ Dei vel

noci

nociui ſuo prauo exẽplo,nõ videtur iuſtũ q; præ cæteris cõmodum habeant ab eccleſia,ex quo eccleſia commodum non habet ex eis. Dicit Lombardus, quòd ipſe non vult habere accipitrem qui capiat alaudam,& comedat gallinam. Sic Dominus nõ vult habere in eccleſia ſua,qui multum cõſtent ei,& nihil ei proſint. Similiter ſi aliquis non eſt contentus illis quibus contentus eſſet ſi clericus non eſſet, & cùm paterna hæreditate exhæredatus ſit ſuperior tamen vult eſſe quàm frater ſuus qui eſt hæres, non videtur iuſtum eſſe quòd Dominus eius ſuperbiã paſcat, vel ſuſtentet.Cũ enim ſuperbia filia diaboli ſit, nõ pertinet ad Dominum paſcere eam.¶ Cõtra eos qui credunt ſe poſſe habere multa talia beneficia,quia ſapiẽtes vel potẽtes ſunt,quo ad ſeculum,dicimus quòd auaritia & cupiditas docet eos in hac parte. In dolosa enim ſtatera cupiditatis ſibi nihil ponderant ſpiritualia,ſed ſola temporalia.vnde Bern. loquens de auaris prælatis: Optimi dispenſatores rerum qui de maximis minimã, & de minimis maximã curã gerunt. ¶ Tertio loco poteſt oſtendi nõ ſolũ q; malum ſit plura talia beneficia habere, ſed etiam quòd nulli niſi cæco debeat hoc in dubitationem venire. Certum enim eſt q; nullus eſt princeps ſecularis in cuius curia licitum ſit illi qui non habet niſi vnum equum,auenam quærere ad opus duorum vel ad plures equos: nec inuenitur aliquis armiger ita ſimplex, qui hoc audeat in dubitationẽ. Quæ cauſa ergo eſt,vt in curia Dei,id eſt in eccleſia in qua tot ſunt qui de auena eccleſiæ non poſſunt habere ad neceſſitatem, licitum ſit alicui qui non habet niſi vnum equũ,auenã quærere ad plures equos? quomodo dubium eſt inter literatos,quod certum eſt inter armigeros? Nunquid poterit Dominus bene dicere illud propheticũ, Quis cæcus ,niſi ſeruus meus? Præterea etſi licitum eſſet aliquẽ habere plura talia beneficia:tamẽ non expedit. Vnde 1.Cor.6. Omnia mihi licent,ſed non omnia expediunt.Licebat Apoſtolo ſumptus à ſubditis ſumere ſed nõ expediabat: quia pſeudo apoſtoli haberent inde occaſionem quærendi & lucrandi.Sic licet licitum eſſet alicui viro honeſto& diſcreto habere plura talia beneficia: tamen quia aſſatores temporalium accipiunt inde exemplũ cupiditatis & auaritiæ non expedit.Sicut manducare idolothitum , in ſe licitum eſt homini diſcreto qui non comedit illud cũ veneratione idoli,tamen coram infirmis & ſimplicibus peccatum eſt comedere idolothitum:ipſi enim credẽtes illud comedi cum veneratione idoli,ſcandalizabãtur inde.vnde beatus Bern.Spiritualis homo qui omnia diiudicat,vt ipſe à nemine iudicetur, omne opus

trina quadã conſideratione præuenit.¶ Primo quidem an liceat, deinde an deceat, poſtremo an expediat. Licitum dicitur aliquid in reſpectu ad Dei prohibitionem. Decens dicitur in reſpectu ad cõditionem perſonæ.Expediens verò in reſpectu ad offenſionem proximi. Conſiderare ergo debet ſapiens an illud quod facturus eſt,licitũ ſit,id eſt,à Deo non prohibitũ:deinde an deceat perſonã eius:aliquid enim decẽs eſſet in aliqua perſona quod tamen indecẽs eſt in alia.Præcipuè verò in viris literatis qui deberẽt ſpiritualiter eſſe oculus eccleſiæ,indecẽs eſt terreneitas & macula cupiditatis & auaritiæ: à talibus enim præcipuè ſumitur exemplum, & ad eos ſpecialiter pertinet illud Apoſtoli 1.Theſſ.5. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Et illud Rom.12. Prouidentes bona non tantum coram Deo,ſed etiam coram omnibus hominibus.

¶ *Quæ faciant ad deteſtationem plurium beneficiorum.*

Ad deteſtationem verò huius peccati,Primo facit maledictio quam facit dominus illis qui ſunt in peccato iſto,Eſa.5 dicens,Væ qui coniungitis domum ad domum. Quomodo quis abſque peccato habet,quod cum maledictione domini habet? Secundo mutilatio eccleſiæ quę inde prouenit.Non videtur innocens eſſe,qui matrem ſuam vno membro mutilat: Sic innocens non eſt , qui matrem ſuam eccleſiam mutilat,procurãdo,quòd minus habeat vnum membrum quàm debeat habere : quòd ſi dicatur,quòd eccleſia licet non habeat omnia membra quo ad ſubſtãtiam,tamen habet quo ad officia.vnus enim habet officium plurium.Reſpondemus,quòd licet in monoculo vnus oculus ſuppleat vicem duorũ,non tamen tantũ valet habere vnum oculũ,ſicut habere duos. Nec bene ſeruiret matri ſuæ carnali,qui procuraret vt loco duorum oculorũ vnicum haberet. Tertio facit ad deteſtationẽ huius peccati mõſtruoſitas,& cõfuſio quę inde prouenit in eccleſia Dei. Prouenit enim ex hoc peccato,quòd diuerſæ eccleſiæ habẽt eundem oculum.In auditũ eſt diuerſa corpora idem habere mẽbrum. Ex hoc etiam peccato accidit,quòd eadem perſona ſimul& ſemel diuerſa replet loca,quod videtur eſſe contra naturã. Item accidit inde quòd oculus vnius eccleſiæ cantor eſt alterius. Accidit enim quòd oculus vnius eccleſiæ diſtat ab ea pluſquam per dietã vnam. Si aliquis cæcus reputatur,etſi oculos ſuos habeat in burſa ſua:nunquid talis eccleſia reputãda eſt cęca,à qua oculi eius tantũ diſtãt? Oculi enim ſapientis in capite eius : ſtultus autẽ in tenebris ambulat,vt dicit Salo.Eccl.2. Oculi ſtultorũ in finibus terræ.Prouer.17. Peccatum iſtud etiam introducit quodammodo in eccleſiam Dei hę-

resim Sabellij, qui dicebat Patrem esse Filium. Contra quod dicit Aug. quòd hoc nõ inuenitur, nec in natura, nec supra naturam, quòd eadem persona sit Pater & Filius: intellige respectu eiusdem. Sed sic vult facere peccatum istud. Accidit enim quòd duo sunt decani in duabus ecclesiis, & vterque canonicus est in vtroque, & sic vterque est Pater & Filius respectu vtriusque. Præterea istud peccatum facit, quòd eadem arbor simul & semel in diuersis hortis plantata sit. Sed non vult dominus in aliquo de hortis suis arborem esse quæ fructum non faciat. vnde Luc. 13. dicit de fæculnea non faciente fructum, Succide illam: vt quid terram occupat? Vnde quæritur quod in vtroque horto fructum facere debeat arbor talis, & sic quòd duplex officium facere debeat, qui duplex beneficium sufficiens habet. Qua ratione enim primo beneficio ad vnum officium obligatur, eadem ratione secundo ad secundum. ¶ Quarto facit ad detestationem huius peccati villitas quæ ibi est. Vilium enim personarum & abiectarum est, causa lucri periculo se exponere: vnde viles se videntur ostendere, quando præ nimio desiderio lucri incedunt per illam viam quam tot boni viri asserunt latronibus plenam: præcipuè cùm videant lateratos viros, qui per eam cœperunt ire, ad vltimum relinquere eã, & non audere vltrà transire. Resignant enim, nec audent mori cum multitudine talium beneficiorum. Præterea si aliquis cibus assereretur venenatus à multis bonis viris, licet alij essent qui contrarium asserrent: tamen qui aliter haberent cibos sufficienter, non committerent se discrimini, vt cibum illum comederet. Mirum est ergo quomodo ille qui habet vnum beneficium sufficiens, audet suscipere aliud, quum tot boni viri asserant ibi periculum esse. Præterea satis possent erubescere illi ad quos pertinet quærere qualiter Deo seruire possent gratius ad placitum suum, quomodo hoc solo contenti sunt vt seruiant sic ei, ne ipse interficiat eos. Non curant enim quid sit illud quod faciunt, dummodo mortale non sit, non attendentes quod dicit Bernardus loquens ad viros perfectos: Non est vestrum, inquit, languere circa communia præcepta, nec attendere quid Deus præcipiat: sed quid velit, probantes quæ sit voluntas Dei bona, bene placens & perfecta. ¶ Quinto facit ad detestationem huius peccati, hoc, quòd talis multiplicatio beneficiorum circa vnam personam frequenter generat apostema superbiæ in illa persona: sicut in corpore humano nimia collectio humorum circa aliquod membrum solet apostema generare. Superbia enim similis est illi apostemati quod vocatur, Noli me tangere: non enim potest sustinere super-

bus, quòd vitia eius reprehendantur. ¶ Sexto faciunt ad detestationem huius peccati diuersa exempla, & de multis pauca ponemus testimonia. Senec. in lib. de beneficiis, ait, quòd quidam cùm illi ob virtutem & rempublicam bene gestam tãtum agri decerneretur, quantum vna die arando circumire posset: Non est opus, inquit, mihi, plus quàm vni ciui opus sit. Et subdit Senec. Quanto maioris virtutis putas respuisse munus, quàm meruisse? Et David in Psal. A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt. Et subiungit de se: In pace in idipsum dormiam & requiescam. Quasi diceret, Alij multitudinem temporalium quærunt: sed mihi adhærere Deo bonum est. Consuluit Iethro Moysi, onus suum partiri in plures vt secum esset Deus. Isti verò congregare volunt multa onera in vnum, vt ab eis recedat Deus. Isti non possunt dicere illud Psal. Vnicus & pauper sum ego: cùm trini in personis volunt esse, non vnici. Ille qui trinus vult esse in personatibus, cùm vnus sit in substantia, videtur dicere illud verbum diaboli, Ero similis Altissimo. ¶ Sex sunt reprehẽsibilia in habẽtibus plura ecclesiastica beneficia. Et quòd præsentia pastoris sit gregi necessaria, tripliciter ostenditur. Sex autem videntur reprehensibilia esse specialiter in talibus personis. ¶ Primo est reprehensibilis absentia, cùm officium eorum requirat præsentiam tribus de causis. Primo propter gregis pestilentiam. Vnde ad eum potest dici illud verbum Senecæ: Tantum habes negotij, quantum medicus in pestilentia. Secundo propter luporum infernalium importunam sæuitiam. Alij enim lupi solo clamore exterrentur. Sed de lupo infernali legitur Iob 41. Non fugabit eum vir sagittarius: in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Pauci sunt quos lupus infernalis singulis diebus non teneat vel per aurem, vel per linguam, vel per aliud membrum. Illo membro tenetur, quia à lupo infernali qui committit peccatum. Necessaria est ergo pastoris prẽsentia quæ oues de ore lupi eruat. Vnde legitur Amos tertio: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ: sic eruemini filij Israël. ¶ Tertio, necessaria est præsentia pastoris propter simplicitatem & indefensionem ouium. Certum enim est quòd inter omnia alia animalia vnum de simplicioribus & minoris defensionis est ouis. Cætera enim animalia vel velocitate, vel astutia, vel fortitudine & dentibus & vnguibus quasi quibusdam armis secura sunt ab hostibus suis: sed ouis nihil horum habet: ideo necessaria est ei præsentia pastoris, qui eam defendat. Similiter est in ouibus spiritualibus. Multi enim maioris simplicitatis sunt, quàm ouis vel

capra: ouis enim vel capra naturaliter fugit lupum: oues verò spirituales voluntariè, in ore lupi infernalis se ponunt. ¶ Secundo reprehensibile est in talibus personis, quòd supra suam virtutē spondent. Contra illud Eccl. 8. Non spondeas supra virtutē tuam: quòd si spopōderis, quasi restituens cogita. Supra virtutem suam spōdet qui animā suam in susceptione primæ ecclesiæ impignorauit, & adhuc aliam ecclesiam susceperit, cùm aliam animā nō habeat quā in pignus pro secūda ecclesia ponat. Dominus animam suam posuit pro ouibus suis: & si ex culpa pastoris eas amiserit, super animam pastoris periculū erit. ¶ Tertio reprehensibile est circa habētes plura beneficia hoc, quòd ipsi se offerunt ad fideiussionē periculosissimam, & instāter rogant vt ad eam recipiantur: & si recepti fuerint, de ea gaudent quasi inuenerint thesaurum. Solent prudentes huius seculi vitare, quòd non fideiubeant pro aliquo, propter pericula quæ ex fideiussione solēt euenire. Ad fideiussionē verò longè periculosioré multi se offerunt. Vnde Prouer. 22. Noli esse cùm his qui defigunt manus suas, & qui vades se offerunt pro debitis. Si enim non habes vnde restituas, quid causæ est vt tollat operimētum de cubili suo? ¶ Qui curam animarum suscipit, mānus suas defigit: id est, obligat. ¶ Sex sunt ad quę se obligat, qui curam pastoris suscipit. ¶ Primò ad excolendam terram ecclesię. Ier. 1. Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. ¶ Secundo ad liberationem. Vnde Prouer. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem. ¶ Tertio ad spiritualium infirmitatum curationem. Vnde dominus in Euangelio Matth. 9. Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus. Et videntur medici spirituales deteriores esse temporalibus medicis tribus de causis. Primo, quia nullorum ægrorum curam recusant, quantumcunque incurabiles videantur. Secundo, quia licet de arte spiritualis medicinæ nihil nouerint, tamen curam recipiunt. Tertio, quia mercedem ab infirmis recipiunt, & de infirmis non intromittūt. Hæc enim tria in medicis corporum quantumcunque mali sint, non solent inueniri. Quarto obligat ad prouisionem eorum quę spirituali vitę sunt necessaria. Vnde Matth. 24. Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, quem constituit dominus super familiam suam, vt det illi in tempore tritici mensuram? Bene enim deberet præmediari, qui tantam familiam suscipit, vtrum habeat vnde ei possit prouidere. ¶ Quinto obligat se ad præbendum ducatum, vnde Ioann. 10. dicitur de pastore: Cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues eum sequuntur. ¶ Sexto obligat se ad placandum Deum

Deum, propter quod oportet ipse placeat. Quomodo eum placabit qui non placet? Vnde Greg. Quomodo is qui displicet ad intercedendum, &c. ¶ Sequitur de prædicto verbo, Si enim non habes vnde restituas, &c. Operimentum quo cubile conscientiæ debet esse ornatum vt Deus ibi quiescat, est gratia Dei. Hoc operimentum amittit qui supra vires suas curam animarum suscipit. vnde Prouer. 20. Tolle vestimentum eius qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneo aufer pignus ab eo. Idem vocatur hic vestimentum, prius operimentum. Et est sensus: Tolle vestimentum: id est, tollendum prædica. Et subditur ibi, Suauis est homini panis mendacij: sed os eius implebitur calculo. Panis mendacij vocatur qui acquiritur ex mendacij promissione cupidi, qui curam animarum suscipit: sed os eius calculo ardenti implebitur. Vnde Prouerb. 11. Affligetur malo, qui fidem facit pro alio. De illis qui post fideiussionem gaudent, dicitur Prouerb. 17. Stultus plaudet manibus suis, cùm spoponderit pro amico. Cuius causa hæc? quia non intelligit quid fecerit. pro infirmis enim de quorum salute desperant, se responsorem constituit, cùm curam animarum suscipit. ¶ Quarto, reprehensibile est in talibus, quòd post fideiussionem non curant de hoc quòd fideiusserunt, non attendentes quod legitur Prouerbiorum sexto: Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Fac ergo quod dicō fili mi, & temetipsum libera: quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum. Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Fideiussionem istam attendebat abbas quidam de grandi sylua, in cuius domo dominus Gulielmus de Montepessulano factus monachus abbatem pro salute sua fideiussorem recepit: qui diu conuersatus, ibi honestè migrauit ad dominum. Ad quem abbas peractis exequiis direxit sermonem in hunc modum: Frater Gulielme, vellem scire si Deo placeret, vtrum de fideiussione quam tibi feci, absolutus sim: qui licet per dimidiam diem mortuus fuisset, respondit diuino miraculo, Domine abbas, absolutus estis. ¶ Quinto reprehensibile est talibus personis, quòd ipsi defraudant plurimos. Primo Deum honore & seruitio. Deberet enim habere duplex seruitium de duobus beneficiis, & non habet nisi vnicum. Secundo, corpus ecclesiæ debilitat membri vnius ablatione: sicut corpus vnius hominis debilius est ex defectu pedis. Tertio, defraudat aliquem pauperem clericum qui deberet alterum illorum beneficiorum habere. Quarto vicarium,

cùm vicarius habeat laborẽ,& ipse mercedem. Quinto subditos à quibus metit carnalia,cum eis nõ seminet spiritualia. ¶ Sexto reprehensibile est in talibus personis,q̃ ipsi reputãt beneficium, quod est onus valde periculosum. vnde Luc 22. Reges gentium dominãtur eorum, & qui potestatẽ habẽt benefici vocantur: vos autẽ nõ sic,supple,vocãdi estis benefici. Solã enim dispensationẽ alienorũ bonorũ habetis. Cõstat ergo q̃ quãdo quis cõmittit dispensationẽ alicui quæ laboriosa est,licet victũ & vestitum in ea ei concedat, potius eum onerat quàm beneficium ei impendat.

¶ *De multiplici periculo,quod est in dispensandis rebus ecclesiasticis.*

MVLTIPLICI vero ratione periculosa est dispensatio bonorum ecclesiasticorum. Primo,quia difficile est quòd dispẽsator placeat domino & familiæ simul. Etiam difficile est gratiam familiæ non quærere, cum ipsa præsens sit, & dominus sit quasi absens, vnde relinquitur quòd difficile sit dispensatores bonorum ecclesiæ gratiam Dei habere. Secundo periculosa est, quia computatio multum differtur. Computatio autem dilata multa facit obliuisci: sicut beatus Bern. dicit, Dilatio ista securos reddit dispensatores,& absque timore furantes, vnde Eccl.8. Quia non profertur citò contra malos sententia, filij hominũ absque vllo timore perpetrant mala. Et Matt.24. Si dixerit malus seruus, Morã facit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autẽ & bibat cũ ebriosis, veniet aũt dominus serui illius in die qua nõ sperat, & hora qua nescit vel ignorat,& diuidet eũ, partémque eius ponet cũ hypocritis: illic erit fletus & stridor dẽtiũ. Tertio, periculosa est: quia dominus omnia videt quæ fiant à dispensatore. Si dicat aliquis per dispensationẽ prælatorum hoc fieri, quòd vnus habeat plura beneficia: Respõdeo q̃ si prælati omnia bene facerẽt, nõ dixisset dominus de ipsis Mat.23. Secundum opera eorum nolite facere. Vnde Ber. Non sum tam rudis,vt ignorẽ vos positos dispensatores: sed in ædificationem, non in destructionẽ, vbi necessitas vrget,excusabilis dispensatio est, vbi vtilitas prouocat, dispensatio laudabilis. Vtilitas dico cõmunis, non propria: nã cùm nihil horum est,nõ planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est.

¶ *De pluralitate Missarũ. Et in quibus casibus liceat dicere plures Missas.*

DICTVM est de primo signo auaritiæ quæ apparet in ecclesia Dei, scilicet de pluralitate beneficiorum. Nunc dicendum est de secundo signo,scilicet, de pluralitate missarum. Et verum est quòd in die natalis Dominiilicet celebrare tres missas,in aliis diebus in tribus casibus licet celebrare duas. Primus casus est, quãdo necessitas requirit vt vna de die celebretur, alia pro defunctis. Secũdus est,cũ necessitas peregrinorũ,vel hospitũ, vel infirmorũ hoc requirit. Tertius casus est,cũ tẽpus nuptiarũ labitur: tũc si necesse sit, poterit quis plures missas propter nuptias celebrare: ita tamẽ, quòd nunquàm propter aliquã necessitatem debet celebrare nisi duas, nec duas etiẽ causa adulationis vel cupiditatis,quia tũc est peccatũ mortale. Quòd autẽ cupiditas plura litatẽ missarũ adinuenerit, videri potest ex hoc, q̃ ille qui habet duas tenues ecclesias,in vtraq; vult missam celebrare,cùm horas canonicas vix in altera earũ velit dicere: cuius rei alia causa nõ videtur esse,nisi quòd ad missam offertur,ad horas canonicas non.

¶ *Multiplex malum ex pluralitate Missarum.*

POTEST tamen ostendi multipliciter, quod hoc sit malum, scilicet aliquem in die plures missas celebrare. ¶ Primo per illud verbum Aug. Quotidie eucharistiam sumere,nec laudo,nec vitupero. qui non audebat laudare quotidie semel sumi eucharistiam: nunquid laudasset eam bis in die sumi? imò forsitã graui ter pluries sumẽtem puniuisset. ¶ Secũdo potest idem ostendi per hoc,quòd maius est cõficere quã simpliciter cõmunicare. vnde cùm non liceat alicui clerico pluries cõmunicare, non est licitum alicui pluries celebrare. Et forsitan si nihil offerretur celebranti,sicut nihil offertur laico communicanti,nunquam fuisset pluralitas missarum introducta in ecclesia Dei. ¶ Tertio potest idem ostẽdi per hoc,quod dicit glossa super illud ad Heb.6. Terra super se venientem imbrem bibens &c. Prædicatio si rara est,non sufficit: si assidua,vilescit. Idem verum est de celebratione missarum: si enim aliquis pluries celebret, vilescit ei opus illud superangelicum: non enim concessum est angelo, vt ad prolationem talium verborum, sub specie panis glorioſum Christi corpus incipiat esse: nec exhibet reuerentiam præsentiæ creatoris sui quam deberet. ¶ Quarto potest idem ostendi per hoc, quod filij Israël non colligebant de manna nisi gomor vnum per singula capita. Manna enim propria figura fuit dominici corporis. De hoc habetur Exod.16. ¶ Quinto potest ostendi idem per hoc, quòd agnus paschalis semel in anno immolabatur. De quo legitur Exod.12. ¶ Sexto potest ostendi idẽ per hoc, q̃ verus agnus, scilicet Christus, semel tantũ immolatus est,& sacerdos in veteri lege tantũ semel in anno cũ sanguine intrabat sancta sanctorũ.

¶ *De pluralitate officiorum in eadem missa.*

SEQVITVR de tertio signo auaritiæ, scilicet de plu-

ralitate officiorũ in eadẽ missa: quod licet interdũ ex deuotione fiat, veri' tamen videtur, ꝙ cupiditas hoc adinuenerit. In eisdẽ enim matutinis null' laudes triplicat: in missis verò cupiditas hoc adinuenit, vt si nõ offerat ad vnũ officiũ, ad aliud saltẽ offeratur.

¶ De multiplicatione altarium sine necessitate.

QVARTVM autem signũ est multiplicatio altarium absque necessitate facta, non ex deuotione, sed ex cupiditate. Vnde Osee 8. Multiplicauit Ephraim altaria ad peccãdum: factæ sunt ei aræ in delictum. Hostias offerent, immolabunt carnes & comedent, & dominus non suscipiet eas. Mira insania est, quòd altaria multiplicẽtur ad peccandũ, quę purè deberent fieri ad Deũ placandum. Corpus Dominicum super huiusmodi altaribus ex cupiditate immolatum à Deo non suscipitur, quantum ad operationem immolantis. Simile legitur Ier. 9. vbi sic legitur: Numquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas?

¶ De conseruatione fructuum.

QVINTVM signũ quaritiæ est conseruatio fructuum, in his qui habent annuos reditus sufficientes, quorũ fatuitas multipliciter potest ostendi. ¶ Primo per hoc, quòd ipsi videntur esse similes cuidam stulto, qui videns quendam magnũ fluuiũ impetuosẽ currentẽ, cogitauit, ꝙ citò pertrãsisset, & mutuatus est vasa à vicinis suis, & retinuit in iis de aqua illa, ne cum pertransisset aqua fluuij, indigẽtiã haberet. Annui reditus quos habẽt clerici sunt, velut fluuius iugiter manãs: sed diuitiæ laicorũ qui nõ habẽt ita annuos reditus, sunt velut torrens, qui quãdoq; siccatur. Vnde nõ est mirum si ipsi reseruãt de fructibus suis. ¶ Secundo potest ostẽdi fatuitas taliũ per hoc, ꝙ ipsi de portione pauperũ volũt thesaurũ facere, vel possessiones acquirere, cũ ipsi pauperes fame & frigore moriãtur. Cõtra quos dicit Hier. Accepit pauperibus erogandũ & esurientibus plurimis: vel cautũ esse, vel timẽdũ, apertissimi sceleris est: aliquid exinde subtrahere, omnia prędonũ crudelitatẽ superat. Idẽ: Optimus dispẽsator est, qui nihil sibi reseruat. Suspecta est mihi charitas quæ aliter diligit proximũ, aliter seipsum. Portionẽ suã de bonis ecclesiasticis integrã accepit, scilicet & victũ & vestitũ suũ. Pauperes verò esurientes & nudos dimittẽs, diuites thesaurizare facit de portione, nõ attendens quãta iniquitas sit, quod Pauperũ est, successori suo diuiti reseruare, cum vniuersaliter dissuadeat Dominus in terra thesaurizare. Mat. 6. nõ videtur esse cõcessum prælatis ecclesiæ, qui exemplo suo debẽt alios ad cõtemptũ terrenorũ prouocare, ꝙ ipsi in terra thesaurizẽt. ¶ Tertio potest fatuitas eorũ ostẽdi per hoc quòd

ea quæ ipsi subtrahunt pauperibus, aufert eis tyrannus vel maior prælatus. iuxta illud Aug. Hoc tollit fiscus, quod non accipit Christus. ¶ Quarto potest fatuitas eorum ostendi per hoc, ꝙ ipsi ignorant qualẽ successorũ habituri sint. vnde Eccl. 2. Detestatus sum omnẽ industriã meam, qua sub sole studiosissimè laboraui, habiturus hæredem post me, quẽ ignoro vtrũ sapiens aut stultus futurus sit: & dominabitur in laboribus meis &c. Cõgruum esset vt prælatus qui bona ecclesiastica purè à Christo recepit, membris Christi ea impẽderet, iuxta illud Eccl. 1. Ad locũ vnde exeũt flumina reuertentur. Fatuũ autẽ videtur esse hoc, quòd homo qui bene potest dispẽsare, reseruet eius dispensationi, qui forsitan in voluptates & vanitates expendet. Illud etiam erit materia peccati: quod potuit esse materia virtutis. Contra illũ qui sic facit videtur esse illud Hier. Da, inquit, pauperibus, non locupletibus, non superbis. De quo necessitas sustentetur, non quo augeantur opes. Pars sacrilegij est, non dare pauperibus res pauperum. ¶ Quinto potest ostendi fatuitas eorum per hoc, quòd melius esset, quòd ipsi de eis quę sibi abũdãt eleemosynas faceret ante mortẽ, quàm fieret eleemosyna illa postquã mortui essent. Eleemosyna enim ante mortẽ facta, est velut lucerna quæ præfertur homini custodiens eum ne cadat in foueã inferni. Eleemosyna post mortem facta, est quasi lucerna quæ fertur homini post tergum, quæ non custodit eum à casu foueæ. Si enim in peccato mortali decesserit, nulla eleemosyna quæ pro eo fiet, liberabit eum ab inferno. Vnde eleemosyna facta pro aliquo in vita ipsius, valde melior est quàm illa quæ fit post mortẽ. Illa quæ fit post mortem, non valet ei ad plus, nisi ad liberationẽ à pœna purgatorij: illa autem quę fit in vita, potest domini mereri gratiã & gloriã, & liberationẽ à debito pœnę ęternę, & à pœna purgatorij, & abũdãtiã bonorũ tẽporaliũ, & multa alia. Pietas enim ad omnia vtilis est promissionẽ habens vitę quę nũc est, & futurę, vt legitur 1. ad Tim. 4.

¶ De promotione puerorum ad sacros ordines & dignitates.

SEQVITVR de sexto signo Auaritiæ, quod est promotio puerorum ad sacros ordines & ad ecclesiasticas dignitates. A quo peccato valde est cauẽdũ ecclesiæ Dei. Valde enim est nocium, quod innuit Salomõ, Ecc. 10. dicẽs, Vę tibi terra cui' rex puer est. Et dominus Esa. 3. cõminatur hoc synagogæ, tanquã pœnã magnam, dicẽs: Dabo pueros principes eorum. ¶ Multiplici autem ratione cauendũ esset ecclesiæ ab hoc peccato. ¶ Primo propter defectũ sapientiæ, qui est in pueris, vnde Aristoteles: Nemo iuuenes eligit duces, eò quòd non constet eos esse prudentes. Et

Iob 12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Et etiam si scientia esset in talibus personis, non tamen habent experientiam, quæ valde necessaria est rectoribus: vnde Ecclesiast.34. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa. Et deinde subditur: Qui non est expertus, pauca recognoscit. ¶ Secundo propter defectum virtutis. vnde Ecclesia. 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. vbi dicit Glossa, Debet quisque virtutes proprias perpendere, & pro quantitate virium curam aliorum suscipere, ne dum delectatur, loco gloriæ fiat subditis author ruinæ. Oportet prælatum ecclesiæ inflexibilem esse. Aetas iuuenilis vel puerilis tenera est in iudicium: sicut virga antequam adulta sit flexibilis est. Vnde glos. super illud Ecclesiastici 10. Væ tibi terra, cuius rex puer est. Cuius ætas leuitati & inconstantiæ proxima est. ¶ Tertio cauendum est ecclesiæ à promotione iuuenum: quia incertum: est quales futuri sint. Vnde Prouerbiorum 30. Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ volantis in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentia sua. Et si valde incertus sit volatus aquilæ in cælo, eò quòd diuertat se ad cadauer, & incessus serpentis, quia tortuose incedit, & via nauis in medio mari, quia variatur secundum quòd ventus variatur, nullum tamen horum se dicit Salomon penitus ignorare, nisi solùm viam viri in adolescentia sua. Vnde sapientiores Salomone se videntur facere illi, qui propter signa aliqua bona quæ videntur in iuuenibus, asserunt eos futuros bonos & faciunt eos promoueri, nõ attẽdentes, quòd oportet columnam prius robur suum accepisse quàm ponatur in ædificio. Ibi enim non accreperet robur. Illi etiam qui iam boni sunt, in prælatione bonitatem suam amittunt, vel per superbiam, vel aliquod aliorum vitiorum. Vnde de superbia habetur 1. ad Timotheum 3. Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli. Vnde dicit Glossa, In arrogantiam, quæ est ruina diaboli, incidunt, qui puncto horæ nondum discipuli fiunt magistri. Tales voluptatibus vacant. Vnde post illud Ecclesia. 10. Væ tibi terra cuius rex puer est. subditur, Et cuius principes manducant. Et super illud Ecclesiast. 12. Adolescentia & voluptas vana sunt. dicit interlinea. quòd voluptas carnis comes est adolescentiæ. Ignis concupiscentiarum quasi naturaliter in iuuenibus est, cui igni materia ministratur, quando prælati efficiuntur. Habent enim diuitias quæ sunt materia gulositatis, bo-

bent etiam mulieres, quarum custodes fiunt. Vnde cõsequens est vt gulæ & luxuriæ intendant: Ex quo gallo nõ succincto lumbos gallinæ traduntur. bene potest quilibet cogitare quid ex hoc possit sequi. Prius tentandum esset qualiter ipsi regerent se, priusquam alij regendi committerentur eis. vnde August. Prius vide, si nosti diligere teipsum, & committo tibi proximũ. Si autẽ non nosti diligere te, timeo ne decipias proximum sicut te. Attendendum etiam esset antequã committeretur alicui familia ad pascendum, an habeat vnde etiam pascat. Ridiculum est quòd famelici & nudi vestimenta & alimoniam aliis promittãt, & vlcerosi medicos se iactent. Potius deceret tales verbũ illud Esaiæ 3. Non sum medicus, & in domo mea non est panis &c. ¶ Quarto cauendum est à promotione iuuenũ, propter derisionem hostiũ. Derideri enim potest ecclesia ab inimicis suis, cùm ipsa senuerit, si nubat puero, & pro sponso habeat quem deberet portare in gremio, & lactare lacte simplicis doctrinæ. Et potest ei dici illud, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Quando enim debuit nubere illi qui pater posset esse, ipsa nubit illi cui opus est matre. ¶ Quinto cauendum est ecclesiæ à promotione talium: quia scandalizabitur populus de talium promotione subita. vnde super illud 1. ad Timo. 3. Non neophytum &c. dicit glos. Heri in theatro, hodie in ecclesia, vespere in circo: hodie in altari, dudum fautor histrionum, nunc constuprator est virginum. Et quod legitur ibi: Cui opus est patrono, mihi parant defensorem: & cui opus est pædagogo, mihi instituunt doctorem. ¶ Sexto cauendum esset ecclesiæ tali promotione: quia sicut senectus exornat quodammodo ecclesiasticas dignitates, sic pueritia quasi deturpat eas. Ad primum pertinet quod legitur Ecclesia. 25. Quàm speciosum canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium. Quàm speciosa veternis sapientia, & gloriosus intellectus, & consiliũ. Corona senũ multa peritia, & gloriosus in timor Dei. Ad secundum pertinet illud verbum quod dicit quidam de Nerone. Nero quũ quosdam ornare vellet, nõ ipsos ornauit, sed ornamento deturpauit. Et in veritate quum presbyter idem sit quod senior, ordo sacerdotalis ad senes videtur pertinere: & quasi contraria de aliquo videntur dici, quum dicitur esse iuuenis presbyter. Idẽ enim est acsi diceretur iuuenis senior. vnde Dauid in Ps. cathedram senio attribuit, dicens: In cathedra seniorũ laudẽt eũ. ¶ Septimo cauendum esset ecclesiæ ab huiusmodi promotione, quia multis exẽplis mouetur ad hoc. Primo exemplo domini, qui xxx. anno incœpit facere opera, quæ ad

præ

prælatos pertinent. Et Ezechiel describitur in xxx. anno fuisse quando vidit visiones. Petro etiam & non Ioanni commendauit Christus ecclesiam. Vna potuit causa esse, quia Ioannes erat adolescens. Apud Hebræos etiam prohibita est lectio principij Geneseos, & finis Ezechielis, & Cantica Canticorum ante trigesimum annum. Et alia exempla ad idem possunt adduci. Sed fortè aliquis obiiciet, quòd Ieremias puer ad prædicandum missus sit. Et Timotheus adolescens episcopus ordinatus sit. Et Salomon ante trigesimum annum in regem promotus. Cui respondeti potest, quòd Ieremias antequam prædicaret, audiuit: Ego dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream. vt legitur Ierem. 1. Si dominus virgam vnam in vnam magnam columnam commutaret, iam posset poni pro columna in ædificio. Non tamen ex hoc sequitur, quòd virga simpliciter fit vtilis ad hoc vt ex ea columna fiat. Sic licet Ieremias quasi miraculosè sapiens & robustus factus ante ætatem solitam ad prædicandum sit missus, non tamen hoc ad consequentiam est trahendum. De Timotheo verò respondet beatus Bernardus: Da mihi talem Timotheum, & ego cibo si vis eum auro, & poto balsamo. Pauci inueniuntur hodie similes Timotheo. De Salomone verò dici potest, quòd forsitan ideo male accidit Salomoni, quia adeò iuuenis factus est rex. Diuitiæ enim & deliciæ quasi infatuauerunt eum. Præterea spiritualis gratia est ei facta. Dedit enim ei dominus subito cor ita sapiens, quòd nullus similis ei fuerit.

¶ De libenter currentibus ad nummos horarios &c.

SEQVITVR de vltimo signo auaritiæ, quod est concursus ad nummos horarios & ad processiones, & ad cætera loca in quibus solet offerri. Hoc signum auaritiæ in multis locis apparet in ecclesia Dei. Vidimus enim clericos concurrere ad horas illas, ad quas decantandas cõstituta est certa pecunia, sicut pisces concurrit ad panem in aqua proiectum, de aliis verò horis non curant. Vnde in quibusdam ecclesiis vocantur à laicis horæ illæ in quibus nummi dantur, Horæ nummi. Quod satis indecens est. Similiter si aliquod funus est in aliqua villa, concurrunt illuc sacerdotes & clerici de circumiacentibus villis, vt possit dici de illis, quod dicit dominus Matth. 24. Vbicunque fuerit corpus, ibi congregabunntur & aquilæ. Et Iob 39. dicitur de aquila, Contemplatur escam, & oculi eius de longe prospiciunt. Et subditur: Vbicunque fuerit cadauer, statim adest. Pisces escam non sentiunt nisi eis proxima fuerit: sed tales funus sentiunt etiam si distet eis per vnam leucam, vel per duas, & statim concurrunt. Vn-

similes sunt vulturibus: de quibus dicitur, quòd existentes in regione vna, sentiunt cadauera in alia.

De peccato indignè conficiendi. CAP. XII.

QVia Simonia & alia peccata, de quibus proximo loco dictum est, frequenter solent comitari peccatum indignè cõficiendi: ideo subiungemus hic tractatum de peccato isto, & primo agemus de his quæ pertinent ad dignitatem conficiendi, deinde agemus de his quæ faciunt ad detestationem huius peccati. ¶ Ad hoc verò quòd aliquis dignè conficiat, Primo necessarium est vt probet seipsum homo, & sic de pane illo edat & de calice bibat. Sicut ille qui vult infundere aliquem pretiosum liquorem alicui vasi prius probat vel tentat vtrum vas sit mundum vel immundum, sanum vel corruptum: sic debet videre de se sacramentum altaris suscepturus. Ista probatio vocatur diiudicatio in eodem capitulo, vbi dicit Apostolus: Si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur. ¶ Secundo immunditia inuenta in se necesse est vt homo eam abluat. Manibus enim illotis accedere ad mensam. Domini valde indecens est: & in hoc peccant multum aliqui sacerdotes, qui cum singulis diebus bis manus corporis lauent vt ad mensam corporalem accedant: tamen ad mensam Domini, in qua Dominus præsens est, & cui angeli assistunt, per vnum mensem vel duos accedunt manibus illotis: id est operibus, non attendentes quod dicitur in Psalm. Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi. Non secundum pluralitatem missarum, sed secundum puritatem manuum retribuet Dominus sacerdotibus. Ad istam ablutionem manuum pertinet quod dicitur in Psalm. Lauabo inter innocentes manus meas &c. ¶ Tertio necessarium est lumen fidei: ad quod lumen sacerdos consideret virtutem sacramenti: vt scilicet habeat fidem de effectu sacramenti illius qui est collatio vel augmentum gratiæ. Ad lumen etiam istud debet inspicere quæ latent sub specie panis & vini. Indecens est mensam talem esse sine lumine, & timere possunt qui habent ibi oculos obcæcatos ne videant ne illa mensa fiat illis in laqueum. Ideo dicitur in Psalm. Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Et pòst subditur, Et introibo ad altare Dei. ¶ Quarto necessaria est fames de percipiendo effectũ istius sacramenti, quam famem sacerdos non habebit nisi per humilitatem, cogitando defectus suos, & se vacuum & pauperem inueniri. Fastidiosos & plenos non vult Dominus saturare, sed esurientes & sitientes. Vnde Matth. 5. Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Et ista quatuor sunt ex

parte

parte ipsius qui debet conficere. ¶ Ex parte vero cibi qui sumendus est, necessaria est præparatio. Modus autem præparandi tangitur Exod. 12. vbi sic legitur de agno paschali: Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni. Crudum comedit ille, in quo ignis charitatis non est. Coctum aqua comedit, qui in diuitiis viuit. Assum verò ille comedit, qui passionem Dominicam, cuius figura est sacramentum illud, diligenter recolit, ita vt meditatione eius exardescat ignis. Sed sunt nonnulli qui in præparatione cibi corporalis quem sumpturi sunt, volunt quòd laboretur à mane vsque ad tertiam: sed præparatione huius cibi spiritualis nollent laborare per dimidiam horam. Secundo necessaria sunt azyma cum lactucis agrestibus cum quibus agnus comedatur. Inconsuetum enim est carnes crudas comedere. In lactucis agrestibus quæ amaræ sunt, dolor & amaritudo pro peccatis intelligitur, quæ debent esse in conscientia. Vnde August. Panis iste salus est ægris, quem lachrymæ faciunt dulciorem. In azymis, intelliguntur opera, vt sunt eleemosynæ, orationes, & simul aquæ debent præcedere sumptionem Dominici corporis. ¶ Tertio necessaria est diiudicatio Dominici corporis, vt cum magna reuerentia recipiatur. De quo tangit Apost. 1. ad Cor. 11. dicens: Qui manducat & bibit indigne iudicium, id est, damnationem sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. ¶ Quarto necessaria est diligens custodia post susceptionem, & præcipuè custodiendum est in quo Dominicum corpus susceptum est. Si quis in pixide, vbi Dominicum corpus positum est, fœtidum lutum poneret, infidelis iudicaretur. Qualis ergo iudicandus est ille qui os suum in quo corpus Domini recepit, detractione, vel ebrietate, vel alia spurcitia polluit, cùm spurcitia spiritualis longe maior sit immunditia corporali? Ad hoc pertinere potest quod legitur Prouerb. 27. Qui seruat ficum, comedet fructus eius: & qui custos est Domini sui, gloriabitur. De diiudicatione & custodia similiter habetur Proverbior. 23. vbi sic legitur: Quando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende quæ sunt posita ante faciem tuam, & ecce diiudicatio. & subditur, Et statue cultrum in gutture tuo. Hoc pertinet ad custodiam oris. In ore cultrum discretionis ponendum est, vt non admittat homo in ore suo vnde ipsum possit inquinari. ¶ Vltimo necessarium est, vt in confessione forma tradita obseruetur. De hoc habetur in gloss. super illud 1. ad Cor. 11. Quicunque manducauerit hunc panem, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. vbi dicitur, Indignus est qui aliter celebrat, quàm à Christo traditum sit: & qui non deuota mente accedit, vel in voluntate peccandi manens. In summa ergo colligi potest, quòd ea quæ pertinent ad hoc quòd aliquis dignè conficiat, vel pertinent ad ipsum conficientem, vel ad ipsum cibum qui sumendus est, vel ad formam conficiendi diuinitus traditam. Ille verò qui debet conficere vel etiam communicare, debet esse præparatus, quasi transiturus esset de mundo isto ad patrem. Ad mensam enim Domini debet accedere, sicut & ille qui moriturus est. vnde Exo. 12. præcipitur quòd comedentes agnum paschalem sint præparati ad eundum. vbi sic legitur: Renes vestros accingetis, & calciamenta habebitis in pedibus vestris, tenentes baculos in manibus: hæc est forma hominis parati ad eundum. ¶ Præter ista leguntur quædam alia in sacra scriptura quæ ad dignitatem eius qui debet conficere vel communicare pertinere videntur. Sicut illud quod legitur Gene. 14. de Melchisedech, quòd protulerit panem & vinum Abraham regibus deuictis. Post victoriam enim peccatorum ad sacramentum altaris accedendum est. Ad idem pertinet hoc quod Exod. 12. præcipitur agnus paschalis tolli decima die. In quo figuratur quòd verus agnus post impletionem decalogi sumendus sit. Ea etiam quæ de sepultura Domini in Euangeliis leguntur, indicant nobis qualiter corpus Dominicum sit sumendum. sepultus enim est in monumento in quo nondum quisquã positus fuerat. Non ponat ergo aliquis Dominum, vbi iam est diabolus: quia nulla conuentio Christi ad Belial. 2. Cor. 6. Recipitur etiam in syndone munda, id est cordis puritate: sicut Ioseph legitur fecisse. Matth. penult. Adsint etiam myrrha & aloë, quæ Nicodemus attulit: vt legitur Ioan. 19. Amaritudo contritionis & mortificatio carnis adsint: vnguenta quæ mulieres præparauerunt: id est, opera quæ pertinent ad deuotionem Dei & compassionem proximi.

¶ Qualiter sit præparandus sacerdos ad sumendum corpus Christi.

VESTES etiam sacerdotales instruunt nos circa idem. Præparatio enim quã facit qui celebraturus est, sacras vestes induendo, significat qualiter præparatus esse debeat interius. Ad idem pertinet quod legitur Leuiti. 16. vbi sic dicitur: Locutus est Dominus ad Moysen, & præcepit ei dicens: Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne ingrediatur omni tempore sanctuarium quod est intra velum coram propitiatorio quo tegitur arca, vt non moriatur (quia in nube apparebo super oraculum) nisi hæc antè fecerit.

rit. Et subditur: Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, cidarim lineam imponet capiti. Non loquitur de quolibet ingressu sacerdotis in sancta sanctorum, sed de ingressu quo intrabat cum sanguine: & ideo recte significatur per hoc ingressus sacerdotis euāgelici, ad confectionem Dominici corporis & sanguinis. Quod etiam videtur per hoc quod ibi dicitur, In nube apparebo super oraculum. Quasi enim in quadam nube sacramenti, apparet Dominus super altare. Non intret ergo sacerdos ad altare, nisi tunicam habeat lineā innocentiæ, vt sit absque peccato odij. Et feminalia linea continentiæ, vt sit absque peccato carnis. Et zonam lineam per sobrietatem, vt sit absque peccato ingluuiæ ventris. Et cidarim lineam per puritatem intentionis, vt sit absque peccato cupiditatis. Alioquin timere potest, ne morte moriatur. Ad dignitatem etiam conficiendi vel communicandi pertinet quod legitur Exod. 12. vbi sic dicitur: Hæc est religio phase. Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet. Aduena & mercenarius non comedet ex eo. Alienigena est, qui filius diaboli est per imitationem: qui scilicet est in peccato mortali. Vnde Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis. Peccator succedit diabolo, quasi patri, à nomine & hæreditate. A nomine. Vnde Dominus dicit de Iuda. Vnus ex vobis diabolus est. In hæreditate. Vnde Matth. 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius. Seruus emptitius est qui à certis mortalibus cauet, qui sanguine Christi efficaciter redemptus esse videtur: qui circuncidendus est, si agnum vult sumere, vt linguam suam refrenet à verbis illicitis & sobriè cibo & potu vtatur. Superbiæ etiam ornatus deponatur. Non videtur securum esse illi qui æquè superbus vult esse sicut prius, detractor & gulosus sicut prius, accedere ad sacramentum altaris. Aduena est ille qui de nouo conuersus est, cui non est securum ad sacramentum altaris accedere. In quo non parum videntur errare multi in ecclesia, qui illos qui manserunt in peccato carnis per totum annum vsque ad Dominicam Ramis palmarum, de quibus certum est eis, quòd decem annis vel amplius post tertiam diem Paschæ, ad peccatum carnis redierunt, communicant indifferenter: non attendentes quod dicitur, Aduena non comedet ex eo. Interlin. illum aduenam vocat, qui nuper venit ad fidē, nec adhuc firmus est. Mercenarius verò est qui pro lucris tēporalibus Christo seruit, qui agnū vetat comedere non deberet: qd valde male obseruatur in ecclesia. ¶ Qui

¶ *Quæ faciunt ad detestationem indignè conficientium.*

POSTQVAM ostensum est in quibus dignitas conficiendi attendatur, subiungendæ sunt authoritates & rationes, & exempla quæ valent ad detestationem huius peccati. ¶ Et primo valet ad hoc illud Gregor. De quolibet indignè conficiente vel sumente corpus Christi, sicut de Iuda, dicit dominus: Veruntamen ecce manus tradentis mecum est in mensa. ¶ Sicut Iudas tradidit Christum persecutoribus: sic conficiens vel sumens corpus Christi indignè, tradit eum quantum in se est dæmonibus, dum ponit eum in loco qui est in potestate dæmonum. ¶ Secundo facit ad hoc illud Aug. Magis peccant qui tradunt Christum peccatoribus membris diaboli, quàm qui tradiderunt eum crucifixoribus Iudæis. ¶ Tertiò facit ad hoc quod dicit Glos. super versum illum, Dederunt in escam meam fel: vbi sic habetur, Hoc adhuc facit cōemptor sedentis in cælo, & grauius peccat quàm qui crucifixerunt ambulantem in terra. Quod verum est ad minus quo ad circunstantias multas. ¶ Prima est: quia indignè sumentes corpus Christi, scienter contumeliam Christo inferunt, quem verum Deum esse credunt: deteriores in hoc Iudæis, qui si cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. 1. Corin. 2. Vnde non potest Dominus rogare pro indignè sumentibus, sicut pro Iudæis rogauit, dicens: Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Luc. 23. ¶ Secunda: quia contemnunt Christum regnantem, quem Iudæi contempserunt mortalem. Maior autem contumelia est quæ infertur alicui in statu honoris, quàm quæ infertur ei in statu humilitatis. Sicut contumelia quæ infertur alicui cùm miles est, maior est, quàm quæ infertur ei quum domicellus est. ¶ Tertia circunstantia est, quia contumelia crucifixionis tantum semel à Iudæis illata est: ab indignè verò confidentibus vel sumentibus quotidie infertur. ¶ Quarta, quia vilitas, & macula culpæ magis Deo displicet, quā vilitas pœnæ: quęcunque sit: sed indignè sumentes corpus Christi, faciunt quantum in se est ad hoc quòd Christus polluatur, sicut infrà patebit. Ergo quantum in se est faciunt illi, vt videtur, quod magis sibi displicet, quàm quod fecerunt ei Iudæi. ¶ Præterea quam maiorem contumeliam potest quis inferre domino suo, quàm si eum capiat, & in carcerem immundissimum proiiciat? Non esset maior contumelia si eum occideret, licet maior dolor ibi esset. Cōtumelia verò ista satis insinuatur ad Heb. 10. vbi conculcatio vocatur. Sic enim ibi legitur: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione, duobus aut tribus testibus, moritur: quanto

magis putatis deteriora mereri supplicia qui filium Dei conculcauerit? Vbi dicit Glo. Christū cōculcat, qui liberè peccat absque timore & pœnitentia. Et indignè eo participat. Idem insinuatur nobis Ioan. 13. vbi dicitur: Qui manducat panem meum, leuabit super me calcaneum suum. Calcaneo conculcatio fit. Et vbi nos habemus in Psal. Magnificauit super me supplantationem. Alia litera habet, Ampliauit super me calcaneū suum: id est, erexit pedem, vt me conculcaret. ¶ Ad detestationem huius peccati facit quod legitur 1. ad Corint. 11. Quicunque manducauerit hunc panem, & biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. vbi dicit Gloss. id est, reus erit acsi Christum occideret. Si quis qui fidem haberet, sciret semel se Christum crucifixisse, ipse vellet nudis pedibus per totum mundum toto tempore vitæ suæ pœnitentiam agere: quid ergo debent etiam facere illi qui toties commiserunt peccatum simile illi peccato? Item dicit Ambros. Qui indignè Christum sumit, idem est acsi interficiat. Talis iterum Christum crucifigit: iuxta illud ad Heb. 6. Rursum crucifigentes filium Dei, & ostentui habentes. Ipsi quantum in se est, Christum iterum crucifigunt eum ostentui habentes. Et est, derisioni. Illudunt enim ei dum simulant se eū adorare, quod in veritate inhonorant. Vnde potest Christus dicere de eis, quod super dolorem vulnerum suorum ei addiderunt. Tales quantum in se est, corpus Christi polluunt. Vnde Mala. 1. Dicit Dominus exercituum: ad vos, ô sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, In quo despeximus nomen tuum? Et subditur: Offertis super altare meum panem pollutum. Vbi dicit Gl. Panem, id est corpus Christi polluit, qui indignus accedit ad altare, & ad mensam Domini. Talis sordidus, & excommunicatus corpus Christi osculatur. De excommunicatione eius 1. ad Corinth. vlti. Si quis non amat dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema. Aliud verò pertinet quod dicit quidam sanctus indignè conficienti: Quomodo labiis illis oscularis filium Virginis, quibus osculatus es labia meretricis? ¶ Attendere deberet talis etiam formam verborum, qua Christus admonet eum, vt aduertat hoc esse corpus suum quod sic contrectat. Hoc, inquit, est corpus meum, &c. per quod os tuum fœtidum aperis, quod quum sis fera pessima deuorare præsumis. Et idolothitum facis, quia cani vel porco ponis. In cuius faciem expuis, quando in lutum platearum proicis. Ad primum potest referri quod legitur in Psalm. Os peccatoris, & os dolosi super me apertum est. Hoc verè potest dicere Christus, quando indignè conficiens os aperit ad susci-

dum eum. Ad secundum potest referri quod dicit Iacob Genesis 37. Fera pessima comedit eum. Tertiò, de corpore Christi idolothitum facit, qui ex cupiditate celebrare præsumit. Cani vel porco apponit illud, qui illud assumit, quum porcus sit per luxuriam, imò porco immundior, vel canis per detractionem. Vnde videtur dicere illud quod dicit Goliath ad Dauid, 1. Regum 22. Veni, inquit, ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli & bestiis terræ: cum ipse sit volatile cæli per superbiam, & bestia terræ per cupiditatem & auaritiam. Ad duo verò vltima pertinet quod dicit quidam sanctus: Sacerdos luxuria inquinatus iuxta filium Virginis ponit idôlum Veneris. Et dum sanctam faciem benedicit, qua in faciem eius spuit, dum sumit filium Dei, quasi in lutum platearum proiicit. Cū de Sarracenis dicatur, Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, &c. De indignè conficientibus potest amplius dici: scilicet quòd polluerunt filium sanctum suum. Ad magnitudinem etiam contumeliæ facit hoc, quòd indignè conficientes Deo contumeliam inferunt, quasi coram curia sua congregata. Adest enim ibi Deus, adsunt homines & angeli. Vnde Gregor. Quis fidelium dubium possit habere in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, atque in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi? Ad magnitudinem etiam contumeliæ facit hoc, ꝙ tales inferunt Deo contumeliam in propria domo eius. Vnde Ieremiæ 11. Quid est quòd dilectus meus in domo mea facit scelera multa? ¶ Præter prædicta sunt quatuor quæ faciunt ad detestationem huius peccati. ¶ Primum est, magna ingratitudo quæ est ibi. Venit enim diuina maiestas visitare hominē in sacramento altaris, & hoc cum plenitudine charismatum. Vnde Eucharistia vocatur sacramentū istud, & miser homo non timet cōtumeliam ei inferre, quē pro posse suo debuit honorare. Satis admirari possumus in hac parte bonitatē diuinā & pertinacitatem humanam. Quid est homo (ait Dauid) quia magnificas eum: aut filius hominis, quia visitas eum? Etiam latrones illis ad quorum mensam comederunt, seruant fidem: per annum inuersitatem humanam. Quid est homo (ait Dauid) quia magnificas eum: aut filius hominis, quia visitas eum? Etiam latrones illis digne verè conficiens vel communicans, in ipsa mensa ad quam cum Domino comedit, ei contumeliam facit. Vnde bene potest dici de domino illud Eccles. 29. Pascet & potabit ingratos, & adhuc amara audiet. Ad magnitudinem ingratitudinis facit hoc, quòd in sacramento illo mors domini figuratur. Vnde 1. ad Corinth. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis. Magna verò ingratitu-

do est, aliquam ei contumeliam inferre quem recordatur mortuum pro suo amore. ¶Secundo facit ad detestationem huius peccati hoc, quòd indignè conficientes vel communicantes, infeliciores videntur esse cæteris peccatoribus. Ipsum enim sumptum bonum eis est noxiũ, & ex ipsa vita moriuntur, & ex ipso antidoto incurrunt infirmitatem ad mortẽ. Quis locus curationi, quando quod debuit curare hominem, ipsum interfecit? Vnde in libro Prosperi: Sacramentum summæ pietatis sibi in iudicium sumit indignus. Bene esse non potest male accipienti quod bonum est. ¶Tertiò facit ad detestationem huius peccati, pena quam dominus accipit etiam in præsenti de indignè sumentibus corpus Christi. Vnde 1. Corinth. 11. postquam dixit Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, subdidit: Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Et exponit Gl. Infirmi febribus, imbecilles languoribus valetudinibus, & infirmitatibus, & dormiunt morte corporali. Legitur etiam in libro Paschasij, quòd quicunque indignè communicat, nisi bonitas Christi, cuius iudicio omnia pendent, gladium suspenderet, & temporalem iudicem, vt pœniteant remitteret, ab angelis ad hoc positis perimeretur. Nec mirum. Si enim pro morte Christi gens Iudæorum destrui debuit, & peccatum indignè conficientium simile est peccato eorum, qui crucifixerunt Christum, sicut prius ostensum est: iustissimè possunt tales à domino interfici. ¶Vltimò faciunt ad detestationẽ huius peccati diuersa exempla. Et de multis pauca ponamus. Ioannes Baptista in vtero matris sanctificatus, à pueritia in eremo consecratus, & inuitatus à domino, timuit tangere verticem dominum ipsis angelis reuerendum & tremendum. Vnde cantat ecclesia de eo: Baptista contremuit, & non audet tangere sanctum Dei vertice: sed clamat cum tremore, Sanctifica me Saluator. Quomodo ergo aliquis immundus non timet sumere totum corpus Christi iam glorificatum? Item beata Magdalena quæ tanto amore uiebat, non est permissa tangere pedes domini, eò quòd nondum deret Filium æqualem esse Patri. Item beatus Marcus sibi addidit pollicem, vt reprobus esset sacerdotio: tantum reuereb Dominicum corpus conficere. Et quidam senior inter eremi cùm ab illis eligeretur in sacerdotem, & ab episcopo Ægyp dinatus esset, ait: Ego licet sim sacerdos, in vita tamen mea conficiam. Legitur etiam 2. Regum sexto, de Oza, quòd bobus recalcitrantibus arca declinaretur, ipse extendit ma

suam, & tenuit eam. Et iratus indignatione dominus contra Ozan percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi. Tradunt Hebræi, quòd ea nocte dormierat cum vxore sua. Si Oza interfectus est à domino, quia præsumpsit tangere arcam quæ erat figura Dominici corporis, cum ea nocte iacuisset cum propria vxore: quid meretur ille qui iacuit cũ sua concubina, & tamen ipsum verum corpus Domini tenere vel sumere præsumit? Item legitur 1. Reg. 6. quòd Bethsamitæ percussi sunt à Domino, eò quòd vidissent arcam Domini: & percussi sunt LXX. viri, & quinque millia plebis. Si tot homines percussi sunt, quia attentauerunt circa arcam Domini, quod eis erat prohibitum, scilicet videre arcam Domini nudam: quid merentur illi qui attrectant aliquid circa corpus Domini, quod eis prohibitum est? Præterea sancta Maria Ægyptiaca pœnitentiam agens in deserto, semel tantum hoc sacramentum accepit à Zosyma eremita loci illius. Et licet singulis diebus fuerit lachrymata, tamen tunc amplius quasi vsque ad effusionem oculorum. Legitur etiam Mat. 8. quòd centurio dixit domino dicenti sibi, Ego veniam & curabo puerũ tuũ. Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Et Luc. 5. legitur, ꝙ Petrus ait Domino, Exi à me, quia peccator sum. Legitur etiam Exo. 3. quum dominus apparuisset in rubo Moysi, ꝙ dixit ei Dominus: Solue calciamentum de pede tuo: locus enim in quo stas, terra sancta est. Sic cùm dominus adest in sacramento, omne morticinium remouendum est.

¶ *De peccato eorum qui non curant communicare.*

POST peccatum eorum qui indignè conficiunt vel cõmunicant, dicendum est de duobus peccatis quæ videntur esse annexa huic peccato, scilicet de peccato eorum qui nunquam curãt cõmunicare, & de peccato eorũ, qui postquam Dominum in sacramento altaris sumpserunt, per peccatum mortale eũ à se expellunt. ¶Ad detestationẽ verò primi peccati triplex testimonium scripturæ potest adduci. ¶Primum est in veteri lege, Num. 9. vbi sic legitur: Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via procul, faciat phase Domino mense secundo. Si autem mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis. Immundus super anima dicebatur ille, qui immundus erat ex contactu mortui. ¶Secundũ testimoniũ est in noua lege, Ioan. 6. vbi dicit dominus: Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & bibetis eius sanguinem, nõ habebitis vitam in vobis. ¶Tertiũ testimoniũ est, cõstitutio ecclesiæ,

quæ dicit, quòd quilibet postquam ad annos discretionis peruenerit, saltem semel in anno confiteatur omnia peccata sua, & suscipiat reuerenter ad minus in pascha Eucharistiæ sacramentum: nisi fortè de consilio proprij sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. Alioquin viuens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Multum autem dolere debet ille qui non cõmunicaret saltem semel in anno. ¶ Primò, debet esse causa doloris hoc, quòd Dominum multum offendit. Non enim parum offenditur Deus, quando à suis negatur ei hospitiũ semel in anno, in quibus deberet habere continuè hospitium. Quòd autẽ Deus multũ ex hoc offendatur, potest ostẽdi ex hoc, quod legitur Luc. 10. de his qui non essent recepturi discipulos eius: Dico vobis quòd Sodomis in die illa remissius erit, quàm illi ciuitati quæ non receperit vos. Si tantum offenditur Deus quando discipuli eius non suscipiuntur: quantum credendus est offendi, quando sibiipsi hospitium negatur, & præcipuè quia à suis? Vnde Ioan. 1. In propria venit, & sui eũ non receperunt. Quo domino hospitium negant: timere possunt ne dicatur eis illud verbum quod legitur Matthæi 25. Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Et subditur causa: Hospes eram, & non collegistis me. Timere etiam possunt ne accidat eis sicut Sodomitis, qui inhospitales erant quos ignis & sulphur succendit. Vnde Origenes, Domos hospitales ingressi sunt angeli: scilicet domum Abraham & Lot. Domos verò hospitibus clausis ignis & sulphur succendit. Talem vindictam volebant Iacobus & Ioannes sumere de Samaritanis, qui nuntios Christi non susceperant: vt legitur Luc. 9. Vnde dixerunt domino, Vis dicamus vt ignis de cælo descendat, & consumat illos? Secundo debent dolere de indignitate sua. Sunt quidã qui sibi applaudunt, dicentes quòd melius est corpus Christi non sumere, quàm indignè sumere. Quibus dicimus quòd in hoc bene faciunt quòd non indignè sumunt: quia non est bonum sumere indignè panem filiorũ, imò panem angelorum & dare canibus: tamen dolere debent, quia se canes inuenium qui filij Dei esse deberent. Dolere etiam deberent de hoc, quod vident se esse vasa mortis & iræ, & receptacula immunditiæ, quæ deberent esse receptacula gratiæ & vitæ. De homine qui indifferenter sordes peccatorum in se recipit, Deo verò locum parare negligit, potest dici illud verbum quod legitur Osee 9. Israël factus est quasi immũdũ in nationibus. Israël est Christianus, qui per fidem Deum videt. Verus Christianus deberet dicere illud verbum Dauid: Si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, donec inueniam locum domino: supple, male mihi accidat. ¶ Tertiò, potest dolere qui saltem semel in anno non communicat, quia non facit quod dominus præcepit discipulis suis, quum recessurus erat ab eis, volens illud infigi maximè memoriæ eorum. Hoc facite, inquit, in meam cõmemorationem. Hoc quasi signum sui amoris reliquit dominus ecclesiæ suæ. Et væ illi qui non habet memoriale à tanto amico sibi relictum. ¶ Quarto dolere posset talis de diaboli præsentia. Vbi enim est Dei absentia, adest diaboli præsentia. ¶ Quintò, dolere posset: quia fraudatur vtilitate quæ consequitur ex aduentu domini in aliquod hospitiũ. Non enim est aduẽtus eius absque magna vtilitate. Vnde cùm Zachæus dominũ in hospitio suo recepisset, audiuit à domino: Hodie salus huic domui facta est: vt legitur Lucæ 19. Raab etiã saluata est, quia suscepit nũtios domini: vt legitur Iosue 6. Et viduæ quæ Eliã suscepit, nõ defecit farina, & oleũ non est diminutũ: vt legitur 3. Regũ 17. Si adeò vtile fuit seruos Dei in hospitio recepisse, quàm vtile est credendũ esse ipsum dominũ in hospitio suo recepisse: non modica securitas est talẽ sociũ habere. Vnde Dauid: Si ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo: quoniam tu mecũ es. & iterũ: Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Et subditur: Si consistant aduersum me castra, nõ timebit cor meũ. De illo vero qui dominũ non suscipit, potest intelligi illud quod legitur Eccle. 4. Væ soli: quia si ceciderit, nõ habet subleuantẽ se. Talis cum mensa altaris indignus sit, etiã est indignus mensa cælesti. Et cùm domino hospitiũ negauerit, merito ianua cælestis regni ei clausa erit.

¶ *De peccato illorum qui per mortale peccatum Deum à se expellunt.*

HVIVS peccati magnitudo potest ostẽdi multipliciter. ¶ Primò, per hoc, quòd turpius eiicitur quàm nõ admittitur hospes. Si enim peccatũ tantum est domino negare hospitiũ, manifestũ est magnũ valde esse peccatum iam susceptum expellere ab hospitio suo. ¶ Secũdo potest ostendi magnitudo huius peccati per hoc, quòd talis similis est Iudæ, qui postquam ad mensam dominum comederat, eũ tradidit hostibus suis. Etiã latrones timent cõtumeliã inferre eis ad quorum mensam comederunt. De tali potest intelligi illud quod legitur Eccle. 6. Est amicus socius mensæ, & non permanet in die necessitatis. Tales etiam similes sunt Iudæis, qui in die qui dicitur Dominica in Ramis palmarũ, Chri-

stum honorificè susceperunt,& pòst eum eiecerunt cum contu-
melia magna.Sunt aliqui qui septem septimanis Christo hospi-
tium parant:postquā verò susceperunt eum, nullā reuerentiam
sibi exhibent,imò tot contumelias ei inferunt, quòd eū oporte-
inde exire.Venturo magnam reuerentiam exhibēt,præsenti ve-
rò nullā. Vnde Bern.ad mirans dicit:Quid minus præsenti quàm
venturo debetur ? Quid minus reuerentiæ tempus Resurre-
ctionis exigit,quàm Passionis? Tales etiam ad modum Iudæorū
Barrabam latronem filio Dei præponunt, dum filium Dei à se
expellunt,& infernalem latronē introducunt. Expellunt eū qui
eos protegebat,& introducūt eū qui eos iugulet.Vnde Io.10.Fur
nō venit nisi vt furetur,& mactet,& perdat. Quantū autē displi-
ceat Deo tale peccatū,innuit dominus in Psal.vbi dicit: Si inimi-
cus meus maledixisset mihi,sustinuissem vtique. Tu verò homo
vnanimis dux meus & notus meus,qui simul mecū dulces capie-
bas cibos &c.Et subditur:Veniat mors super illos, & descēdant
infernū viuētes.Et alibi:Homo pacis meæ in quo speraui,q̄ edeba-
bat panes meos&c.Et subditur:Dñe,resuscita me,&retribuā eis.

De vitio proprietatis in religiosis. CAP. XII.

AD huius peccati detestationē possumus ponere XII.exem-
pla.Primum est Gen.19.vbi legitur,quòd vxor Loth pòst
respiciens,versa est in statuam salis. Vir religiosus tunc pòst
respicit,quando diuitias huius mundi quas reliquit,concupiscit.
Statua corpus est sine spiritu. Vnde claustralis tunc statua effi-
citur,quando solo corpore in claustro conuersatur,corde verò in
mundo.Statua similitudinem habet hominis , & non est homo,
sic talis similitudinem monachi habet & monachus non est. No-
tabile enim est,q̄ vxor Loth versa est in statuam salis,quia talis
monachus exemplo suo condit alios,sed sibi vtilis non est. Hoc
exemplum reuocat dominus ad memoriam,Lucæ 16.dicēs:Me-
mores estote vxoris Loth.Ad idem pertinet illud Lucæ 9. Nemo
mo mittens manum suam ad aratrum &c. Secundum exemplum
est Geneseos 31. vbi legitur Rachel furatam fuisse idola Labā.
Laban,candidatio interpretatur,siue candidus:& significat mul-
dum qui habet quendam candorem exterius. Rachel verò vi-
rum contemplatiuum figurat.Rachel verò idòla furatur Labā
quando claustralis diuitias huius mundi amplectitur amore.
Notabile verò est in hoc exemplo, q̄ Iacob tanta pœna indica-
uit esse puniendum qui hoc fecisset.Ait enim:apud quemcunque
inueneris deos tuos,necetur corā fratribus nostris. Notabiliter
etiam diuitiæ quas claustrales illicitè possident,idòla vocātur,

quia inutiles sunt eis, sicut aurum & argentum idolorum inuti-
lia idololatris:& quia fidem & spem & amorem quę in solo Deo
ponere deberent,in pecunia ponunt. Vnde nec verā fidem, nec
veram spem,nec veram charitatem habent.Primum patet ex eo
quod ait Augustinus.Qui veram fidem habet de Deo , non cupit in
his miseriis fieri diues.Nō enim plus est mūdus,quàm Deus.De
spe verò idem potest ostendi:quia dicit Augustinus. q̄ de Deo despe-
rare,est spem in creaturis posuisse.Proprietarius fiduciam quam
deberet habere in Deo,ponit in nummo, & dum in diuitiis suis
confidit, fallunt eum diuitiæ, & ipse corruit in infernum. iuxta
illud Prouerbiorum 11. Qui confidit in diuitiis,corruet. Amorē
etiam qui in solo Deo ponendus est, ponunt proprietarij in pe-
cunia : amant enim pecuniam plus quàm Deum. Quod patet
ex hoc ,quòd cùm ipsi non possint simul habere Deum & pecu-
niam, potius eligunt amittere Deum, quàm pecuniam non ha-
bere. Sed illud deus est vniuscuiusque quod præ cæteris diligit,
sicut superius ostensum est.Pecunia igitur proprietarij deus eius
est. Vnde ipse idololatra est. ¶ Tertium exemplum est Exod.
16. vbi Deus qui prouisor erat filiorum Israël , noluit quòd ali-
quis eorum de manna in mane relinqueret. Qui non audierunt
eum,sed reseruauerunt inde:& quod reseruauerunt, cōputruit.
¶ Quartum exemplum est Iosue 7. vbi legitur quòd cùm pro-
hibuisset dominus ne quis acciperet sibi de anathemate Iericho,
Achor tamen tulit inde chlamydem coccineam , regulam au-
ream,& ducentos sicelos argenti.Iericho, quod interpretatur lu-
na,significat mundum istum qui mutabilis est ad modum lunę,
qui anathema debet esse viris claustralibus. Sed aliqui sunt qui
anathema istud cum Achor furantur , dum pecuniam sibi pro-
hibitā habere volunt.In illis verò tribus quæ furatus est Achor,
tres species proprietatis figurantur. In regula aurea intelligitur
proprietas interior:scilicet proprietas sensus & voluntatis.In au-
ro autem propter splendorem, sapientia solet intelligi. Regula
verò quæ à regendo dicitur , bene pertinet ad voluntatem quæ
habet regimen & imperium in homine. In pallio verò coccineo
intelligitur conuersatio exterior habens peccarum. In coccino
enim peccatū intelligitur,sicut & in principio Esaię,vbi dicitur,
Si fuerint peccata vestra vt coccinum , quasi nix dealbabuntur.
Pallium coccineum furatur claustralis , quando aliquid retinet
de exteriori conuersatione seculari,vel in habitu,vel in tonsura,
vel in aliquo tali. Notabiliter autem dicitur ibi pallium valde
bonum : multis enim claustralibus videtur val debona conuer-

satio secularis. Hoc est palliũ illud de quo legitur Cant. 5. Tulerunt palliũ meũ custodes murorum. ¶ Quinque autẽ notabilia sunt in isto exẽplo. ¶ Primũ est hoc, q̃ dominus dixit filiis Israël: Non ero, inquit, vltrà vobiscũ, donec cõteratis eũ qui huius sceleris reus est. In quo innuitur, q̃ dominus cõtra totã vnã abbatiã iratus est, quãdoque propter vnum proprietariũ quẽ tolerãt. Vnde omnes qui sunt in aliqua tali religione, deberent persequi illum quẽ sciunt proprietarium esse. ¶ Secundũ verò vbi legitur Anathema in medio tui Israël est, non poteris stare coram hostibus tuis, donec deleatur ex te qui cõtaminatus est hoc scelere. In quo verè innuitur, q̃ propter illud peccatũ potestatem habet diabolus præcipitãdi claustrales in multa alia peccata. ¶ Tertiũ notabile est, q̃ ea quæ Achor furatus est, nõ proficiunt illi: nullũ lucrum inde habuit, nisi peccatũ & pœnã peccati. In terra ea abscondit, & cùm moriturus erat, ea manifestauit. Sic proprietarij sæpe aliud lucrum nõ habẽt de pecunia sua, nisi q̃ custodes sunt dum viuunt, & in morte manifestant eam. ¶ Quartum notabile etiam est quod legitur Iosue dixisse ibi: Quia turbasti nos exturbet te dominus in die hac. In quo innuitur q̃ propter turbationes proprietarij nõ debent diminuiquin ei propriũ auferatur. ¶ Quintum notabile est quod subditur, Lapidauitq; eum omnis Israël & cũcta quæ illius erãt igne cõsumpta sunt. In igne intelliguntur magnus zelus quem debẽt habere claustrales cõtra illud vitium. In lapidibus verò intelliguntur increpationes quibus lapidãdus est proprietarius. ¶ Quintũ exẽplum est de Iuda qui in congregatione domini loculos habuit, qui figurã tenet proprietariorũ. Notabile verò est in isto exẽplo, q̃ amor lucri occasio fuit Iudæ tot & tantorũ malorum, & tamẽ paruam vel nullã vtilitatẽ inde habuit. Pœnitentia enim ductus retulit xxx. argenteos. Matt. 27. nunquã comedit vel bibit inde. Sic proprietarij multa mala cõmittunt, vt pecuniam habeant, quandoque nullã vtilitatẽ inde cõsequuntur. ¶ Sextum exemplum est 1. Reg. 15. vbi legitur q̃ dominus prohibuit Saul, ne ex rebus Amalech aliquid concuperet: & non obediuit Saul, imò reseruata sunt meliora de ouibus, & armẽtis, & adeò offensus est dominus, vt hac de causã regnũ abstulerit Sauli. Septimum exemplum est 2. Machabæorum vbi legitur quòd Iudas Machabæus venit quadam die vt tolleret corpora quorundam de suis qui prostrati fuerãt in bello, volens ponere ea in sepulchris paternis, & inuenerunt sub tunicis interfectorum denarios idolorum, à quibus lex prohibet Iudæos, & omnibus manifestũ factũ est ob hanc causam corruisse

eos. Si enim in talibus qui professionem non promiserant, Deus morte puniuit hos, quòd acceperant denarios sibi à lege prohibitos: quanta pœna dignum est puniri peccatum tale in viris perfectis? ¶ Octauum exemplum est, in Anania & Saphira vxore eius, qui fuerunt primi proprietarij in Nouo testamento: qui propter peccatum istud, morte subita interfecti sunt, vt legitur Actuũ 5. ¶ Nonum exemplum est, in Vitis patrum, de quodam hortulano, qui omnia dabat in eleemosynas quæ de suo labore acquirebat, præter tenuem victum. Tandem suggestum est in inspiratione spiritus maligni, vt colligeret aliquam pecuniã, quam cùm senex esset vel ægrotaret, posset expendere, & fecit sic. Contigit autem eum infirmari in pede, & expendit quicquid habebat in medicos: & curari non potuit, & tandem vnus de expertis medicis dixit eum non posse curari nisi per pedis abscissionem. Et cùm die sequenti medicus allaturus esset instrumenta ad pedẽ abscinden dum, nocte præcedente hortulanus ille pœnituit de nummis collectis quòd non dederat pauperibus. Et astitit ei statim angelus domini, dicens: Vbi sunt nummi quos collegisti, & vbi est spes quam tractasti? Qui cùm pœniteret & misericordiam peteret, angelus domini tetigit pedem eius, & sanatus est. In mane verò medicus veniens, inuenit hortulanum in agro sanatum atque operantem, & glorificauit Deum. ¶ Decimum exemplum est, de quodam fratre, qui renuntians seculo, & sua dans pauperibus, venit ad abbatem Antonium, quędam tamen sibi retinuit. Quod cùm comperisset Antonius, dixit: Si vis monachus esse, vade, compara tibi carnes, & impone corpori tuo nudo, & veni sic ad me. Qui cùm hoc fecisset, tam canes quàm aues corpus suum propter carnem rapiendam dentibus & vnguibus dilacerauerũt, & sic dilaceratus venit ad Antonium. Cui Antonius: Quicunque renuntiauerit seculo, & vult adhuc habere pecuniam, sic à dæmonibus laceratur. ¶ Vndecimum exemplum est, de quodã fratre qui reseruauit sibi duos aureos. Et cùm in infirmitate pœnitẽtia ductus manifestasset hoc Gregorio: tamen Gregorius noluit parcere ei, quin & infirmum & mortuum puniret. Subtraxit enim ei in infirmitate visitationem fratrum, & post mortẽ voluit eum multis diebus carere Christiana sepultura: exemplo suo docens prælatos ecclesię quantũ zelum debeant habere contra peccatũ istud. ¶ Duodecimum exemplum est in Vitis patrũ, de quodam qui erat eremita in Ægypto, cui diabolus ostendit magnum thesaurum sub terra, qui fuerat Pharaonis. Cui ipse respondit: Pecunia tua tecum sit in perditionem. In hoc quòd diabolus

bolus thesaurum illum ostendebat eremitæ, satis apparet quantum diabolo placeat viros perfectos habere diuitias, & per consequens quantum Deo displiceat.

¶ De duodecim stultitijs religiosi proprietarijs.

SECVNDO possunt valere ad detestationem huius peccati xii. stultitiæ, quibus ostenditur laborare proprietarius. ¶ Prima est, quòd ipse est valde fatuus mercator. Similis enim est homini negotiatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta autem vna pretiosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eã. Deinde margaritam illã conculcat, & pro nihilo dat. Margarita ista Deus est, pro quo claustralis quidem mundũ dedit totum, & etiã seipsum. Quam quasi pro nihilo dat, cùm pro aliqua re temporali Deum amittit. Ad cumulũ etiã huius stultitiæ accedit quòd eãdem margaritam quotidie non cessat emere, scilicet ieiuniis, vigiliis, & orationibus, cùm tamen in tali statu nulo pretio possit eam emere. ¶ Secunda stultitia est, quòd cùm dominus eripuerit eum de naufragio huius seculi, & quasi collocauerit eum in loco tuto, sed licet in naui religionis, ipse furtiuè aliquantulum de mari in naui ponit, in quo ipse submergitur. Vnde accidit ei sicut barbari dixerunt accidisse Paulo, Actuum 28. cùm euasisset de naufragio & adhæsisset vipera manui eius. Vtique homicida est homo hic dixerunt ipsi, qui cùm euaserit de mari, vltio non sinit eum viuere. ¶ Tertia stultitia est, quòd cùm ipse iam mortuus sit tamen timet fame mori. Et cum solam vitam æternam deberet quærere, à mortuis enim sola vita æterna quæritur, ipse tamen adeò cupidus est, vt cupiditate acquirendi fur efficiatur. Si similis magistro est auaritia, sicut Seneca dicit, quid dicendum est de auaritia mortui? religiosi dicuntur mundo mortui. De morte ista legitur ad Colos. 3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. De morte etiam ista legitur in Vitis patrũ, quòd cùm quidam senator reliquisset abbati Arsenio magnam hæreditatem, & delatum fuisset ad eum testamentum, ipse ait: Ego prius mortuus sum, quàm ille. Ipse autem modo mortuus est quomodo me fecit hæredem? Et remisit testamentum nihil habens. ¶ Quarta stultitia est, quòd ipse in loco saluationis sibi fecit locum perditionis. Vnde quodam speciali modo potest dici filius perditionis, sicut Iudas. Vnde dominus: Nemo ex vobis periit nisi filius perditionis. Bene fuit Iudas filius perditionis qui cum Saluatore & societate in qua soli saluandi erant, se perdidit. ¶ Quinta stultitia est, quòd videtur habere magnam voluntatem quòd furetur, & per consequens quòd suspendatur.

¶ qui vendidit sua, & dedit pauperibus, vt in monasterio furare-tur alienа. ¶ Sexta stultitia est, quòd locum illum quem declinant homines scelerati ne scelera sua ibi committant, ipse intrat, vt ibi malam vitam ducat. Et qui cauebat sibi à furto in seculo, non timet furari in loco sancto. De quo videtur admirari dominus Ierem. 9. dicens: Quid est quòd facit dilectus meus in domo mea scelera multa? ¶ Septima stultitia est, quòd cùm dominus ab eo remouerit iram suam, ipse tamen conatur ad hoc quòd habeat aliquid de ipsa. Ira domini effusa est super abundantiam diuitiarum. Vnde legitur Apocalyp. 16. quod angelus effudit phialam suam in illud flumen magnum Euphratem. A qua ira liberatur qui mundo renuntiat. Sed proprietarius de ira ista vult habere, dum diuitias vult possidere. Vnde Iaco. vltimo dicitur de diuitibus: Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus. Ibi dicit gloss. Nescit miser thesaurum iræ cum thesauro peccuniæ pariter cumulari. ¶ Octaua stultitia est, quòd ipse aliena colligit, & propria negligit. De his quæ propria esse non possunt, vult facere sibi proprium, & iusto Dei iudicio amittit omne proprium. Aliena sunt nobis temporalia ista, sicut ostensum est prius. Quia secundum Ambros. non sunt hominis bona, que ferre secum nõ valet. Nec possunt esse propria, cùm sint separabilia, quæ dum proprietarius colligit, & ibi appropriare quærit, ipse omne proprium amittit. ¶ Primò amittit proprium Dei, cuius propriũ est misereri & parcere: quia iuxta verbum beati Bern. monacho habenti proprium negabit dominus proprium suum. Nec est parua amissio ista, homini peccatori. ¶ Secundo amittit seipsum: quia sicut communiter dicitur, & verum est, Monachus habens de proprio obolum, non valet obolum. ¶ Tertiò, amittit bona interiora, quæ propriè possunt dici nostra: sicut ostensum est prius. ¶ Quartò, amittit bona æterna, quæ proprie possunt dici nostra, quia non possunt homini auferri. ¶ Nona stultitia est, quòd ipse sua facit pretiosiora seipso. Cùm enim se Deo dederit, sua tamen dare non vult, cùm tamen se dando de iure sua dederit. Vnde non debet se excusare per ignorantiam. Ius enim naturale videtur dictare ei quòd cùm ipsum à se alienauerit, nihil proprium habere possit: Proprietarius quod plus est pro eo quod minus est amittit. Cùm enim se ipsum Deo dederit, non est ista oblatio Deo accepta, pro illa modica pecunia quam retinet. Ex quo se Deo dedit, ipse deberet prouidentiam sui ei relinquere. ¶ Decima stultitia est, quòd ipse de scala cæli facit scalã inferni. Imò cum iam multos gradus in scala cæli ascenderit, &

ipse

ipse vult præcipitare se,& quasi saltare in infernum. Scala cęli est crux religionis, de qua scala legitur Genes. 28. quòd Iacob vidit in somnis scalam stantem super terram, & cacumen eius tangens cælum. ¶ Vndecima stultitia est, quòd ipse de porta cæli sibi portam inferni. Porta cæli religio est. vnde Genes. 28. Non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. ¶ Duodecima stultitia est, quòd ipse laqueum cupiditatis in quo tot homines ad infernale patibulum trahuntur, qui iam contritus erat, reparat, & molâ asinariam à collo suo amotam iterum sibi alligat. Huius quei figura fuit laqueus quo Iudas se suspendit. Idem enim quod ad literam in Iuda accidit, qui dum sitiuit lucrum, peruenit ad laqueum, & suspensus crepuit medius, & effusa sunt viscera eius. Spiritualiter accidit in proprietario. Amor enim pecuniæ laqueus est, quo occasionaliter suspenderetur in inferno. Euiscerato quodammodo, dum proiicit interiora bona, & dum per terrenorum solicitudinem cor eius quasi exit ab eo. iuxta illud Eccle. 10. Proiecit enim in vita intima sua.

¶ De multiplici peruersitate huius peccati proprietatis religiosorum.

TERTIO potest valere ad detestationem huius peccati ma- tiplex peruersitas, quam facit peccatũ hoc in ecclesia Dei. ¶ Prima peruersitas est, quia illam partem ecclesiæ quæ deberet esse prior cælo, facit hoc peccatum adhærere terræ. Illũ etiã qui deberet esse stella fixa in firmamento cæli, & lucere hominibus bono exemplo, facit hoc peccatum fixũ in limo profundi. Astra cæli ri clausirales sunt. Vnde Iob 38. Cùm me laudarẽt simul astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Hæ stellæ cadunt de cælo terrã per peccatum proprietatis, vt videatur esse impletum illud Apocal. 6. Stellę cęli ceciderunt super terram. Hoc peccatũ etiam facit vt in cælo ecclesiæ, quod est religio, in quo deberent esse angeli Dei, sint talpæ, imò etiã diaboli. Diabolus est, qui malus est inter bonos. Ioan. 6. Ego vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est. Hoc etiam peccatum facit illos qui aues deberent esse, ciuis terrena ista repere. vnde etiam immundi sunt, iuxta illud Deuteron. 14. Omne quod reptat & pennulas habet, immundum erit. Proprietarij in clausiris sunt velut vespertiliones inter aues. Sicut vespertiliones in ecclesiis habitant, sic & clerici. Non tam ad idem. Clerici enim sunt ad Deum glorificandum, sed vespertiliones sunt ibi ad oleum bibendum. Sic proprietarij licet cum eis qui Deum glorificant: ipsi tamẽ Deum suã malã blasphemant vita. In illis impletur quod legitur Iob 1. quòd quum adessent filij Dei coram domino, affuit inter eos etiam satan. Pro-

prietarius inter bonos clausirales est velut satan inter filios Dei.

¶ De multiplici malo quod est in proprietario.

QVARTO potest valere ad detestationẽ huius peccati, si mala colligantur simul quæ sunt in proprietario. ¶ Norandum ergo est, quòd proprietarius fur est. Vnde domus proprietarij plena iudicio scripturę. est velut spelunca latronum. Et de mera iustitia posset eos dominus omnes interficere subitanea morte, sicut Ananiam & Saphiram interfecit. Vel posset ignẽ mittere de cęlo, qui omnes cõbureret. Nec solum fur est, sed etiã sæpe sacrilegus: quia furtum suum sæpe in loco sacro cõmittit, quia res pauperibus consecratas furatur. Secundũ Hieronymũ, pars sacrilegij est, res pauperum non dare pauperibus. Eadem ratione res pauperum furari, sibi sacrilegium erit. Est etiã proprietarius proditor, & in Deum & in proximum. In Deum, quia eum peccando impugnat, quum expensis eius viuat. In proximum, quia fratres suos defraudat bonis illis quæ sibi appropriat. ¶ Quartò, proprietarius voti trãsgressor est. Voluntariam enim paupertatem nouit, quam modo à se repellit. ¶ Est etiã apostata. Si enim apostata iudicatur qui habitum deponit, quum paupertas voluntaria magis sit de substantia religionis quàm habitus, proprietarius potius iudicandus erit apostata, qui volũtariam paupertatem à se expellit. Iudicio etiam scripturæ homicida est: quia ea inutiliter custodit, quæ pauperum deberent esse, & quæ pauperes deberent comedere. Vnde Ecclesiast. 34. Panis egentium vita pauperum, qui defraudat illum, homo sanguinis est. ¶ Est etiam proprietarius idolatra: vt ostẽsum est prius. Et est hypocrita. Sub habitu enim claustrali animum gerit secularem. Extrà videtur aureus, intus autem luteus est. ¶ Est etiam mendax Spiritui sancto. Vnde Act. 5. dixit Petrus Ananiæ: Cur tentauit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? Et subditur: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Alia litera habet: Cur impleuit satanas cor tuum? Plenus enim fuit primus proprietarius satana. De iure etiam naturali videtur esse excommunicatus. Quũ enim ipse bona sua aliis non communicet, ipse indignus est communicare bonis aliorũ. Est etiam maledictus iudicio scripturæ: iuxta illud Ios. 6. Maledictus vir coram Deo qui reædificauerit Iericho. Frequenter enim indignè confitetur vel communicat proprietarius: quod quantum sit peccatum satis ostensum est prius. Præterea proprietarius peccat in Patrem, peccat in Filium, peccat in Spiritum sanctum. In Patrẽ peccat, dum de sua potentia dubitare videtur. Dum enim timet mori fame, si ea quæ vouit Deo seruauerit, videtur facto dicere illud

lud Psal. Nunquid & panem poterit nobis dare, aut parare mensam in deserto? In Filiũ peccat, dum sapientiã eius deridet, iuxta illud Prou. 15. Stultus deridet disciplinã patris sui. Sapientia Christi fuit, paupertatẽ diuitiis præponere, & molestias delitiis. Vnde ad Hebr. 12. legitur de ipso, q̃ proposito sibi gaudio sustinuit crucẽ. Super quẽ locum dicit Aug. Omnia terrena bona cõtemnenda mõstraret. Omnia mala terrena sustinuit quæ sustinẽda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur infelicitas. Et istã sapientiã deridet proprietarius. In Spiritũsanctum peccat, quia qui de bonitate Dei male sentit, dũ credit q̃ si seruierit Deo ad eius voluntatẽ, ipse debeat permittere eũ mori fame. Aliter etiã peccat cõtra Spiritũsanctum: quia facit cõtra charitatem quæ Spiritussanctus est, & quia mentitur Spiritui sancto, & sicut ostensum est prius.

¶ Quòd religio maximè persequi debeat hoc vitium.

Ad vltimum notandum est, quòd religio maximè deberet persequi vitium istud. Primo quia detrahit fundamentum religionis, quod est paupertas. Hoc fundamẽtum posuit filius Dei, docdo doctrinam à paupertate inchoauit, dicens, Mat. 5. Beati pauperes, &c. matrem etiã religionis iugulat & suffocat, quæ similiter est paupertas. Etiam pacem aufert, quæ totum bonum est prosperorum. ¶ Vnde super illud, Pax super Israël. dicit glossa, Verbo omne bonum dixit. Sene. Quietissimè viuerent homines si hæc duo pronomina tollerentur, meum & tuum

De auaritia scientiæ. CAP. XIIII.

VLtimo loco inter species auaritiæ quæ pertinent ad maiores ecclesiæ Dei, dicẽdum est de auaritia scientiæ, quæ videtur deterior esse quàm auaritia pecuniæ. ¶ Duodecim vero sunt per quæ potest ostẽdi, quòd valde detestabilis sit auaritia istius. ¶ Primũ est hoc, q̃ scriptura in multis locis monet, vt cõmunicemus scientiã nostram aliis. Prou. 5. sic legitur: Deriuẽtur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Eccles. iast. 11. Mane semina semen tuum, & in vespere non cesset manus tua. Et Eccles. 9. Quod habes in manu, ciba cæteros. In manu habet homo qui opere implet, vel quę habet ad manũ, vel in promptu. Talis enim multo amplius proficeret in docẽdo qui bene sciret ea quæ scit, & qui ea opere impleret. ¶ Secundum est, q̃ etiã natura cõsuetudo idẽ suadet nobis: quia sol & alia corpora luminosa mẽ suũ omnibus cõmunicant, quantũ virtus eorũ se extẽdit, nisi aliqua re interposita prohibeantur. Consuetudo etiam hab-

homines adinuicem lumen gratis communicent. Inauditum est lumen exhiberi venale. Et miser valde reputaretur, qui lumen candelæ suæ candelis aliorum nollet communicare. Cui similis est ille qui lumen sapientiæ non vult aliis communicare. ¶ Tertium est, quòd ille qui scientiam habet, potest esse largus de ea absque suo detrimẽto: qui diuitias terrenas habet, non est mirum si largus est de eis, quia eas largiri non potest, nisi eas definat possidere. Vnde Boët. in lib. Consol. O angustas inopésque diuitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet sine cæterorum paupertate non veniunt. In hoc habent præeminentiam spirituales diuitiæ, quòd in largitate non minuuntur, quum corporales vel imminuuntur, vel omnino desinunt haberi. Hoc etiam vnum est in quo attenditur similitudo spiritus nostri ad Deum: quia sicut ille bona sua largitur absque perditione vel detrimẽto, ita spiritus noster bona sua communicat absque detrimento. Est etiam quoddam bonum spirituale, scilicet summum bonũ, quod potest simul totum à multis haberi. Et quanto plus habetur, tanto ab eis melius habetur. ¶ Quartum est hoc, quòd dum scientia datur, non solùm nõ amittitur, imò etiam augetur, radicatur, & melioratur. Vnde Sapiens: Scientia distributa recipit incrementum, & auarum dedignatur posse florẽ: nisi publicetur, elabitur. Et Aug. in lib. de doctrina Christ. Omnis res quæ dando non deficit, dum habetur & non datur, nondum habetur quomodo habenda est. ¶ Quintum est hoc, quòd eleemosyna de ipsa facta valde pretiosa est, valde necessaria Deo & proximo. Vnde sicut valde miser reputandus esset ille qui in tẽpore in quo est magna caristia & fames, haberet thesaurum, qui diminui non posset, sed ex largitione semper creſceret, si pauperes permitteret mori fame, & eis non subueniret: sic valde miser est qui de sciemia sua auarus est. Quàm pretiosum donum sit scientia vel verbum diuinum, innuitur Zach. 9. vbi dicitur, Quid est bonum eius, & quid est pulchrum eius, nisi frumentum electorũ, & vinum germinans virgines? Frumentum electorum dicitur frumentum verbi diuini, quo electi ad regnum æternum vescuntur. Vnde quasi cibus regius est. Frumento materiali amplius vescuntur reprobi, quàm electi. Frumentum autem vocatur illa pars scripturę quę propter sui difficultatem fractione indiget: vinum autem germinans virgines, dicitur verbum diuinum, quod virginales, & castas generat affectiones. Et dicitur hoc ad differentiam vini materialis, quod luxuriosas reddit mentes. Vnde Prouer. 20. Luxuriosa res est vinum. Quàm vtilis sit eleemosyna ista proximo, insinuat Sen. dicens: Non minus pium est do-

cere animæ scientiam,quàm corpori dare escam.Et Aug.Non est magnum pascere ventres morituros: sed magnum est pascere animas in æternum victuras.Et Greg.Maius miraculum est verbo consolationis peccatorem conuertere, quàm carnem mortuam suscitare.Deo etiam honorificum est.Vnde Tobiæ 12. Opera Dei reuelare honorificum est. ¶ Sextum est, quòd ille qui largus est de scientia,benedicitur ab hominibus.Vnde Eccl.31.Splendidum in panibus benedicent labia iustorum.Et in futuro benedicetur à Deo,quum dicetur ei: Euge serue bone & fidelis, &c. Matth.25. ¶ Septimum est hoc, quòd scientia quæ est in homine auaro, est quasi perdita.Vnde Eccl.41.Sapientia abscondita & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtriusque? Et Hier.Bona abscondita in occlauso,quasi oppositiones epularum circumpositę sepulchro.Item Eccles.20.Melior est qui abscondit stultitiam suam,quàm qui abscondit sapientiam suam. Vnde bene dicitur sapientiam melius esse perditam in auaro, quàm pecuniam:quia pecuniam potest auarus in morte pauperibus erogare, quod de scientia tunc fieri non potest. ¶ Octauum est hoc,quòd non solum inutilis est scientia in homine auaro, imò etiam noxia est ei. Scaturit enim vermibus,sicut legitur Exod. 16. Vnus vermis procedens ex scientia. Vnde Apostolus 1.ad Cor.8. Scientia inflat. Aliis est inuidia, aliis indignatio.Vnde Eccl.1. In multa sapientia multa indignatio: qui addit scientiam,addit dolorē. ¶ Nonum est,quòd ad literam interdum auarus amittit in præsenti scientiam suam.Vnde Matt. 25.Omni habēti dabitur,& abūdabit,& ei qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo. Super quem locum,dicit Gl. Habenti studium verbi erogandi,dabitur gratia super gratiam.Et alia Gl.Multi naturaliter sapientes & acuti,si sunt de fides,perdunt bonum.Et in eo.cap.iubet Dominus talentum tolli,& dari ei qui habet x.talēta. ¶ Decimum est,quòd talis odibilis est hominibus. Vnde Prouer. 21. Qui abscondit frumenta in tempore necessitatis,maledicetur in populis:benedictio autem super caput vendentium. ¶ Vndecimum est,quòd iniuriosus est proximo.vnde Bern. Rem profectò proximi retines,si domis scientię & eloquentię ornatus,verbum bonum quod posset prodesse multis,inutili damnabili silentio ligas. Certe maledictus,qui frumenta abscondit in populis. ¶ Duodecimum est,quòd ipse est valde damnosus Deo. Quia sicut dicit beatus Ber.modica sementis detractio,non modicum est messis detrimentum. Vnde sicuti agricolis facit maius damnum ille qui furatur semē eorum, quàm si aliam rem furaretur,quia non solum aufert eis semen,sed etiam & fructum

qui debuit exire à semine: sic multum damnificat Deum, qui semen diuini verbi quod seminare debuit,inutiliter abscondit.

¶ *De prædicatoribus sibi solum viuere eligentibus.*

Et nota, quòd illi qui officio prædicationis idonei esse possunt,& tamen sibi solum viuere eligunt, licet ex bona intentione faciant,& timore Dei,scilicet vt cum puriori conscientia Deo viuant, multum timendum videtur esse eò quòd ille seruus qui pecuniam sibi commissam abscondit in sudario, vocatus est à Domino seruus nequam.In sudario puritas conscientiæ intelligitur. In sudario ergo talentū abscondit,qui amore puritatis conscientiæ,officium prædicationis deserit.Et dicit Glo.super illū locum, In sudario pecuniam reponit,qui ad prædicandum idoneus,officium prædicationis suscipere renuit,vel susceptum non bene gerit.Ad idem pertinet,quod dicit Greg. Qui scientia & virtute pręditi secessum speculationis appetunt,tot animarum rei sunt,quot animabus in publicum prodeundo prodesse potuerunt. Tales,vt quidā dixit,ligant sibi pedes & manus, ne Deus possit ex eis se iuuare.Vnde timere possunt illud Matt.23.Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenębras exteriores.Et Mat.25.Inutilē seruum eiicite in tenebras,&c.Iracūdiam enim inutilis sustinebit,vt legitur Prouer.14.Ista tamen ex illo intelligenda non sunt,qui tantæ infirmitatis est,quòd non videt salutem suam in mundo.Ad quod videtur pertinere illud quod dicit dominus: Quid prodest homini,si totum mundum lucretur,& detrimentum sui faciat? Marc.8.

De peccato lusorum, & de his quæ faciunt ad eius detestationem.

CAPVT XV.

Vltimo loco inter species auaritiæ diceemus de peccato lusorum, quia frequenter in lusoribus est peccatum cupiditatis vel auaritiæ.Et primo ponemus ea quæ possunt facere ad detestationem huius peccati, deinde aliquid tangemus de his qui miscent se lusoribus, & de his qui locant eis necessaria ad ludum, & de his qui permittunt eos ludere in domibus suis. ¶ Quinque verò sunt quæ possunt facere ad detestationem huius peccati.

De XVI. peccato quæ circa ludum accidere possunt.

PRIMO potest facere ad hoc multitudo & magnitudo peccatorum quę in ludo accidunt.Possunt verò ibi accidere XVI. peccata. ¶ Primum est cupiditas quæ est radix omnium malorum.Nec est ibi quęcunque cupiditas,sed rapina.Vult enim spoliare proximum suum rebus ipsius. ¶ Secundum peccatum est proditio:vult enim spoliare illū cū quo comedit & bibit. ¶ Tertiū est immisericordia. ¶ Vellet enim spoliare ipsum,si posset camisia & brachia:

quod non faceret vnus de latronibus illis, qui spoliant peregrinos in nemoribus. ¶ Quartum peccatum est, vsura valde magna: scilicet duo pro xij. non in anno vel in mense, sed in eadem die. ¶ Quintum peccatum est, afflictio Dei patris: scilicet quem ibi crucifigit ille qui amittit, blasphemando & laniando eum. ¶ Sextum peccatum est contemptus ecclesiæ, cuius præceptum contemnit. Ad ista duo peccata vltima potest referri illud quod legitur Prouer. 19. Qui affligit patrem, & fugit matrem, ignominiosus erit & infelix. Ignominia ista vel infelicitas satis manifestè videtur in lusoribus. Contra lusores in canonibus Apostolorum sic habetur: Episcopus autem presbyter & diaconus aleę aut ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè dānetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur. Similiter & laicus. ¶ Septimum peccatum est, scandalum proximi. Corrumpuntur autem multi qui ad ludum inspiciendum conueniunt. ¶ Octauum est, omissio bonorum, quæ deberet facere lusor tempore illo. ¶ Nonum est, peccatum periurij. Sæpe enim iurat lusor, dicens se lucratum fuisse, quum in veritate perdiderit. ¶ Decimum peccatum est fraudis. Sæpe enim vnus defraudat alium ibi. ¶ Vndecimum est, peccatum iræ. ¶ Duodecimum peccatum est, conuitiationis. ¶ Tertiumdecimum peccatum est, verberis. ¶ Decimumquartum peccatum est, fractio solennitatum. In præcipuis enim solennitatibus prę cipuè committunt lusores peccatum suum, non attendentes, quod legitur Numeri 15. de illo qui collegerat ligna in sabbato: Moriatur homo ille, ait Dominus: lapidibus obruat eum omnis turba. Constat quòd peius est cum blasphemiis, & periuriis ludere, quàm in sabbato ligna colligere. ¶ Decimumquintum est, homicidium. Interdum enim vnus lusor pro obolo interficit alium. ¶ Decimumsextum est, idololatria. Lusor enim ludum Deum suum facit, cùm ludum Deo in amore suo præponit. Hoc enim ab hominibus colitur quod præ cæteris diligit: vt dicit Glossa, super illud Apostoli Philippens. 3. Quorum Deus venter est. Præterea ipse subiicit se iurisdictioni taxillorum, vt quod illi dicunt ipse faciat. Et sicuti Deus dedit xxi. literas cultoribus suis, quibus tota scriptura est scripta, per quam voluntas Dei fidelibus indicatur: sic taxillus habet xxi. puncta quibus lusor cognoscit voluntatem Dei sui. Diabolus enim quasi simia est domini.

¶ *Quòd transgressio totius Decalogi in ludo accidere possit.*

PRAETEREA potest accidere in ludo transgressio omnium mandatorum decalogi. ¶ Primum mandatum lusor transgre-

tur, quando Deum negat & idololatrat. Primum enim mandatum est, Non habebis deos alienos coram me. ¶ Secundum mandatum transgreditur, quando inutiliter vel falsè iurat. Secundum enim mandatum est, Non assumes nomen Dei tui in vanum. Nomen Dei sui in vanum assumit, qui per nomen Dei iurat pro falso vel pro nihilo. ¶ Tertium mandatum est, Memento vt diem sabbati sanctifices: quod mandatum lusor transgreditur, dum diebus solennibus in ludo Deum blasphemat. ¶ Quomodo autem transgressio aliorum mandatorum ibi accidat, de facili potest videri, excepto hoc, Non mœchaberis. Sed in veritate illud mandatum spiritualiter lusor transgreditur, Deum dum negat. Infelicitas enim spiritualis est fornicatio secundum iudicium scripturę. ¶ Secundo potest facere ad detestationem huius peccati, multiplex malum, quod ex ludo sequitur. Sequitur enim inde ira parentum ipsius lusoris, si ipse est filius familiàs. Si verò est pater familiàs, sequitur inde ira vxoris & totius familiæ, & interdū etiam verbera. Remanent etiam quandoque odia inter lusores. Sequitur enim & quādoque exhæredatio & filiarum prostitutio. Sequitur etiam interdum furtum: qui enim calefactus est de ludo, furaretur etiam super altare si posset. Furtū verò sequitur suspendium quandoque.

¶ *De duodecim stultitiis lusorum.*

TERTIO faciunt ad detestationem huius peccati, xii. stultitiæ, quæ possunt assignari in lusoribus. ¶ Prima stultitia est, quòd lusor vilissimæ seruituti se subiicit, dum taxillum Dominū suum constituit, ad hoc adstringens se, vt faciat quod ipse iusserit. Si videas, ait Seneca, murem velle dominari alij muri, nunquid risum teneas? Quanto magis ridiculum est, quando os caninum, quod minoris valoris est, cominus homini dominatur? ¶ Secunda stultitia est, quòd ipse ad præceptum taxillorum largitur, quod non largiretur ad præceptum Dei. Ipse largior est ad præceptum taxillorum, quàm fuerit beatus Martinus ad præceptum domini. Ipse enim dat nō solum medietatem pallij, sed etiam totum pallium, & interdum tunicam & camisiam, & nudus sequitur dominum suum nudum, scilicet diabolum. Etiam ea quæ non habet, dat ipse. Multa enim accipit ad vsuras vel furatur. ¶ Tertia stultitia est, quòd postquam cognouit malitiam domini sui, quum ipse deberet abnegare ipsum & quæ illius sunt, ipse potius verum Deum negat, qui nihil ei nocuit, sed omnia bona ei fecit, & se vindicat de eo qui absque culpa est. ¶ Quarta stultitia est, quòd ipse voluntariè iurisdictioni illius se subiicit, qui nunquam iustè iudicare nouit. Taxillus enim tribuit alteri illorum lusorum, quod

cius non est. ¶ Quinta stultitia est, quòd delectationem quę est in contractione trium ossium caninorum diuinæ gloriæ proponit: quòd non solum stultitia est, sed etiam insania videtur esse. ¶ Sexta stultitia est, quòd ipse ne otiosus sit, otiosa agit. Vnde Bernard. Pro vitando otio otia sectari, ridiculum est. ¶ Septima stultitia lusoris est, quòd ipse consentit, vt hostis ipsius furetur ei pretiosiorem rem quam habet, vel vnam de pretiosioribus, scilicet tempus. Furemur, aiunt lusores, tempus, non attendentes temporis pretiositatem. Nihil est enim pretiosius tempore: sicut dicit beatus Bernard. Donec hora prætereat, inquit, verbum irreuocabile transit, tempus non reuocabile quod tibi concessum est ad impetrandum veniam & gratiam, & ad agendam pœnitentiam & promerendam gloriam. Dominus enim dicit, quòd si sciret paterfamiliàs qua hora fur veniret, vigilaret, &c. Sed lusor affectat, vt fur veniat qui furetur ei vitam suam. ¶ Octaua stultitia est, quòd ipse propriis manibus se consumit & perdit, quem Filius Dei manibus cruci affixis redemit. Vnde beatus Bernard. loquens in persona domini ad talem, dixit: Ego acquisiui te manibus crucifixis, & tu consumis te manibus deliciis dedicatis. Et est magna ingratitudo, quòd homo impugnet eum in ea parte corporis sui, in qua dominus pro amore ipsius tantum dolorem sustinuit. ¶ Nona stultitia est, quòd ipse ludit, & in curia cælestis iudicis lata est contra ipsum sententia mortis. Vnde Bernard. Ludebam ego foris in platea, & in secreto regalis cubiculi super me ferebatur iudicium mortis. ¶ Similis stultitia fuit in Ierosoly mitis qui in lætitia erant, non præuidentes mortem suam, cui adiudicati iam erant propter peccata sua. Quam mortem Deus fleuit: vt legitur Luę decimonono. Lusor ludendo currit ad mortem suam. Vnde Iob vicesimoprimo, Infantes eorum exultant lusibus. Et deinde subditur: Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernа descendunt. Secundum Augustinum, nihil aliud est tempus præsentis vitæ, quàm cursus ad mortem. In quo nemo vel paulum stare, vel tardius ire permittitur: sed omnes pari motu v[illegible] gentur. ¶ Vnde quicunque ludit, ludendo ad mortem suam v[illegible] dit, & diabolus de eo quasi de fatuo seruo ludum facit. & quic[illegible] que ibi perdat, diabolus ibi non perdit. ¶ Decima stultitia est, quòd lusor quando posset facere aliquid ad propriam vtilitatem & proximi ædificationem, & Dei honorem, ipse facit quod est sibi damnosum, & proximo scandalosum, & Deo contumeliosum. Verè seruus nequam & maledictus, si cùm venerit dominus eius inuenerit eum sic facientem. De tali seruo legitur Matthæi [illegible]

Si dixerit malus ille seruus in corde suo, Moram facit dominus meus venire, & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis, veniet dominus serui illius in die qua non sperat, & in hora qua ignorat. Morte enim subita nea sæpe moriuntur tales. ¶ Vndecima stultitia est, quòd cùm puer non sit, puerilibus tamen gaudet. Senec. Plerunque est cum pueritia: sed quod grauius est puerilitas remanet ibi, sed & hoc quidem peius est, quòd authoritatem habemus senum & vitia puerorum: nec puerorum tantũ, sed etiam infantium. Dubiũ nõ est puerilitatem magnam esse, exercitum militibus & peditibus ligneis fingere. Quæ puerilitas hodie in multis senibus reperitur, quod est quasi quædam infantia: vt ludere par impar, equitare in arundine longa, si quem delectat barbatum, insania vexat. ¶ Duodecima stultitia est, q̃ nullum opus credũt habere aliquid iucunditatis, nisi tale sit quòd nihil habeat vtilitatis, quod magnę corruptionis indicium est. Salomon Prouerbior. 15. Stultitia gaudium est stulto. Sene. Fundamentum bonæ mentis est non gaudere vanis. Ad summum peruenit, qui scit quo gaudeat. ¶ Nec solũ vanis gaudent multi homines, imò etiam in his quæ diabolica sunt, vt patet in his qui in auibus cæli ludunt, qui gaudent quando vident vnam auiculam ab alia capi vel interfici. Qui satis dissimiles sunt beato Martino: qui quum vidisset mergulos in quodã flumine captioni piscĩ intendẽtes, dixit: Forma ista dæmonum est. Et quum non posset hoc tolerare, iussit mergulos inde auolare. De beato Benedicto etiam dicitur, quòd si ipse videbat accipitrẽ insequi aliã auem, ipse faciebat signum crucis post auem, & capi non poterat. Idem faciebat quando videbat canem insequi aliã feram: ipse habebat cor humanum, nõ ferreum, sicut multi habent. ¶ Quartò, potest valere ad detestationẽ huius peccati hoc, q̃ quocunque vertat lusor oculos cordis, ipse potest inuenire quod sibi peccãtum suum dissuadeat. Si ipse vertat oculos suos ad id quod supra se est, occurrit seueritas domini seruũ inutilem æternaliter condemnans. vnde Matt. 25. Inutilem seruum eiicite in tenebras exteriores. Quomodo ludere audit seruus, qui tam seuerũ dominũ habet? Occurrit etiam liberalitas domini seruos fideliter laborantes abundantissimè remunerans, quasi vtraque manu plena. Vnde Prouerbior. 3. Longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra eius diuitiæ & gloria. Similiter si lusor vertat oculos suos ad ea quæ sunt contra se, scilicet ad vitia & dæmones, occurrit ei quod sibi ludũ dissuadet. Non enim locus ludẽdi est, quum gladium tenet hostis vt eum perimat. Vnde Se-

nec. Quũ hostis à tergo instat, & mouere se iussus est miser, necessitas excutit quicquid pax otiosa collegit. Idem: Demens quasi meritò videretur, qui cum saxa in munimẽtum senes fœminæq; congererent, quum iuuentus intra portas armata expectaret, sederet otiosus. Similiter si lusor vertat oculos ad id quod est iuxta se, scilicet ad proximum, occurrunt ei multiplices miseriæ quæ ludum sibi dissuadent. Vnde Seneca: Quid lusoria componis? Non est iocandi locus: ad miseros aduocatus es: quòd opem te laturum naufragis, ægris, egentibus pollicitus es: quòd diuertis? quid agis? succurre, omnes vndique ad te manus tendunt, perditæ vitæ peritúræque auxilium implorãt. Loquitur Seneca ad sapientes, qui de lege naturali stricti sunt ad subueniendum illis qui in periculo sunt. Specialiter tamen potest hoc vetdum dici illis qui curam animarum susceperunt. Illis enim naufragis auxilium promiserunt. Vnde mirum est quomodo nõ remordet eos conscientia, quum eis differunt subuenire. Si enim aliquis promisisset se subuenturum alicui qui cecidisset in Rhodanum, & hac de causa conductus esset, multum remorderet eum conscientia sua, si ei differret subuenire, quem in tanto periculo sciret esse. Quomodo ergo non remordet eum conscientia, qui non subuenit ei quem scit esse in periculo longe maiori? Similiter si lusor vertat, oculos ad id quod est infra se, id est, ad inferiores creaturas, potest ei occurrere quod sibi dissuadet peccatum suum. Nullus eligit seminare agrum suum potius inutilibus quàm vtilibus: quanta ergo fatuitas est seipsum seruire inutilibus occupationibus, vel noxiis, quum tot occupationes inueniri possint vtiles corpori & animæ? ¶ Quintò, potest fieri ad derestationem huius peccati hoc, quòd dominus etiam in præsenti vindictam interdum accipit de lusoribus. Quandoque enim dum ipsi blasphemant præposterãtur eis facies. Cuidã etiã militi, dum occasione ludi per oculos Dei iuraret, proprius oculus à capite exiliit, & in alearium cecidit. Quidam etiam sagittarius quũ valde iratus esset ex hoc, quòd in ludo perdidisset, sagittam direxit versus cælum quasi vellet se vindicare de Deo. Sequenti verò die quum idem sagittarius eadem hora sederet ad ludum, rediit sagitta, & super aleatium cecidit sanguinolenta.

¶ De his qui se lusoribus immiscent, & qui eis necessaria locant, & in quorum domibus luditur.

Nec solum cauere debet aliquis ne ipse ludat, sed etiam ne ludentibus se immisceat. Sicut enim sedentes ad ignem calefiunt: sic qui stant ad ludũ causa spectandi, de ludo calefiunt. Vnde legitur Tobiæ 3. Nunquam cum ludentibus miscui me, nec cum his qui in leuitate ambulant participem me præbui. Cauere etiam debet homo ne locet taxillos, vel alia ad ludũ necessaria. Sicut enim valde malus reputaretur, qui alicui scelerato gladiũ locaret, vnde aliquem sanctũ virũ interficere deberet: sic valde malus reputatur qui locat taxillos, si credat eorũ occasione Deũ esse blasphemandũ, & quasi crucifigendũ. ¶ Illi etiam nõ videntur omnino esse innocentes, qui in domibus propriis permittunt inferri domino suo contumelias infinitas, & non prohibent, cùm tamen possint prohibere.

De his quæ dant occasionem auaritiæ. PARS III.

Dicto de speciebus auaritiæ, dicendum est de his quæ dant occasionẽ auaritiæ, quæ sunt sex. Primũ est familiaritas cupidorũ & auarorũ. Sicut enim carbones viui carbonẽ mortuũ accẽdunt si eis immisceatur: sic diuites verbis & exemplis igne cupiditatis igniti familiares suos inflãmant ad eam. vnde Eccle. 13. Qui tetigerit picẽ, inquinabitur ab ea: & qui cõmunicauerit superbo, induet superbiam. Et subditur: Ditioti te ne socius fueris. ad idem facit quod dicit Sen. Vnũ exemplũ auaritiæ vel luxurię multum mali facit. Vicinus diues cupiditatẽ irritat. Secũdũ est, cõsideratio diuitiarum. Ideò dicitur Prouerb. 23. Ne erigas oculos ad opes quas habere non potes. Tertium, ꝙ homo attẽdit in diuitiis illa solũ per quæ possunt videri pretiosæ: ea verò per quæ in veritate contemptibiles sunt, nõ attẽdit: sicut fugacitatẽ earũ, & similia. vnde Greg. Ideò temporalia diligunt, quia quàm fugitiua sint nõ attẽdũt. Quartũ est, amor mundanæ gloriæ. vnde talibus qui diuitias amãt, quia vident gloriam mundanã eis annexã, primo prædicandũ esset de contẽptu mundanæ gloriæ, quàm de contemptu diuitiarũ. Securis enim prędicationis ad radicem malitiæ ponẽda est. Quintũ est amor filiorũ talibus qui diuitias amãt. Propter amorẽ filiorẽ ostẽdẽdũ esset in prædicatione, quòd hoc nõ sit amare filiũ, sed potius odire, diuitias ei male cõgregare. Ostẽdendũ etiã esset in prædicatione quàm duri sint filij parẽtibus defunctis. Ad ostendendũ verò ꝙ nõ sit amor, sed potius odiũ filiis male congregata relinquere, potest induci tale exẽplum. Erat quidam vsurarius habens duos filios, quorũ alter nolens succedere patri in male acquisitis, factus est eremita. Alius verò volens succedere patri suo, remãsit cũ patre suo. Et mortuo patre, ei successit. Et pòst nõ multum tempus ipse etiam decessit. Cùm autem nuntiatum esset eremitæ de morte patris & fratris doluit valde, credens eos damnatos esse. Et cùm rogasset do-

minum vt reuelaret ei ſtatum eorũ, raptus eſt, & in infernũ ductus, & non inueniebat ibi eos. Sed ad vltimum exierunt de quodam puteo in flamma, primo pater, deinde filius mordentes ſe & litigantes adinuicem patre dicente filio, Maledictus ſis tu, quia pro te vſuratius fui. filius autem econtrario dicebat, Imò maledictus ſis tu, quia niſi iniuſtè acquiſiuiſſes, ego non retinuiſſem iniuſtè, nec damnatus fuiſſem. Sextum eſt hoc quòd homo ſibi longam vitam promittit. De qua promiſſione dicitur Ec. 29. Reprommiſſio nequiſſima, multos perdidit. Talis erat ille cui dixit dominus: Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.

De remediis contra Auaritiam. PARS IIII.

DIcto de his quæ dant occaſionem auaritiæ, dicendum eſt de remediis contra auaritiam. De quibus ſufficiat ponere octo. ¶ Primum eſt, mortis conſideratio. Hoc remedium inſinuat Hierony. in magno prologo bibliæ, in fine, dicens: Facile contemnit omnia qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum. Sicut iumenta ſe defendunt ab importunitate muſcarũ çauda ſua, & aues, & piſces cauda ſua regunt ſe: ſic homo conſideratione finis, ſcilicet mortis, defendit ſe ab auaritia, & etiã à cęteris vitiis, & regit ſe in modo iſto. Vnde Iob 12. Interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cęli, & indicabunt tibi. Mors quaſi ad oculũ demõſtrat contemptibilia eſſe quæcunq; quæruntur in hoc mũdo, ſcilicet delicias, diuitias, & gloriam, & vanum eſſe laborem eorum qui talibus intendunt. Labor quærentium diuitias vanus oſtenditur quum homo nudus in terram reuertitur. Labor quærentiũ delicias vanus oſtenditur, quando corpus nutritum in deliciis vermibus eſca datur. Tunc enim apparet eos quaſi coquos vermiũ fuiſſe, qui delicatè vixerunt: eſcam enim vermibus præparauerunt. Mira inſania. Erubeſceret aliquis & indignaretur coquus eſſe vnius comitis, & non dedignatur eſſe coquus vermium. Labor etiam eorum qui quærunt eſſe ſuper alios, vanus oſtenditur, quando ille qui volebat eſſe ſuper alios, ſub terra ponitur, & à iumentis conculcatur. Ad hoc poteſt referri illud quod legitur Eccle. 11. Homo meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerit, vanitatis arguentur præterita. ¶ Secundum remedium eſt, conſideratio Dominicæ paupertatis, vnde Bern. Magna ſiquidẽ eſt, abuſio & nimis magna, quòd diues velit fieri vermiculus vilis, pro quo Deus maieſtatis & dominus ſabaoth pauper fieri voluit. & Thren. 3. Recordare paupertatis meæ, & tranſgreſſionis abſynthij & fellis. ¶ Tertium remedium eſt, conſideratio periculi, in quo ſumus. Et inſinuatur nobis illud

remediũ Iob 26. vbi ſic legitur: Quaſi tumentes ſuper me fluctus timui Deum, & pondus eius ferre non potui. vbi dicit Gre. Cùm fluctus tumentes deſuper eminent, tunc de naui proiiciunt, pro quibus longa naufragia ſumpſerunt. Ad idẽ poteſt referri illud quod legitur 1. Macab. 4. Non concupiſcetis ſpolia, quia bellum contra nos eſt. Ad literã: quando periculoſum bellũ imminet, interdicitur exercitus ne ſpoliis intendat: & ſi ſpoliis iam oneratus eſt, iubetur ea deponere: ſic periculum in quo ſumus, debet cohibere nos ne diuitiis nos oneremus. Si verò iã habemus eas, monere debet nos ad hoc vt eas relinquamus. ¶ Quartũ remedium eſt cõſideratio miſeriæ quæ annexa eſt deliciis, ſicut diffuſe oſtẽſum eſt prius. De qua miſeria dicit beatus Bern. Si habes cor, ſi eſt tibi lumen oculorum tuorũ, deſine ea ſequi, quæ aſſequi miſerũ eſt. ¶ Quintum remedium eſt, qp homo elonget ſe à cupidis & auaris, & familiaris ſit illis qui terrena cõtẽnunt. Vnde. in Pſ. Cum ſancto ſanctus eris &c. Sanctus in Græco dicitur agios, quaſi ſine terra: vnde ſenſus eſt, id eſt, cum eo qui abſque terreneitate eſt, abſque terreneitate eris. Sic accidit ei qui conuerſatur cum auaro, ſicut dicitur accidiſſe cuidam paruulo qui à lupa nutritus eſt, qui alium modum gradiendi addiſcere ab ea non potuit quàm ipſa habebat. vnde duabus manibus pro pedibus vtebatur. Sic ille qui cũ auaro conuerſatur, exemplo eius circa terrena iſta repet. Ille verò qui conuerſatur cum illis qui terrena contẽnunt, erectus incedet, contemptíſque terrenis cæleſtia appetet. ¶ Sextum remedium eſt, conſideratio æternarum diuitiarũ. vnde Gr. Vileſcunt temporalia, cùm deſiderantur æterna. Et Prou. 1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. vbi dicit interlin. Laqueum in terra facile euadit, qui oculos habet in cælis. Ad idem pertinet quod ait Sene. Non poteſt cõtemnere laquearia ebore fulgentia, deriuata in domos flumina, donec terrarũ orbẽ ſuperne deſpiciens ſibiipſi dixit, Hoc eſt punctũ illud quod inter gentes ferro & igne diuiditur. Cùm in corporibus ſphærieis illud quod eſt in medio, ſe habeat velut punctũ reſpectu circũferẽtiæ: terra ſe habet velut punctum reſpectu cæli. Ex quo patet fatuitas amatorum huius mundi, qui quærunt in puncto latitudinem quę in circunferentia quærenda eſt. vnde Augu. Noli pati anguſtias, euola in ſublime in amplitudine cælorum. Cùm terra centrum mundi ſit, ex neceſſitate anguſta eſt reſpectu circũferentiæ. vnde dicit Sen. amatoribus huius mũdi: Punctũ eſt illud in quo nauigatis, bellatis, regnatis. Idem: Ab vltimis litoribus Hiſpaniæ vſque ad Indos, pauciſſimorum dierum ſpatium iacet, ſi nauem

ferat

ferat ventus. At cælestis illa regio per triginta annos velocissimo syderi viam præstat. Ex angustia terræ accidit pressura illa, de qua dicit dominus Io. 15. In mundo pressuram habebitis. ¶ Septimum remedium est, quòd homo fiduciam suam in Deo ponat, quòd Deus ei necessaria præbebit, si ipse ei seruierit, secundum quòd dominus sciet ei expedire. Vnde Mat. 6. post illud verbum, Non potestis Deo seruire & mammonæ, subiungit dominus: Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animæ vestræ quid mãducetis, neque corpori vestro quid induamini. Deinde monet ad hoc vt in eo fiducia ponatur. Mammona Syra lingua interpretatur diuitiæ. Dicitur etiam hoc nomen esse dæmonis qui præest diuitiis. ¶ Octauum & vltimũ & summum remediũ est, quòd homo eleemosynis & orationibus, & omnibus aliis modis quibus poterit gratiam Dei sibi impetret, quæ sola sufficit hominẽ liberare à laqueis cupiditatis & auaritiæ. Vnde Matth. 19. cùm dixisset dominus, difficile diues intrabit in regnũ cælorũ: & discipuli admirarẽtur, dicentes: Quis poterit saluus esse? Respondit dominus, Apud homines impossibile est. Et supplet interlin. vt per se à cupiditatibus suis conuertantur. Ideo valde timendum est cupiditatis peccatum vel auaritiæ, quæ cum tanta difficultate hominẽ dimittit. Sicut terra quædam stabilitatẽ videtur habere quam non habet aqua & aër, aliud illud Eccle. 1. Terra in æternum stat. sic peccatum auaritiæ, quod est peccatum terrenum diuturnius videtur esse peccato vanitatis & voluptatis. Et fortè propter hanc diuturnitatem dicit Isidorus de hoc peccato: Omni genere peccatorum peior est auaritia.

De prodigalitate, quæ est vitium contrarium auaritiæ,

PARS V. *quæ habet quatuor capitula.*

De ordine dicendorum in ista parte. Et de distinctione prodigalitatis à liberalitate. CAP. I.

POst remedia auaritiæ dicendum est de prodigalitate, quæ est vitium contrariũ auaritiæ, de quo hoc ordine dicemus. Primo distinguemus prodigalitatẽ à largitate. Secundo ostendemus quæ mala ex prodigalitate proueniũt. Tertio assignabimus quasdam stultitias prodigi. Vltimo tangemus aliquid specialiter de prodigalitate clericorũ. ¶ Quadrupliciter verò possumus distinguere prodigalitatẽ à largitate. ¶ Primò in hoc, quòd prodigus sua non confert, sed ventus vanitatis ei aufert. Sicut aliquis non dicitur largus, si ventus pallium suũ ei auferat. Nec arbores liberales dicũtur, si ventus ab eis fructum excutiat. Sic nec prodigus largus dicendus est, vel liberalis, cui inuito vel volenti frequenter ventus aufert sua, eò quòd stultas manus habeat, sicut accidit illis qui ex frigore dicũtur stultas manus habere. ¶ Secundò possumus in hoc prodigũ à largo distinguere: quia prodigus sua nõ tribuit, sed perdit. In tribus casibus videtur aliquis rem suam vel-le perdere. Primo, cùm liquorẽ vasi pleno superinfundit. Secundo, cùm in vase corrupto vel immũdo ponit. Tertio, cùm dat pro nihilo. Et his tribus modis possumus dicere quòd perdit prodigus sua. Quasi enim ea pleno vasi infundit, quando dat ea diuitibus. Vnde Prosper in libro de vita Contemplatiua: Habentibus dare nihil aliud est, quàm perdere. ideo monet dominus Luc. 14. ad dandum pauperibus, dicens: Cùm facis conuiuium, voca pauperes, debiles & claudos, &c. Item in eodem: Pauperes ac debiles, cæcos & claudos introduc huc. & Luc. 1. dicit beata Virgo, dominum esurientes impleuisse bonis. & Dauid etiam dicit in Psalm. Pauperes eius saturabo panibus. & 4. Reg. 4. legitur quòd stetit oleũ cùm vasa plena essent. Sed quorundam oleũ tunc solũ fluit, quando vasa plena sunt: vasis autem vacuis stat, diuitibus autem parati sunt dare, pauperibus verò non. Prodigus etiam quasi vasi corrupto sua infundit, quando dat ea histrionibus vel aliis inhonestis personis. Contra illud Eccle. 12. Benefac humili, & ne dederis impio. & iterũ: Si bene feceris, scito cui bene feceris. In duobus casibus præcipuè non est dandũ impio: scilicet cùm creditur quòd propter hoc iustitiã debeat negligere, vel cùm propter aliquod officium inhonestum hoc quærit, sicut faciunt histriones. Hier. Paria sunt, dare histrionibus, & sacrificare dæmonibus. Prodigus etiam pro nihilo rem suam dat, quando dat eam pro vana gloria quæ nihil est in valore. vnde Io. 8. Si ego glorificabo meipsum, gloria mea nihil est. ¶ Tertio potest distingui prodigus à largo in hoc, quòd largitio ipsius quædam est aucupatio. vnde sicut aucupes non dicuntur largi, nec liberales in aues, quantumcunque frumenti circa laqueos apponãt: nec aliquis dicitur liberalis in pisces vel mures quos capere vult, etsi eicã delectabilem apponat in hamo vel muscipula: Sic liberales dicendi nõ sunt qui ideo sua largiuntur hominibus, vt eos capiãt, vt pro eis sint si venerit aliqua electio. vnde Iere. 5. Inuenti sunt in populo meo impij, insidiantes, quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. ¶ Quarto potest distingui prodigus à largo: quia verè largus, de suo largus est: prodigus verò, de alieno frequenter. Sene. Magni ánimi non est qui de alieno liberalis est.

De malis quæ sequuntur ex prodigalitate. CAP. II.

MAla verò quæ sequuntur ex prodigalitate hæc sunt, scilicet paupertas vsque ad mendicitatem. vnde Luc. 15. de filio prodigo,

digo, qui cupiebat implere ventrē suū de siliquis quas porci mā-
ducabant, & nemo illi dabat. Sequitur etiā inde quòd prodigus
incidit in manus vsuratiorū, qui totū eum comedūt, vt videatur
incidisse in illam imprecationē Psal. Scrutetur fœnerator omnē
substantiam eius. Quanta sit seruitus vsurariorum, illi soli nouē-
runt, qui quandoque in manibus eorum fuerunt. Sequitur etiam
inde peccatum rapinæ. Frequenter enim aliena aufert qui pro-
digè confert. vnde prodigus similis est araneæ quæ muscas de-
rat, & texendo telas inutiles euiscerat se. Sequitur etiam inde ef-
temptus bonorū spiritualium. Ille enim qui prodigus est, interdū
dat omnia bona sua spiritualia pro x l. solidis, ex quibus contin-
uium aliquod facit, similis Esau qui primogenita sua dedit pro
lenticula, & abiit paruipendens quòd primogenita sua vendidis-
set, vt legitur Genes. 25. vnde Thren. 1. Dederunt quæque pretiosa
pro cibo ad refocillandam animam. Prodigus adeò spiritualia
contemnit, vt magnum reputet ventres pascere, & opprobrium
credat esse animas pascere, cùm tamē dicat Aug. Non est magnum
pascere ventres morientes: sed magnum est pascere animas
æternū victuras. Prodigus honorem reputat pascere porcos, ad
est, homines gulosos & luxuriosos, qui iudicio scripturæ porci
sunt. vnde legitur de filio prodigo, Adhæsit vni ciuium regionis
illius, & misit illum in villā suā, vt pasceret porcos suos. Magnum
verò dedecus reputat filios Dei pascere, in hoc absque dubio ma-
Dei magnā faciens contumeliā, dum officiū illud conténit quod
filius Dei specialiter sibi assumere voluit. vnde in Psal. Ego autem
constitutus sum rex ab eo super Sion mōtem sanctum eius. quasi
est cōtra illos prælatos qui dedignantur prædicare, quia contem-
sunt: licet enim essent reges, non tamen indignum esset eis officiū
ciū prædicationis, cùm filius Dei specialiter ad prædicandū venerit: vt haberi potest ex eo quod dicitur Marc. 1. In vicos proximos
eamus & ciuitates, vt ibi prædicemus. & Luc 1. Visitauit nos oriens
ex alto: illuminare, &c. & Io. 18. Ego ad hoc natus sum, & ad hoc
veni in mundum, vt testimonium perhiberem veritati.

De stultitijs prodigi. CAP. III.

PRima stultitia prodigi, quòd ipse sciens & volēs partem sui
facit deteriorē, quādoque etiā nullā. Ideo maledictus est. Ie-
de Ber. Si maledictus est qui partē suā deteriorem facit: quid
qui penitus se reddit expertē? Expertem se reddit, qui de bonis
nullam partē sibi reseruat. ¶ Secunda stultitia prodigi est, quòd
ipse rem illam quam super omnia amat facere, ita vult facere
quòd diu facere nō possit. Hanc stultitiam ostendit nobis Pho-

sophus, dicens: De re familiari impartiendum est, sed moderatè.
Quid enim stultius, quàm quod libenter facias, curare vt diu fa-
cere nō possis? ¶ Tertia stultitia prodigi est, q̄ ipse cōtra rationem
de modico multū vult largiri, nō attendēs quod legitur Tob. 4.
Si multū tibi fuerit, abundāter tribue: si exiguū tibi fuerit, libēter
impartiri stude. Illud ordinatū est, vt qui modicū habet, modicū
tribuat. Sed bona voluntas suppleat modicitatem muneris. Greg.
Non est vacua manus à munere, si area cordis plena sit bona vo-
luntate. Sen. Non quid detur refert, sed qua mente. Regum æqua-
uit opes animo, qui exiguū tribuit, sed libenter. ¶ Quarta stultitia
prodigi est, quòd ipse nō videtur de diuitiis quærere nisi peccata:
peccat enim & in acquisitione earū, & in largitione, & alius habet
inde vtilitatē. Ipse similis est canali ex aquā retinenti fæces & li-
mositatē. Ber. Si recte sapis, conchā exhibebis, nō canalē. ¶ Quin-
ta stultitia prodigi est, quòd ipse quodammodo vult largior esse
Deo. vnde Ber. Non Deo largior esse velis. Cōcha imitetur fon-
tē. Nō ire in riuū fons permittit, donec suis satientur aquis. Non
pudeat conchā non esse fonte suo profusiorē. Prodigus videtur
plus diligere proximum, quàm seipsum: cùm tamen in veritate,
nec proximum, nec se diligat, licet ex stultitia sua effundat. Ipse
quasi doliū est sine fundo: & ideo nō est mirum si effundat quic-
quid acceperit. Et vt breuiter dicā, insipiētior videtur esse prodi-
gus, quā auarus, quantū ad hoc q̄ auarus insipiens est quātum ad
Deū solū: prodigus verò quantū ad Deū, & quantū ad mundum.
Prodigo deest sapientiæ fundamentū, quod est sibiipsi sapientem
esse. vnde Ber. Nō sapiēs est qui sibiipsi sapiēs non est. Et Pro. 9. Si
sapiēs fueris, tibimetipsi eris. Iniquior etiā videtur esse prodigus,
quàm auarus, quātum ad hoc q̄ prodigus iniquus est in seipsum,
sed auarus iniquus est in proximū. Vnde Eccl. 14. Qui nequā est,
cui bonus est? Et iterum: Qui sibi inuidet, nihil est illo nequius.

De prodigalitate clericorum. CAP. IIII.

NOtandum quòd sex considerandā sunt quæ deberent cohi-
bere clericos, ne de bonis ecclesiasticis prodigi essent. ¶ Pri-
mum est, quod bona ecclesiastica bona pauperū sunt, vnde pau-
peribus erogāda sunt: sicut manifestum esse potest ex verbis san-
ctorū quæ sequuntur. Hiero. Quicquid habent clerici, pauperum
est. quod de bonis ecclesiasticis intelligimus. Bern. Facultates ec-
clesiarum patrocinia sunt pauperum, & sacrilega crudelitate eis
subripitur, quicquid sibi ministri & dispensatores non vtique do
mini & possessores vltra victum & vestitū accipiunt. Idem: Res
pauperum non pauperibus dare, crimen esse sacrilegij digno-

scitur

scitur. Hier. Pars sacrilegij est, res pauperum non pauperibus dare. Idem: Accepisse pauperibus erogandum, & esurientibus plurimis cautum esse vel timidū, vel apertissimi sceleris est aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Idē: Maximum periculum est de patrimonio Christi non pauperibus dare. Item Ber. Clamāt nudi, clamant famelici, & cōqueruntur. Et ponit verba pauperū conquerentiū de clericis: sic dicens: Nobis fame & frigore laborantibus miserabiliter, quid conferūt tot mutatoria vel extensa in perticis vel plicata in manticis? Nostrū est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur quod inanius ter expenditis, & nos Dei plasmatio, & Christi nos sanguine redempti sumus. Vos ego fratres mei videte quale sit peccatum, de fraterna portione pascere oculos vestros. vita vestra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur quicquid accedit vanitatibus vestris. Idem: O vanitas vanitatum, sed non vanior quàm insanior. Fulget ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget. Lapides suos induit auro, & filios suos nudos deserit. De sumptibus egenorum seruit oculis diuitū. Inueniunt curiosi quo delectentur, & non inueniunt miseri quo sustententur. Et ideuotio in talibus possit Deo accepta esse, curiositas tamē vel superbia ex qua multi talia faciūt, Deo detestabilis est. Item Bern. loquens de illo verbo Esa. 26. In terra sanctorum iniqua gessit, & videbit gloriā domini. Timeant, inquit, clerici, timeant ministri ecclesiæ, qui in terris quas possident tam iniqua gerūt, vt stipendiis quę sufficere deberent, ininimè cōtenti, superflua quibus egeni sustentandi essent, impiè sacrilegéque retinēt, & in vsus suos luxuriæ atque luxuriæ victum pauperū cōsumere non verentur. Duplici profecto iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.

¶ Quòd rapina talium est periculosa.

VALDE enim periculosa est rapina quam tales faciunt tribus de causis. ¶ Primò quia non agnoscitur. vnde accidit quòd multi eam non confiteantur, tamen non proponunt abstinere à tali rapina. Et etiam aliqui simplices confessores nō dicunt eis vt restituant pauperibus ea quibus defraudauerunt eos, licet patrimonium habeant vnde restituere possint. Mira cæcitas. Si quis damnificauerit diuitem vnum in quinque solidis, si ipse cōfiteretur & haberet propositum cauēdi de cætero, restitueret sibi pro posse suo: aliter scire non valere pœnitentiam sibi. Ille verò qui pauperes damnificauit in centum libris vel amplius, nihil tale facit, & tamen credit se agere veram pœnitentiā. ¶ Secundò periculosa est, propter magnitudinem culpæ quæ est in rapina tali. Quam ostendit gl. super Mat. 5. vbi dicit dominus Petro: Vade ad mare: & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle: & aperto ore eius inuenies staterem. Glo. Iudas quidem communia in loculis habebat: sed dominus res pauperum in suos vsus conuertere nefas duxit, idipsum dans exemplum nobis. ¶ Tertio periculosa est, quia multum impedit hominem à salute. Et si ille qui habet bona ecclesiæ, pauperibus fideliter portionem suā redderet, cōtentus victu & vestitu sibi necessariis, vix accideret quin ipse ad salutē perueniret. Quomodo enim misericordia Dei larga illi nō esset, gratiam suam largiendo, qui sibi largus esset pauperibus subueniendo? Vnde Aug. Fluit riuus, & fons siccabitur. Misericordia enim Dei velut fons est, misericordia enim nostra velut riuulus. Nō est verisimile quòd fons non fluat, ex quo riuulus fluit. Vnde Amb. super 1. ad Tim. 4. vbi sic legitur: Pietas ad omnia vtilis est. Qui pietatem sequitur, si lubricū carnis patiatur, vapulabit quidem, sed non peribit. Quod intelligendū non de illo qui cōfidens de eleemosynis suis, ideo diutius & securius peccat. Talis enim vtitur eleemosynis ad Dei impugnationem: ideo non est dignus peccatorum suorum remissione, sed potius æterna damnatione. Sed de illo intelligēdum est hoc, qui vidēs incontinentiā suam, eleemosynas facit, vt misericordia Dei gratiam sibi cōferat, per quā cōtinere possit. Talis enim frequentius ad bonū finem venit. Vnde Hie. Nō memini me mala morte vidisse mortuū, qui liberalē antè duxerit vitā. De illis verò qui de bonis ecclesiasticis pauperes defraudāt, non est mirū si peccāt & damnētur. Quomodo enim misericordia Dei dabit illis gratiā qua cōtinere possint, qui bona Dei potius volūt prodigè expēdere quàm Deo in pauperibus dare? Et cùm hominibus nō solū largi, sed etiā prodigi sint, tamē soli Deo sunt auari de bonis ipsius, qui subtrahunt ori Dei ea quæ ponūt in ore porci, imò in ore diaboli: cùm enim malus sit seruus diaboli, & os & cætera mēbra ipsius diaboli sunt. Præterea misericordiā Dei quomodo cōsequentur illi de quibus tot iniuriæ pauperū à Deo postulāt vt ipsi dānentur? Tales homines sunt oues diaboli, cum diabolus eos tōdeat singulis annis, vestes quas ipsi deponūt accipiēdo in mēbris suis. Non solū periculosa est rapina ista, sed etiā ignominiosa. Ignominia enim magna est pauperibus rapere, verbi gratia: Si facta esset vniuersalis donatio pauperibus alicuius ciuitatis, valde miser & vilis reputaretur ille qui pauperibus eleemosynas eis datas auferret, licet etiā pòst expēderet eas faciendo magna conuiuia. Sic valde viles sunt qui de

bonis ecclesiasticis quæ bona pauperũ sunt,cõuiuia superflua faciunt.Tot enim pauperibus ea auferũt,quot inde habere potuerunt:etiam ignominia magna erit in die iudicij,quando pauperes cõquerentur vno dicẽte,Iste mihi abstulit vnũ prandiũ. Alio dicẽte,Iste mihi abstulit vnũ denariũ,vel aliud.¶ Secundũ est hoc, ꝙ bona clericorũ frequẽter à pauperibus sunt oblata,& sanguine Christi cõparata.Vnde incõgruũ est de eleemosynis pauperũ superflua cõuiuia diuitibus facere.Accidit enim interdũ ꝙ in xx.lo lidis quos clericus prodigus expẽdit in cõuiuio vno, multi pauperes posuerunt quod proprio ori subtraxerũt, & talis posuit ibi vnũ obolũ cui alius obolus non remansit.Similiter valde incongruũ est,ea quæ sanguine Christi empta sunt, superfluẽ expẽdere,vnde super illud Ier.22.Væ qui facit laquearia cedrina,& pingit ea synopide,id est,Christi sanguine,dicit gl.¶ Tertiũ est hoc, ꝙ clerici debẽt esse forma gregis,& bonũ exemplũ aliis dare,& valde incongruũ est quãdo suis superfluis cõuiuiis, illos corrũpũt quos sanare debuerũt,& alios maculãt quos debuerũt emendare & sanctificare,vnde dicitur de illis in epist.Iudæ,Hi sunt in epulis suis maculæ cõiuuantes.Nõ solũ sunt maculati,sed etiam maculæ sunt alios maculantes suo malo exẽplo, & materiã ministrãdo suis superfluis cõuiuiis gulositati & ebrietati, & multis aliis peccatis.¶ Quarto deberet cohibere clericos à vitio prodigalitatis multitudo & magnitudo peccatorũ quæ sequũtur in ex vitio isto. Ex prodigalitate accidit in multis,ꝙ ipsi fiũt rapores,simoniaci,oppressores pauperum, excoriatores subditorum. ¶ Quintũ est hoc,ꝙ vitiũ multũ impedit eos ab officio suo. Nam possunt enim illi officio suo intẽdere debitis aggrauati. Et visitatio corũ potius est subditorũ corruptio propter nimias expensas quã corũ correctio.¶ Sexto deberet cohibere dispẽsatores bonorũ ecclesiasticorũ à prodigalitate,consideratio districti iudicij. Si enim ex isto verbo,Esuriui,& nõ dedistis mihi mãducare:illarus est dominus in iudicio, Ite ergo maledicti in ignem æternum, quid dicturus est prodigis dispensatoribus, qui non solum ipsi esurienti non dederunt manducare, sed etiam ipsi esurienti abstulerunt quod debuit manducare?

TRACTATVS V. de Acedia.

De his quæ valere possunt ad detestationem Acediæ, PARS I. *quæ habet quatuor capitula.*

De ordine dicendorum in isto tractatu.Et de diuersis exemplis quæ CAPVT I. *valere possunt ad detestationem Acediæ.* POST

POST peccatum auaritiæ, dicendum est de peccato Acediæ: quia pigritia interdum ex auaritia sequitur. Vnde Luc.12.dicit ille diues cuius ager fructus vberes attulit,Anima mea multa habes bona reposita in annos plurimos, requiesce, & comede,& bibe. dicemus autem hoc ordine & de vitio isto.¶ Primo,ponemus ea quæ possunt valere ad detestationem huius vitij.Secundo tangemus de diuersis generibus peccatorum quæ pertinent ad hoc vitium.Tertio,tangemus aliquid de remediis contra vitium istud. Quarto, de instantia vero huius peccati possunt valere diuersa exẽpla.Et possumus primo sumere exemplũ à rebus quæ non habent sensum, nec vitam,nec rationem, sicut à sole.Secundo, ab his quæ vitam habẽt,& nõ sensum:vt ab herbis,& arboribus,& huiusmodi.Tertio,ab his quæ habent vitam,& sensum,& nõ rationẽ,vt à brutis animalibus. Quarto,ab his quæ habent sensum, & rationem, & gratiam,vt à sanctis viris.¶ Et primo prosequemur de primo. Posuit dominus præceptum soli, vt de singulis diebus ab oriẽte veniat ad occidentẽ,& singulis noctibus reuertatur in orientem,& nunquã præteriit sol illud præceptum.Nõ pigritatur nec de die, nec de nocte, nec æstate, nec hyeme, implere illud præceptum. Quantumcunque laboret in vno die,nihilominus tamẽ summo mane surgit in sequenti die, & tamen nõ expectat talẽ remunerationẽ laboris sui,nec talẽ pœnã negligentiæ suæ,qualẽ homo. Ad hoc videtur habuisse respectum Augu.cum dicit. Indecens est Christiano si radius solis cum inueniat in lecto:posset enim dicere sol si potestatẽ loquẽdi haberet, Amplius laborauri heri, quã tu:& tamen cum iam surrexerim, tu adhuc dormis. ¶ Possumus etiã accipere exẽplum ad detestationẽ acediæ ab eis quæ ex terra nascũtur.Videmus enim herbas & arbores, quæ tã minimum habent initiũ,crescẽdo ad magnã quantitatem deuenire,habent tamen tot aduersantia sibi, vt hyemẽ & aliã aëris intemperiem. Singulis etiam annis aufertur eis labor florũ,& fructuũ,& frondium , & tamen nihilominus opportunitate inuenta operandi operantur:qui videret nuditatem earum in hyeme, vix crederet ꝙ tanta pulchritudine indui possent,nisi idem aliàs vidisset. Qui videret quàm parua arbor sit nucis in initio sui, vix crederet, quòd ad tantam magnitudinem peruenire deberet, nisi simile aliàs vidisset. Non debet igitur pigritari homo, nec diffidere, etsi defectum bonorum in se videt, vel si aliqua sibi resistant. Plus enim potest homo quàm credat.Tali exemplo vtitur domi-

nus Matth.6.dicens:Considerate lilia agri quomodo crescunt.Et subditur:Dico autē vobis,quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. ¶Tertio vero exemplo vtitur Salomon Prou.6.dicens:Vade ad formicam,ô piger,& considera vias eius,& discе sapiētiam:quæ quum non habeat ducem nec præceptorem,nec principem,parat æstate cibum sibi,& congregat in messe quod comedat. Et sunt quinque attēdēda in isto exemplo. ¶Primo paruitas formicæ,quam Salomon proponit quasi magistram homini. Multum enim potest confundi homo quando videt sē tā paruæ scientiæ, quòd à tā paruo animali potest doceri.Vnde multum conari deberet ad addiscendum.Sicut accidit in scholis,quādo aliquis magnus à puero paruo docetur, ex quadam erubescentia deberet ardentius addiscere.Ad hoc potest referri quod dicit Senec.Pudeat ab exiguis animalibus nos trahere mores. Erubescere potest homo, ꝙ tam paruum animal melius morigeratum est quàm ipse.¶Secundo attendendum est quod dicit Salomon:Considera vias eius, & non viam. Vias vocans discursus quos faciunt pro quærendo cibo. Pluries enim in die vadunt ad quærendum frumentum.vnde satis possent erubescere illi homines qui semel in septimana grauantur venire ad sermonem ad quærendum animæ suæ cibum.¶Tertio attendendum est,quòd formica in hoc opere non habet hominem ducem cuius exemplum sequatur,nec præceptorem cuius verbo ad hoc doceatur,nec principem à quo puniatur eius negligentia:hoc tamen omnia ista habet. ¶Quarto attendendum est, quòd ipsa purum granum eligit vt de ipso pascatur. Vnde multum possent in hoc confundi illi,qui spurcitias & immunditias alienorū peccatorum eligunt,vt illis os suum pascant:iuxta illud Prou.16.Os stultorum pascitur imperitia.¶Quinto attendendum est in hoc exemplo, ꝙ formica adeò se onerat frumento, vt interdum videatur minor esse suo onere.In quo possent satis cōfundi illi qui à sermone redeunt vacui,nec vnum verbum reportantes secum. ¶Potest etiam valere ad detestationem acediæ, exemplum eorum qui amant mundum. Si enim respiciamus quot & quantis laboribus, quotidianis cruciatibus ipsi merentur cruciatū æternum,satis poterimus confundi,ꝙ adeò sumus pigri laborare pro regno æterno.vnde August.O si possemus excitare homines, & cum ipsis pariter excitari,vt tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis, quis non vt viueret,continuo perdere vellet vnde viueret,& potius eligeret vitam mendicantem, quàm celerem mortem? Cui dictum est,

est, Nauiga,ne moriaris,& distulit? Cui dictum est, Labora, ne moriaris, & piger fuit? Leuia iubet Deus, vt in æternum viuamus,& obedire negligimus.Ad idem potest adduci quod legitur in Vitis patrum de quodam sancto patre, qui quum vidisset ornatum cuiusdam mulieris,flens inquit, Ignosce mihi omnipotēs Deus, quia vnius diei meretricis huius ornatus, superauit totius vitæ meæ industriæ ornamenta.Et abbas Pambo videns mulierem in Alexandria ad quam descenderat de eremo,fleuit. Et interrogantibus causam sui fletus,ait:Duæ res me mouerunt.Vna de illius perditione: alia quia non habeo tale studium placendi Deo,quale studiū habet ista vt hominibus placeat. ¶Ad detestationem etiā acediæ possunt valere exempla bonorū virorum.Et de multis pauca ponemus.Ait Dauid,Pauper sum ego,& in laboribus à iuuentute mea.Et de sapiēte muliere legitur in fine Prou. ꝙ panem otiosa non comedit. Et Apostolus dicit de se:Plus omnibus laboraui. De Christo legitur Io.4. ꝙ ipse fatigatus ex itinere,sedit super fontem.Et in multis aliis locis in Euangeliis legitur de labore ipsius.Vnde Ber.Quandiu vixero,memor ero laborum quos Christus sustinuit prædicando,fatigationum in discurrendo,tentationum in ieiunando,vigiliarum in orando,lachrymarum in compatiendo.Recordabor etiam dolorum,conuitiorum,sputorum,colaphorum,subsannationum,exprobrationum,clauorum,horúmque similium. Alioquin requiretur à me sanguis iustus qui effusus est super terram.Legitur etiam,ꝙ beatus Arsenius primo Palatinus,postea eremita maximus,quęrentibus à se in quo confideret:Respondit, In hoc, ꝙ homines fugi, aliquandiu tacui,fleui. Potissimè in hoc gaudeo, ꝙ manibus laboraui. Et quædam vidua moriens recusabat sepeliri in camisia sibi data, dicens:Sepeliar in camisia elaborata propriis manibus, & non alienis.Et de beata Virgine legitur Luc.1.ꝙ abiit in montana cum festinatione. Legitur etiam Genes.18. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram,dixítque ei, Accelera,tria sata similæ cōmisce, & fac subcinericios panes.Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum, dedítque puero,qui festinauit &c. De quo verbo loquens Origen.ait: Senex currit,Sara accelerat, puer festinat, nullus piger inuenitur in domo sapientis.

De verbis Sacræ scripturæ quæ laborem suadent,& otium,vel pigritiam dissuadent. CAP. II.

AD detestationem etiam acediæ possunt valere illa verba Sacræ scripturæ quæ suadent laborem vel dissuadent

otium vel pigritiam. vnde Eccle. vlti. Verba sapientum quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi. Stimulus valet contra tarditatem iumentorum: sic verba sapientum contra pigritiam hominum. Et notandum quòd homo laborat quasi contrariis vitiis. Est enim lentus ad bonum, & præceps ad malum. Sed verba sapientum sunt velut stimuli, quando excitant hominem ad bonū. Et sunt velut claui in altum defixi: dum retinent hominem ne se præcipitet in malis. De multis verò verbis quibus suadetur nobis labor & dissuadetur nobis pigritia, pauca ponemus. Ait Hieronymus super illud Ezechie. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, Superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius & filiarū eius. Semper, inquit, est aliquid agendū, ne ager nostri pectoris manu cessante malarum cogitationum sentibus occupetur. Eccle. 7. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem à Deo creatam. Rusticationem Deus creauit, quando Adæ dixit Gene. 3. In sudore vultus tui vescēris pane tuo, vel quum posuit hominem in paradiso voluptatis vt operaretur, vt legitur Geneſis 2. & Eccleſiaſt. 14. Non defrauderis à die bono, & pericula diei boni non te prætereant. Et ibidem: Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos inuenire escam. Hoc manifestum est in diuite epulone, qui apud inferos guttam aquæ non potuit inuenire, quam digito Lazari qui lesus fuerat petiit. Tunc non erat ipse ita indignantis naturæ, sicut in seculo isto fuerat. Adhuc non impetrauit ille guttam illam aquæ, & tamen pluſquam mille anni transierunt ante quos petiit. Item Eccleſiaſt. 9. Quodcunque potest facere manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia apud inferos est, quò tu properas. Apud inferos non est opus, sed merces operis. Nec ratio quia nihil prosunt ibi artis argutiæ. Nec sapientia, nec scientia sunt ibi ad excusationem vel defensionem, sed potius ad accusationem. Seruus enim sciens voluntatem domini sui & non faciens, vapulabit plagis multis. Item Eccleſia. 11. Mane semina semen tuum, & vespere non cesset manus tua. Et Apostolus 2. ad Timot. 4. In omnibus labora, opus fac Euangelistæ. Item 2. Theſſalo. 3. Si quis non vult operari, non manducet. Ideo dedit dominus diuersa membra homini, vt ex omnibus ei seruiret, vnde quandoque debet homo seruire Deo ore, cantādo: quandoque manu, scribendo, & sic de cæteris membris. Item ad Galatas 6. Bonum facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus non deficientes. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Et Eccleſiaſt. 9. Ne

Ne acedieris in vinculis eius. & loquitur de sapientia. Vincula sapientiæ sunt diuina præcepta quibus ligatus est homo, qui ex morsu pomi prohibiti quasi venenati incidit in spiritualem insaniam. Cuius insaniæ sunt hæc signa, quòd mente quasi aliena loquitur, fatua cogitando, quòd gaudet inde vnde flendum esset. vnde Prouer. 20. Stultitia est gaudium stulto. Et Aug. dicit super Io. Risum talium, risum esse phreneticorum. Signū etiam huius insaniæ est hoc, quòd homines exquirunt pericula quibus se perimant. Vnde Prou. 27. Cor iniqui exquirit mala. Sicut occultos laqueos vsuræ vel simoniæ quibus se perimat. Item in Psalm. Labores manuum tuarum quia manducabis &c.

Quantum peccatum acediæ Deo displiceat. CAP. III.

TErtio potest valere ad detestationem acediæ, si ostendatur quantum hoc peccatum Deo displicet, diabolo placet, & hominibus nocet. Quantum Deo displiceat, potest ostendi primo ex illo verbo Apoc. 3. Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus nec calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Calidus est, qui feruens est ad bonum. Frigidus est, qui simpliciter desistit à bono. Tepidus verò est, qui medio modo se habet. Et dixit glo. interlin. quòd maior spes est de frigidis quàm de tepidis. Cuius rei hæc est causa, quòd tepidi quandam fiduciam & securitatem accipiunt de hoc, quòd aliquid boni agunt, & ideo se non corrigunt. Tepidus verò de ore Dei euomitur, qui prædicatores in quibus Deus loquitur, de consortio sanctorum remouet per excommunicationem: vel tunc tepidus euomitur, quando in deteriora præcipitatur, vel quando impœnitens moritur. De hac tepiditate dicit Hieronymus: Tepiditas sola est, quæ solet Deo vomitum prouocare. ¶ Quòd autem acedia multum Deo displiceat, potest iterum ostendi per hoc, quod legitur Luc. 15. vbi sic habetur: Dico vobis, quòd maius gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia. quod exponit Gregorius, de iustis illis qui desidiosè se habent, & de peccatore feruente ad pœnitentiam, vnde dominus feruentem peccatorem nonagintanouem iustis acediosis præponit. Sicut dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reuersus hostem fortiter premit, quàm eum qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit. Plus amatur ager qui post spinas & tribulos fructus vberes reddit, quàm ille qui spinas & tribulos nunquam tulit, & semper sterilis extitit. Ad idem ostendendum induci potest, quod legitur Lucæ 13. de ficulnea fru-

ctum non faciente, Succide illam. Vt quid etiam terram occupat? Et quod dicitur Matth. 15. Tollite ab eo talentum.& loquitur de seruo pigro. Et subditur: Et inutilem seruum illũ eiicite in tenebras exteriores. Et Matth.3. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur,& in ignem mittetur.

¶ Quòd peccatum acediæ multum placet diabolo.

QVOD autem hoc peccatum multum placet diabolo, potest ostendi ex hoc, quod legitur Iob 40. Circũdant eum salices torrentis. Per torrentem cuius aquæ citò deficiunt, intelligitur volu ptas præsens quæ citò finietur. In qua diuites huius seculi plantati sunt velut salices, quæ sunt arbores infructuosæ, & humi modi salices circundant diabolum quasi faciendo ei vmbram. In hoc verò, quòd homines qui nihil faciunt, salices vocantur, insinuatur quanta sit fatuitas eorum qui se meliores aliis iudicãt, & honorabiliores, quia nihil faciunt. Similis enim fatuitas est, ac si aliquis diceret. Salices amygdalinis arboribus prævalere, eo q sterile sunt. Ad ostendendum etiam quantum hoc peccatum placeat diabolo, potest adduci, quod legitur Iudic.1 de Adonibezech, qui amputauerat LXX. regibus manuum ac pedum summitates. Adonibezech interpretatur, dominus fulgurãs, qui amputat illis qui habent regere alios summitates manuum ac pedum, dum procurat vt tales ad opera vtilia sint quasi impotentes. qui habet summitates manuum ac pedũ amputatas, inutilis est quo ad vsum membrorum istorũ, etsi membra ista habeat. Sic multi ad vtilia opera sunt impotentes, sed ad inutilia vel nocia potentiã habent. Ad idẽ ostendendũ valet, quod legitur Matth. 12. de immundo spiritu, q inueniens domũ à qua exierat vacantem, vadit & assumit septem alios spiritus nequiores se, & intrantes habitant ibi. & eiusdem 8. legitur de dæmonibus, q dixerunt domino, Si eiicis nos hinc, in gregẽ porcorum mitte nos. Porci sunt qui nihil faciunt, nisi quod voluptati corporis deseruiunt, qui sunt quasi proprium hospitium dæmonum. In acediosis habet diabolus quasi hospitium quietis. vnde Iob 40. dicitur dormire in secreto calami. Calamus qui vacuus est, figurat hominem vacantem & otiosum, in quo diabolus quiescit & dormit.

¶ Quantum acedia noceat proprio subiecto, & quòd ipsa repleat hominem malis pœnæ.

SEQVITVR videre qualiter noceat peccatum acediæ homini. Nocet autem ei mala inferendo tam pœnæ quàm culpæ, & plurima bona auferendo, & primo ostendemus quomodo hominem repleat malis pœnæ: mala verò pœnæ tria sunt paupertas, vilitas, & afflictio siue dolor. Quòd paupertas peccatum acediæ sequatur, manifestum potest esse ex his verbis scripturæ quæ sequuntur. Prouerb. 20. Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Item Prouer. 10. Egestatem sibi operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat. Et 28. Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui verò sectabitur otium, replebitur egestate. & 23. Vestietur pannis dormitatio. & 24. Vsquequo piger dormies? vsquequo de somno consurges? Paulum inquam dormies, modicum dormitabis, paululum conseres manus, vt quiescas: & veniet tibi quasi cursor egestas tua, & mendicitas quasi vir armatus. Paupertas modo quasi inermis est, & quasi lẽtè incedit, ideo multi fugiunt eam, vel resistunt ei, sed in futuro erit quasi armata, vt homo non possit ei resistere, & veniet quasi cursor vt homo non possit eam effugere. & Prouer. 21. Cogitationes robusti semper in abũdantia: omnis autem piger semper in egestate est. & Eccle.10. In pigritiis humiliabitur cõtignatio, & in infirmitate manuum perstillabit domus. Tigna vocantur ligna illa quæ vulgariter dicuntur capiones, eò quòd se mutuo capiunt. vnde domorum contignatio, est coniunctio quæ fit in superiori parte tecti, quam pigri ex pigritia permittunt humiliari. Hoc enim proprium est pigri non subuenire periculis tempore opportuno. ¶ Quòd verò vilitas sequatur peccatum acediæ, manifestum potest esse ex his verbis scripturæ quæ sequuntur. Ecclesia. 22. In lapide luteo lapidabitur piger, & omnes loquentur super asperitate ipsius. Itẽ in eodẽ: De stercore boum lapidãdus est piger, & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus. Tunc piger lapide luteo lapidatur, quando increpatione dura & conuitiis plena increpatur. Omnis, qui eũ tetigerit, manus excutiet, quia onerosus est hominibus, & libenter homines se expediunt ab eo. Itẽ Prou.10. Qui cõgregat in messe, filius sapiẽs est: qui autem sterterit æstate, filius confusionis est. Messis in qua colligẽdus est cibus spiritualis, est doctrina. Vnde Prouer. 24. In doctrina replebuntur cellaria vniuersa substantia pretiosa atque pulcherrima. Vel messis potest intelligi præsens vita, in qua merita colligenda sunt. ¶ Quòd autem afflictio sequatur peccatũ acediæ, potest ostendi primo ex hoc, q acediosus est quasi totus famelicus. Eò enim, q vacat & vacuus est, quasi totus esuriẽs est. Omnes sensus eius esuriunt, vt aures eius esuriunt rumores, visus vanitates, tactus & gustus voluptates carnales. Vnde Prou. 21. Desideria occidunt pigrum. Noluerunt enim quicquã manus eius ope-

rari, tota die cõcupiscit & desiderat. Acedioſus laborat paralyſi ſpirituali. vnde non eſt mirũ ſi affligatur, & eſt figuratus per paralyticũ illũ de quo dicit Centurio Mat. 8. Puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Qui torquetur laborando, bene torquetur, quia vtiliter torquetur. Sed qui torquetur quieſcẽdo, male torquetur, quia inutiliter. Acedioſus eſt in tædio vitæ. Vnde habet quandam triſtitiam quæ ad modum vermis corrodit cor eius. vnde Pro. 25. Sicut tinea veſtimento, & vermis lignos ſic triſtitia nocet cordi. Seneca: Traditione bonarum artium occupandi ſumus, quoties male habet inertia impatiens ſui.

¶ *Quomodo acedia repleat hominem malis culpæ.*

SEQVITVR videre quomodo acedia repleat hominem malis culpæ. Hoc autem primo poteſt oſtendi ex illo verbo Prouerb. 24. Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidũ deſtructa erat: quod cùm vidiſſem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinã. Sicut ager ſpinas profert & tribulos, & cætera inutilia, niſi vtilibus ſeminatus fuerit, ſic homo ſpinas & tribulos germinabit vitiorum, niſi vtilibus occupationibus ſe repleuerit. Vnde Bern. Hæc maledictio Adæ, & in terra laboris noſtri, & in agro cordis & corporis noſtri, vt noxia vel inutilia gratuito paſſim prouenient: vtilia verò vel neceſſaria cum labore. Poteſt etiam idem oſtendi multis aliis exemplis. Corrumpitur enim aqua quiete. vnde Poeta: Et cæpiunt vitium, ni moueantur aquæ. Vinum ex ſe etiam fæces generat: & niſi à fęcibus illis mundetur, totum corrumpitur. Idem accidit in homine. vnde Iere. 48. dicitur de Moab: Requieuit in fæcibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in tranſmigratione non abiit. Ideirco permanſit guſtus eius in eo, & odor eius non eſt immutatus. Sapor corruptus & odor prauus non recedit à vino, ſi ſupra fæces remanſerit, imo interdũ totaliter corrumpitur. Idem accidit de acedioſo, qui totus quaſi acidus & acetoſus efficitur. Adeò enim corrumpitur, vt bona ei diſpliceant, quæ debeant ſibi placere. Homo in præſenti vita eſt ſimilis illi qui eſt in flumine impetuoſo, qui in vno loco ſtare nõ poteſt, & niſi ad ſumma conetur, ad ima labitur. Eò enim quòd omnis homo ex nihilo eſt, ad nihilũ tendit, & ad nihilum culpæ, & etiam ad mortem. Vnde niſi conetur progredi & proficere, regreditur & deficit. vnde Bern. In via vitæ non progredi, regredi eſt, quum nihil adhuc in eodem ſtatu permaneat. Homo ſimilis eſt cuidam plurium dominorũ, inter quos ille, qui remiſſior eſt, totũ amit-

tit, alius enim paulatim aufert ei ius ſuum. Si ſpiritus remiſſus fuerit, caro quæ aduerſus eum concupiſcit quotidie aliquid acquirit ſuper ſpiritũ. vnde Prou. 12. Manus fortium dominabitur: quę autem remiſſa eſt, tributis ſeruiet. Pãnus candidiſſimus quaſi imperceptibiliter niger efficitur, vnde frequenter ablutione indiget. Manus etiam corporis quaſi inſenſibiliter poſt ablutionem ſordidæ efficiuntur, vnde frequenter in die lauari oportet. Sic niſi homo frequenter ſe lauet à ſordibus ſpiritualibus, illis repletur. Negligentia igitur & acedia hominem replent malis culpæ. Homo ad modum vineæ putatione indiget, & non ſemel tantum, ſed frequenter: ſicut oſtendit Bernard. ſuper illud Cant. 2. Tempus putationis aduenit, dicens: Quis ita ad vnguem omnia à ſe ſuperflua reſecauit, vt nihil ſe habere putet putatione dignum? Credite mihi, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccendunt extincta, & ſopita denuò excitantur. Patet ergo ſemel putaſſe. Sæpe putandum eſt, imò ſi fieri poſſit ſemper: quia ſemper, quod putari oporteat, ſi non diſſimulas inuenis, quantuncunque in hoc corpore manens profeceris. Erras ſi vitia putas emortua, & non magis compreſſa, velis nolis in ter fines tuos habitat Iebuſæus. Subiugari poteſt, ſed non exterminari. vnde in tanto diſcrimine conſilium eſt obſeruare diligenter, & mox vt renaſcentium vitiorum capita apparebunt, promota ſeueritate ſuccidere.

¶ *Quomodo acedia auferat homini bona gloriæ, gratiæ & naturæ.*

AD hoc oſtendendum adduci poteſt, quod legitur Matth. 25. de ſeruo pigro: Tollite ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit, & qui non habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Et qui non habet ſtudium vel voluntatem operandi, ſæpe aufertur facultas. Iuſto enim Dei iudicio fit, vt ille qui non vult bene operari quum poſſit, poſtea non poſſit quum velit. Et Lucæ 19. dicitur ſimiliter de ſeruo pigro: Auferte ab illo mnam. Et ſubditur: Dico vobis quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet (ſupple, voluntatem operandi) & quod habet auferetur ab eo, ſcilicet facultas. ¶ Aufert autem acedia homini bona gloriæ, bona gratiæ, & bona naturæ. Bona gloriæ aufert, quia illa promittuntur ſolis ſtrenuis & vigilantibus. Vnde Luc. 12. Beati ſerui illi quos quum venerit dominus, invenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget ſe, & faciet illos diſcũbere, & tranſiens miniſtrabit illis. Et Matt. 11. Regnum cælorũ vim patitur, & violenti rapiunt illud. Econtrario acedioſi

&

& pigri amittunt illud. Super quod verbum dicit glo. Grandis violentia est in terra nasci,& cęlum capere,& habere per virtutem quod per naturam non possumus. Non est verisimile quòd accedios⁹ talem violentiam cælo faciat. Accedios⁹ adeò lentè incedit quòd in cælo locum suum amittit. Aufert etiam accedia bona gloriæ. vnde Gregor. Nemo in huius vitę itinere torpeat,ne in patria locum perdat. Idem: Iustus vt cælestia capiat, cauet ne inanis dies eat. ¶ Quòd autem acedia bona gratiæ auferat, potest ostendi ex hoc,quòd gratia Spiritussancti est sicut ignis, qui non potest esse otios⁹. Definit enim esse, si desinit agere. Sic gratia Dei quandoque amittitur, quia homo ex ea non operatur, vnde super illud Ioan. 13. Qui non diligit me,sermonē meū nō seruat, dicit Greg. Nūquā est Dei amor otios⁹. Operatur enim magna si est: si autē operari renuit,amor nō est. vnde Apostolus 1. Corin. 15. Gratia Dei in me vacua non fuit. Nec solum gratiā aufert homini acedia,sed etiam fructum qui à gratia deberet procedere: sic aufert totam vtilitatem huius vitæ,quod non est paruum damnum. vnde Bern. Quàm mitius me priuares,ô amara mors,vitæ vsu,quàm fructu: nam vita sine fructu,grauior mors. Denique duplex damnum paratur ligno infructuoso, securis, & ignis. ¶ Auffert etiam acedia bona naturæ. Naturale enim ingenium & cętera bona naturalia,deteriorat. Etsi nullū aliud dānū faceret acedia homini nisi de amissione tęporis,nō parū dānificaret hominem.

¶ De octo quæ valere possunt ad temporis conseruationem.

Sed multi sunt qui damnum istud non reputāt. Ideo agendum hic de his quæ deberent mouere homines ad temporis conseruationem. ¶ Et sunt octo quæ valere possunt ad hoc. ¶ Primo possunt valere ad hoc verba scripturæ, quibus monemur ad temporis conseruationē. Sicut est illud Eccl. 4. Fili conserua tempus, & declina a malo. Et illud Prou. 5. Fili, ne des alienis honorē tuum & annos tuos crudeli. Fatuus est qui rē ita pretiosam sicut est tempus dat hosti suo crudeli, expendēdo illud in seruitiū dæmonum. ¶ Secundo possunt valere ad hoc exępla creaturarū, quę quodammodo videntur tempus considerare quantum possunt. Accepto enim opportunitate operandi operantur, nec permittunt tempus vacuum transire. Vnde Eccle. 3. Omnia tempus habent. ¶ Tertio debet mouere hominem ad temporis conseruationem ipsa natura tęporis. Tempus enim breue est,& velociter trāsit: & postquam transierit, recuperari non potest. Ad primum pertinet quod legitur Iob. 14. Breues dies hominis sunt. Et debemus intelligere brevitatem istā respectu vitæ æternæ, cui debemus prouidere tempore

isto. De breuitate etiam ista tāgitur in Psal. vbi dicitur: Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna quæ præteriit. De hac etiā breuitate dicit Senec. Si multū ætatis esset, parcè dispensandum erat vt sufficeret necessariis. Nunc quæ dementia est superuacua discere in tęporis egestate? De velocitate verò legitur Iob 7. Dies mei velocius transierunt. Et Seneca: Infinita est velocitas temporis. Pūctum est quod viuimus & puncto minus. Item Iob 9. Dies mei velociores cursore fuerunt. De irreuocatione temporis, dicit beatus Bernar. Non parum æstimes tempus quod in factis vel in dictis expenditur otiosis. Volat enim irreuocabile verbū, volat tępus irreuocabile, nec aduertit insipiens quid amittat. ¶ Quarto potest valere ad hoc pretiositas temporis. De qua Bernard. Nihil pretiosius tempore: sed heu nihil hodie vilius reputatur. Ostenditur autem pretiositas temporis tripliciter. Primo, per hoc quòd possessio temporis valde rara est, quantum ad hoc quòd vnicū tępus est semper, sicut de phœnice dicitur, quod est phœnix vnica semper auis. vnde quum omne rarum pretiosum sit, valde pretiosum debet esse tempus. Secundo ostenditur ex hoc, quòd alicui locus est in quo plus amaretur vna hora tęporis ad agendam pœnitentiam, quàm tanta massa auri quantus est totus mundus. Locus ille infernus est. Tertio ostenditur ex hoc quòd in vna hora temporis potest homo promereri dimissionem pœnæ æternæ, & peccatorum suorum remissionem, Dei gloriam & æternam gloriam. ¶ Quinto potest valere ad hoc, si consideramus nos debitores esse totius temporis nostri. Nec debemus etiam illud soli creditori, sed pluribus. Fatuus enim est, qui multis debitis obligatus est, si prodigè expendit. Debita nostra ostendit nobis beatus Bernard. dicens: O si cognouisses quàm multa & quàm multis debeas, videres quod nihil est quod facis. Primo, Christo debes omnem vitam tuam, quia ipse pro tua pomeam, vt faciam fructus dignos pœnitentiæ, & recogitē omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quid si tertium debitorem ostendam, qui eam vendicet sibi? Puto quòd desideres gloriam quam oculus nō vidit. Nonne ad hanc emendam, totum te & quodcunque poteris dare oportebit? Et cùm omnia compleueris, non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. ad Rom. 8. Quarto debitori debes totum quod es, à quo totum habes, qui te fecit & benefecit: & cuncta ministrat cui horum proponis reddere quod debes. ¶ Sexto deberet hominem mouere ad conseruationem tem-

poris

poris hoc, quòd oportebit districtam rationem de eo reddere co-
ram Deo. Omne enim tempus tibi impensum requiretur à te qua-
liter sit expensum, sicut dicit beatus Bernard. Et sicut capillus non
peribit de capite: ita nec momentum de tempore peribit. Vnde
Psalm. Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Et Thren. 1.
Vocauit aduersum me tempus, vt conteret electos meos. Bene-
cium temporis multum erit aduersus homines, etiam aduersus
eos qui boni videntur esse. Valde enim ingrati apparebunt illis
quibus Dominus tantum beneficium dabat singulis momentis,
quantum est beneficium temporis, qui tanto beneficio non cō-
fuerunt ab impugnatione ipsius. ¶ Septimo deberet homines
mouere ad idem hoc, quòd tempus quodam speciali modo est nō-
stra possessio. vnde Sene. Reliqua à nobis aliena sunt, tempus tan-
tum nostrum est. Tali modo tempus nostrum est: quòd si tempus
amittimus, quodammodo nosmetipsos amittimus: qui medieta-
tem sui temporis amisit, quodammodo dimidium se amisit.
¶ Octauo debet mouere nos ad temporis conseruationem hoc,
quòd temporis amissio quædam mors est. Est enim amissio vitæ.
vnde Sene. Quem mihi dabis qui aliquod pretium tempori po-
nat, qui intelligat se quotidie mori? Idem: Quotidie morimur,
quotidie enim demitur aliqua pars vitæ. Et tūc quoque cùm cre-
scimus, vita decrescit: quemadmodum clepsidra non extremum
stillicidium exhaurit, sed quicquid antè defluxit: sic vltima hora
quæ esse desinimus, non solum mortem facit, sed sola consum-
mat. Et conseruatio temporis in hoc attenditur, vt in Dei seruitio
expēdatur: & sic ex tempore quodammodo summato æternitas
in futuro colligatur. Illi verò qui prodigè tempus expendit, frē-
quenter accidit, quòd citius tempus amittat. Viri enim impij me-
dimidiabunt dies suos. Et implebitur in eo illud Eccl. 29. In tem-
pore redditionis postulabit tempus.

De aliis sex quæ valere possunt ad detestationē acediæ. CAP. VII.

PRæter prædicta sunt sex alia quæ possunt valere ad detesta-
tionem acediæ. ¶ Primū est hoc, quòd ipsa inquinat pulchrio-
rem partem ecclesiæ, scilicet viros contemplatiuos. Et est mirum
quòd illi sunt magis acedioſi, qui minus esse debuerūt. Viri enim
contemplatiui, quorum esset non solum currere, sed volare (nā
enim spirituales sunt) ad modum testudinum lentissimè incedūt.
vnde iam non potest dici de illis illud verbum Esa. 40. Qui sicut
isti qui vt nubes volant? sed velut mortui immobiles stant. Vn-
de necesse habent frequenter orare, exemplo Dauid, vt in
Domini viuificentur, & vt pennæ columbæ eis dentur, vt vo-

possint & requiescant. ¶ Secundo potest valere ad detestationem
acediæ hoc, quòd ille qui hoc vitio à diabolo capitur, ignominio-
sius capitur cæteris peccatoribus. Sola enim ignauia capit eum,
& quandoque solus timor. vnde Prouer. 18. Pigrum deiecit ti-
mor, & animæ effœminatorum esurient. Multum posset eru-
bescere ille quem solus timor deiecit de equo virtutum, cùm
timor non sit nisi quædam pictura terribilium. Præterea cùm ti-
mor sit de malo futuro, ille quem timor vincit, quodammodo
vincitur ab hoste qui nondum est, sed futurus, & quandoque
etiam futurus non est. vnde Sene. Illud tibi præcipio, ne sis miser
ante tempus. Illa quæ velut imminentia expauisti, fortassis nur-
quam ventura sunt. ¶ Tertio potest valere ad detestationem ac-
diæ hoc, quòd homo acedioſus valde ignominioſe detinetur
captus. Non enim ligatus est vinculis ferreis, imò nec stupeis,
sed potius nullis. Sola enim desidia detinetur: nec habet ali-
quem carcerem quo claudatur, vel custodes quibus custodia-
tur, nisi prout summat. vnde Prouerb. 15. Iter pigrorum quasi
sepes spinarum. Homini pigro videtur quòd viæ sibi spinis clau-
sæ sint, & quòd nullo modo fugere possit de manibus diaboli.
Videtur sibi quòd si cōuertatur ad Dominum, statim debeat mo-
ri. vnde Gene. 4. dicit Cain: Omnis qui inuenerit me, occidet me.
Idem legitur Prouer. 22. Dicit piger, Leo est foris, in medio pla-
tearum occidendus sum. Et 26. Dicit piger, Leo est in via, in iti-
neribus leæna. Mirum est quare ita timēt pigri cōuerti ad Domi-
num, cùm videant eos qui ad Dominū conuertūtur, diutius viuē-
re, & pulchriores esse. ¶ Quarto potest facere ad detestationē ace-
diæ hoc, quòd vitiū istud solum vel maximè homines infestat &
impugnat, quando sunt in seruitio Dei. vnde partem Dei nititur
ei auferre, nec parum deteriorat eā: quāòque enim efficit vt Psal-
teriū vnū cū fastidio & acedia dictū minus sit gratū Deo, quàm
psalmus vnus cum deuotione & hilaritate dictus. vnde Hierony.
Malo psalmū vnū cū hilaritate mētis decātare, quàm totum psal-
teriū cum fastidio & torpore & acedia. ¶ Quinto potest valere
ad detestationē acediæ hoc, quòd acedia est valde grauis infirmi-
tas. Tria autē faciūt ad grauitatē istam. Primum est hoc quòd illi
qui laborant hac infirmitate, nesciunt se infirmos esse: vnde se sa-
pientes esse reputant, & alios iudicant. Ideo dicitur Prou. 26. Sa-
pientior sibi videtur piger, septem viris loquentibus sententias. Pe-
riculosa verò solet esse infirmitas quæ non agnoscitur, quia eius
remedium non quęritur. vnde Bernard. Scio longius a salute abs-
stere membrum quod obstupuit, & ægrum sese non sentientem

peric

periculosius laborare. Secundo facit ad grauitatem huius infirmitatis eius prolixitas. Est enim acedia velut febris lassa. Vnde de illa potest intelligi quod dicitur Eccles.10. Langor prolixior grauat medicum. Tertio facit ad grauitatem huius infirmitatis hoc, quòd reddit hominem impotentem ad operandum. vnde significatur per paralysim Matth.8.& Matt.9. per ariditatem manus. Matth.12. vbi legitur sic, Et ecce homo habens manum aridam &c. Acediosus manum dexteram aridam habet, sed non sinistram: quia impotens est ad bene operandum, sed non ad male operandum. vnde Zachar.11. dicitur de malo pastore: Brachium eius ariditate siccabitur, & oculus eius dexter tenebrescens obscurabitur. Tunc oculus dexter obscuratur, quando pastor ad spiritualia cæcus efficitur. Acedia est velut febris illa quæ dicitur etica, quæ prouenit ex consumptione naturalis humiditatis. Sic acedia ex defectu humoris gratiæ. Sexto potest valere ad detestationem acediæ hoc, quòd acediosus iniquus est in Deum: quia defraudat eum in lucro talenti quod ei commisit. Iniquus est in proximũ, & quia eum scandalizat, & quia defraudat eum in hoc quòd vult comedere & bibere sicut & ipse, & tamen non vult laborare sicut ipse. In seipsum etiam iniquus est quia hostes suos nutrit à quibus perimatur, scilicet vitia.

De diuersis generibus peccatorum quæ ad hoc vitium pertinent,

PARS II. *quæ habet* XVII. *capitula.*

De tepiditate & malis quæ in homine tepiditas facit. CAP. I.

DIcto de his quæ faciunt ad detestationem acediæ, consequenter dicendum est de diuersis speciebus vitiorum, quæ ad acediam pertinent. Videntur autem ista xvj. vitia ad acediam pertinere, Tepiditas, mollities, somnolentia, otiositas, dilatio, tarditas, negligentia, imperfectio siue imperseuerantia, remissio, dissolutio, incuria, ignauia, indeuotio, tristitia, tædium vitæ, desperatio. ¶ Tepiditas est paruus amor boni. Et videtur ista tepiditas prima radix in peccato acediæ, & ex hac videntur nasci cętera vitia enumerata. Facit autẽ tepiditas multa mala in homine. ¶ Primo Deo vomitũ prouocat, vt prius ostẽsum est. Tepidus à Deo euomitur, quum in deteriora labi permittitur, vt impœnitens moritur. ¶ Secũdo fiduciã tẽtãdi & accedẽdi diabolo præstat. De multis enim vitiis tentat diabolus hominẽ tepidum de quibus non auderet tentare hominem feruentem. vnde de authoritas, Ollę feruenti muscę non insident. Tertio reddit hominem quasi impotentẽ & contractum: vt patet in illis qui cum valde fortes sint, nõ possunt sextam partem pœnitentiæ facere quam fecit vetula vna, quod accidit propter tepiditatem, scilicet quia paruum habent desiderium agendi pœnitentiam, vnde Bern. Forsitan ideo non possumus, quia non multum volumus. Tepiditas etiam facit vt homo petat, & non accipiat. Accidit enim ꝙ aliquis x x. annis non accipit quod in oratione petit, quia petit tepidè, quod alius qui feruenter peteret, vna die impetraret. vnde Aug. Seruat tibi Deus quod nõ vult cito dare, vt & tu discas magna magnè desiderare. Tepiditas etiam facit vt homo sempugnet nec vnquã vincat, nec illã sublimẽ promissionẽ vincẽtiũ vnquã accipiat, quæ habetur Apo.2. Vincẽti, inquit dabo mã na' absc̃ditũ. Tepidus autẽ adeo remisse agit, ꝙ nunquam peruenit ad retributionem, quæ est in custodia mandatorũ. Quæ tanta est ꝙ non potest dici sicut dicit glos. super illud, In custodiendis illis retributio multa. Tepidus similis est homini auaro, de quo dicitur vulgariter, quòd tantum expendit quantũ largus, & tamẽ nõ habet inde gratiã, nec mercedẽ, quia pro modico multam perdit. Tepidus semper seminat in prȩsenti vita, & nũquã metit, quia ad pacẽ animi nõ peruẽnit. Ideo dicit beatus Ber. cõtra tepiditatẽ istã: Si incipis, incipe perfectè, si imperfectus es, hoc iã perfectè age: si perfectionis aliquid attigisti, teipsum in temetipso metire.

De mollitie. CAP. II.

SEquitur de mollitie quæ est impatientia rei duræ. De qua legitur Prouerb.18. Qui mollis est & dissolutus in opere suo, frater est suæ operæ dissipantis. Mollis est ille qui cedit duris, id est, tribulationibus succumbit. Vnde quando in opere inchoato aliquod durum occurrit, ipse ab opere desistit, & talis frater est suæ operæ dissipantis. Idem enim est acsi ea dissiparet. Mollities ista est velut quædam culcitra, in qua diabolus in homine quiescit. Homo etiã mollis est velut homo viuens, qui ad ignem tribulationis quasi liquefit, & ad nihilum redigitur. Ad quantam miseriam deuenturi sint qui molles sunt, insinuatur Deut.28. vbi sic legitur: Homo delicatæ vitæ & luxuriosus valde inuidebit fratri suo, & vxori quæ cubat in sinu suo, ne de eis det carnibus filiorum suorum quos comedet, eò quòd nihil habeat aliud, & paulò pòst: Tenera autẽ mulier & delicata, quæ super terram ingredi non valebat, nec pedis vestigium figere, propter mollitiem & teneritudinem nimiã inuidebit viro suo, quę cubat in sinu suo super filij & filiæ carnibus. Sũmũ remediũ contra mollitiem istã est ignis Spiritussancti, qui lutea cõsolidat: valet etiam contra istam mollitiẽ assuetudo durorum. vnde Bern. Rusticus duros habet neruos, fortes lacertos. Exercitatio hoc fecit, sed

cum corpore molleſcit. Diſſolutus poteſt vocari in verbo propoſito qui mollis eſt, & qui nullo amore ligatus eſt ad opus bonũ, vel qui paralyticus eſt. Paralyſis enim diſſolutionem ſonat.

De ſomnolentia, vbi ponuntur duo exempla quæ valent contra eos qui nomine contemplationis palliãt pigritiã ſuam. CAP. III.

SEquitur de peccato ſomnolentiæ, quod ad acediam pertinet. Quia ſicut legitur Prouerb. 19. Pigredo immittit ſoporem, quod poteſt intelligi de ſopore contemplationis, & de ſopore corporis. Somnum contemplationis pigredo immittit illos qui nomine contemplationis palliant pigritiam ſuam, nolentes operari aliquid. Contra quos poſſunt valere hæc duo exempla quæ ſubiungimus. ¶ Legitur in vitis patrum, quòd quidam peregrinus venit ad abbatem Syluanum in montem Sinã. Et cùm videret fratres operantes, dixit: Quare operamini cibũ qui perit? Maria enim optimam partem elegit &c. Tunc fecit ei dari codicem vt legeret, includens eum in cellula. Cùm igitur tranſiſſet hora nona circonſpiciebat ille vtrum quis vocaret illum ad cibũ: & veniens ad ſenem interrogauit vtrũ fratres comediſſent. Cui reſpondit ſenex: Tu homo ſpiritualis es, & non neceſſe habes hanc eſcam. Nos autẽ tanquã carnales comedimus, & ideo operamur. Quod cùm audiſſet, cœpit pœnitere. Cui abbas: Ergo neceſſaria eſt Martha Mariæ. Itẽ abbas Ioãnes dicebat fratri ſuo maiori: Vellẽ ſemper eſſe ſecurus ſicut angeli ſecuri ſunt, nihil operãtes, ſed ſine intermiſſione Deũ collaudantes. Et proiecto pallio ſuo intrauit in eremũ. Et poſt ſeptimanam redit eſt, & pulſauit ad oſtiũ fratris ſui, qui queſiuit, Quis es tu? ille reſpõdit, Ego ſum Ioãnes. Et frater dixit: Ioãnes angelus Dei factus eſt, & vltrà inter homines nõ eſt. Ille autẽ pulſabat, dicens quia ego ſum. & nõ aperuit, ſed dimittit eũ affligi. Tandẽ aperiens ei, dicẽs, Si homo es, iterũ habes neceſſe operari, vt viuas. Si autem angel⁹, quid queris intrare in cellã? Et ille ſtatim pœnitẽtiã egit.

¶ *De ſomno corporis.*

DE ſomno verò corporis ſatis planum eſt, quia pigredo immittit eũ. Multi enim ex pigredine conantur ad dormiendum cùm tamen dormire non poſſint. ¶ De ſomno verò corporis præſens tria oſtendemus. Primo, oſtendemus ea quæ ſunt repræhẽſibilia circa ſomnũ. ¶ Secundo, ea quæ deberent homines cohibere à nimietate ſomni. ¶ Tertio, quæ ſint neceſſaria ad hoc quòd aliquis dormiat prout debet.

¶ *Quinque reprehenſibilia ſunt circa ſomnum corporis.*

QVINQVE verò reprehenſibilia ſunt circa ſomnũ. Primo nimietas ſomni: ad, quod pertinet illud Prou. 33. Vſquequo piger dormis? ¶ Secundo, reprehenſibilis eſt circa ſomnum brutalitas: videlicet quando aliquis dormit vt porcus, vnde Ber. Carnalis ſomnus & brutalis: & ſicut dicitur Ietheus abominandus eſt ſeruo Dei. Idem: Caue inquantum potes ſerue Dei, ne ſit ſomnus tuus vt requies laſſi, ſed ſepultura corporis ſuffocati. ¶ Tertio, reprehenſibilis eſt triſtitia in ſurgendo à ſomno. vnde Eccl. 32. Hora ſurgendi non te triſtet. ¶ Quarto, reprehenſibilis eſt pigritia in ſurgẽdo à ſomno. vnde Ec. 29. Sicut oſtiũ vertitur in cardine ſuo, ita piger in lecto ſuo. ¶ Quinto reprehẽſibilis eſt circa ſomnũ inoportunitas ſomni: vt quãdo aliquis dormit quando nõ eſſet dormiendũ, vt in tempore orationis. Cõtra illud 1. Pet. 4. Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus. vel cùm aliquis obloquitur qui narrat ſtulto ſapiẽtiã. Si ſtultus nõ habuiſſet voluntatẽ dormiẽdi per duos dies: tamẽ tẽpore lectionis vel ſermonis dormiret. Tempus etiã in quo dormiendũ nõ eſt, tẽpus matutinũ eſt. Illud enim tempus nõ eſt ſomno occupãdum: quia valde vtile eſt & ſtudio, & orationi, & diuinæ laudi, & Dei conſolatio frequentius tempore illo recipitur. ¶ Ad primũ pertinet quod dicitur in Pſ. Mane aſtabo tibi &c. Et ad ſecundum pertinet quod legitur Iob 8. Si diluculo conſurrexeris ad Deum, & omnipotentem fueris deprecatus, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet habitaculum tuum. Et Sap. 16. Oportet præuenire ſolem ad benedictionem tuam, & ad ortum ſolis te adorare. Primo pauperi qui eis occurrerit, conſueuerunt diuites dare: ſic dominus libẽrius eos exaudit, qui mane valde orant eum. Ad hoc autẽ quòd matutina hora ſit idonea ad laudandum Deum, pertinet illud quod legitur Iob 38. Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina, & iubilarent omnes filij Dei. Aſtra matutina ſunt viri contemplatiui, qui horis matutinis præcipuè laudãt Deũ. Ad hoc verò quòd conſolatio Dei matutinis horis præcipuè recipiatur, pertinet illud Iob 7. Viſitas eũ diluculo. & illud Eſa. 26. De mane vigilabo ad te. & Exod. 16. Filij Iſraël colligebant manna hora matutina. Ad ſignificandum, quòd tunc dulcedo Spiritusſancti colligenda eſt. Sicut corporum amatores ſtabiliunt corpus aliquid in mane guſtando: ſic dulcedine Spiritusſancti in mane ſtabiliẽdus eſt ſpiritus. Vnde ad Heb. 13. Optimum eſt gratia ſtabilire cor.

¶ *De tribus quæ deberent homines cohibere a nimietate ſomni.*

TRIA autem ſunt quæ deberent homines cohibere à nimieta te ſomni. Primo exẽpla, ad quod pertinet illud verbũ Aug. prius poſitũ: indecẽs eſt Chriſtiano, ſi radius ſolis inueniat eum in le-

cto. Secũdo hoc, q̃ somnus absq; necessitate, est temporis amissio, vnde Bern. Quantũ ad debitum cõtinui profectus, nihil ita deperit de vita nostra, quàm quod somno deputatur. In veritate somnus est quasi quędã species vel imagno mortis. Tertio deberet cohibere homines à nimietate somni multiplex malum quod in scripturis legitur ex somno accidisse. Et de hoc sufficiat ponere quinq; exẽpla. Primũ exẽplũ est Iudi. 4. de Sisara, qui cùm bibit. set lac, obdormiuit, & interfectus est à Iahel, clauo in cerebro eius defixo. Secundum exemplum est Iudic. 16. de Sampsone, quẽ Dalila fecit obdormire super genua sua, & rasis septẽ crinibus, captus est & exoculatus. Tertiũ exẽplũ est in Iudith 13. de Holoferne, qui dormiens à muliere Hebrea interfectus est. Quartum exẽplũ est Mat. 26. vbi Apostoli somnoléti legũtur Christũ amisisse. Quintũ exẽplũ est Act. 20. de quodam adolescente, nomine Euthyco, qui cũ disputante Paulo, graui emergeretur somno, decidit de tertio cœnaculo, deorsum, & sublatus est mortuus.

¶ De tribus necessariis homini vt debito modo dormiat.

TRIA autem necessaria sunt homini ad hoc q̃ debito modo dormiat. Primo, necessarium est ei vt vigilando laboret. vnde Eccl. 5. Dulcis est somnus operanti siue parum, siue multum comedat. Homo otiosus affligitur nõ solum dormiendo, sed etiam vigilando. Secundo, necessariũ est ei vt sobriè potu & cibo vtatur. Tertio, vt sensus suos sobrios custodiat. vnde Ber. Sobriũ vinum, sobrium sensum, sobrius sequitur somnus.

De otiositate, & quòd stultus sit otiosus. CAP. IIII.

CIrca hoc peccatum, primo ostendemus quàm stultus sit qui otium diligit. Secundo ostẽdemus, quòd otiosi licet semper reprehensibiles sint, præcipuè tamen tẽpore gratiæ reprehensibiles sunt. Tertio tangemus ea quæ attẽdenda sunt alicui in occupatione quã vult eligere. Quàm stultus verò ille sit qui otium diligit, ostẽditur Pro. 12. vbi sic legitur: Qui operatur terrã suã satiabitur panibus: qui autẽ sectatur otium, stultissimus est. Non solum stultus est talis vel stultior, sed etiam stultissimus.

¶ De tribus gradibus stultitiæ.

PRIMVS gradus stultitię est, vitã suã negligere, ei necessaria non quærẽdo. ¶ Secũdus gradus est, vitã suã hostibus indefensam exponere. ¶ Tertius gradus est, hostes qui eum interimãt palsci. Hos tres gradus stultitiæ habet qui sectatur otiũ. Vitæ enim æternæ quæ futura est nõ prouidet: hostibus etiã suis, scilicet vitiis & dæmonibus se exponit, vt iam ostendetur. Hostes etiam suos nutrit, quia otio vitia nutriuntur, & impinguantur: sicut & asseres & etiam equi solent otio impinguari

¶ De XII. stultitiis hominis otiosi.

ET possumus assignare XII. stultitias quæ sunt in homine otioso. ¶ Prima stultitia est, quòd ipse diabolo locũ facit. Cõtra illud Apostoli ad Eph. 4. Nolite diabolo locũ dare, vnde videtur diaboli societatẽ amare. Apud hominẽ occupatũ nõ habet diabolus vbi possit esse: quia res perfectè occupata nõ est capax alterius rei. Ideo dicit Hiero. Semper aliquid boni operis facito, vt te diabolus inueniat occupatũ. Ex hoc verò q̃ aliquis in se diabolo locũ facit, iã est indignus omni loco præterquã inferno, vnde primus locus otiosi est infernus, sicut & diaboli. Quod sic potest ostẽdi. Cõstat q̃ otiosus cælo nõ recipietur. Cælũ enim merces erit tãtũ eorũ qui operarij fuerint. Vnde Mat. 20. Voca operarios, & redde illis mercedem. In paradiso etiã terrestri nõ recipietur. Vnde Gen. 2. Tulit dominus Deus hominẽ, & posuit eũ in paradiso voluptatis vt operaretur. In purgatorio etiã nõ recipietur. vnde Ps. In labore hominũ nõ sunt, & cũ hominibus nõ flagellabũtur. Otiosi non laborant cum hominibus, & ideo non flagellabuntur cũ hominibus in purgatorio, sed cum dæmonibus in inferno. Otiosus etiam indignus est esse in mundo isto. vnde Luc. 13 de ficulnea steril. Succide eam, vt quid terram, etiam occupat? Relinquitur ergo quòd solum in inferno digni sunt otiosi. ¶ Secunda stultitia est, quòd otiosus in tali statu se ponit quòd brutis animalibus inferior est, quo ad hoc quod brutis animalibus licitũ est comedere: homini verò otioso prohibet hoc Apostolus 2. ad Thes. 3. dicẽs: Si quis nõ vult operari, nec manducet. homo otiosus est velut homo mortuus. vnde Sen. Otiũ sine literis, mors est, & viui hominis sepultura. Et Eccle. 9. Melior est canis viuus leone mortuo. Leo mortuus est aliquis magnus otiosus, cui præualet canis vinus: id est, aliquis vilis strenue operãs. imò etiã homo otiosus est plusquam mortuus, vnde in epist. Iudæ dicitur de quibusdã, q̃ sint arbores autumnales infructuosæ, bis mortuæ. Arbor in autũno plãtata quãdo fructũ facit, sero facit illũ. Sic aliqui dũ sani sunt, otiosi volũt esse: sed in articulo mortis tũc primo volũt fructũ pœnitẽtiæ façere. Ideo frequẽter accidit q̃ absq; fructu decedunt. Et tales homines infructuosi quasi bis mortui sunt: quia nõ solũ mortis tẽporalis, sed etiã ęternę sunt debitores. In quo deterioris cõditionis sunt quã bruta animalia. Illa enim solam mortẽ tẽporalem debẽt. ¶ Tertia stultitia est, quòd ex negligentia excolendi se, fructum suiipsius amittit. Si quis vineam haberet in qua mille asinatas vini posset colligere, valde re-

putaretur fatuus & infelix ab omnibus, si ex negligentia excolendi eam, fructum illum amitteret. Fructus quem quis in se colligeret, si se diligenter excoleret, præualeret vino regni vnius. Quam fatuus est ergo qui ex negligentia tantum fructum amittit, quem in se colligere posset? Multũ deberet cõfundi talis. Ideo dicit Sen. Turpissima iactura est, quæ per negligentiam fit. Turpissimã ideo vocãt eam, quia est erubescẽtia plena. Nemo est ita pauper qui de fructu oris sui ita ditari non posset, si bene excoleret illud. vnde Prouerb. 12. De fructu oris sui vnusquisque replebitur bonis.

¶ *De octo fructibus oris.*

Ex ore suo posset homo colligere octo genera fructuum valde pretiosorum, non solum per annum vel per mensem, sed etiam singulis diebus, si quis bene excoleret os suum. ¶ Primus fructus est Dei laudatio. ¶ Secundus est gratiarum actio: pretiositas verò horum fructuum ex hoc manifesta est, quòd cæleſtes arbores tales fructus ferunt. Ibi enim sonat gratiarum actio & vox laudis iuxta verbum prophetæ. Tertius fructus est oratio. Cuius fructus pretiositas manifesta est, ex hoc quòd ab angelis in cęlis defertur. vnde Tob. 12. dicit Angelus: Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam domino. Non est vile xenium vel donum quod à tantis nũtiis Deo pręsentatur. Et virtute etiam orationis manifesta est pretiositas huius fructus. De qua dicit Greg. Magna virtus orationis quæ effusa in terris cœlo operatur. ¶ Quartus fructus est confessio. Cuius fructus pretiositas patet ex hoc, quòd Deus vult fructum istum semper ante se habere. vnde in Psal. Confessio & pulchritudo in cõspectu eius. Consueuerunt diuites quando diuersi fructus portãtur ante eos, illum retinere ante se, quem præ cæteris amant. Ideo autem dominus amat confessionem, quia confessio efficit & custodit pulchritudinẽ. Pretiositas etiam huius fructus ex hoc patet, quòd nullus Deo adeò displicet, qui non placeat ei, si fructum humilis confessionis ei offerat, vel etiam offerre proponat. vnde Psal. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, &c. Latro dum in cruce humilem confessionem Deo obtulit, à patibulo inferni se absoluit, & regnum æternum meruit. ¶ Quintus fructus est modestia quæ in hoc attenditur, vt homo modum ponat in verbis suis quo ad quantitatem, & vt loquatur qualia debet loqui, scilicet vera, & quæ ad Dei sint gloriam & proximi vtilitatem, & vt loquatur qualiter debet loqui, scilicet non clamosè. Pretiositas huius fructus patet ex hoc, quod legitur Prouer. 17. Qui moderatur sermones suos prudentissimus est. ¶ Sextus fructus est absti-

cuius fructus pretiositas patet ex hoc, quòd tantæ virtutis est abstinentia, quòd vitam hominis prolongat. vnde Ecc. 37. Qui abstinens est, adiiciet vitam. Talis virtutis dicuntur fuisse fructus arboris solis & lunæ, de quibus legitur in historia Alexandri. Sacerdotes enim solis & lunæ fructibus illis vescentes, referuntur vixisse annis x l. absque læsione. ¶ Septimus fructus est, fraterna eruditio. Fructum istum specialiter ferre voluit ipsum lignum vitæ: scilicet ipse filius Dei. Marc. 1. Eamus in ciuitates & vicos proximos, vt ibi prædicem, ad hoc enim veni. ¶ Octauus fructus est, fidelis reclamatio, quando homo videt iniurias inferri Deo vel proximo. Pretiositas verò huius fructus manifesta est ex eius raritate. Pauci enim inueniuntur qui istum fructum habeant. Vnde Prouerb. 20. Multi misericordes vocantur: virũ autem fidelẽ quis inueniet? Videmus quotidie fratres nostros à canibus dilacerari, & non est qui reclamet: id est, à detractoribus. Imò, quod plus est, videmus ipsum Deum à lusoribus crucifigi, & nõ est, qui inde loquatur. Illi qui solo verbo possent Dei has contumelias impedire, non curant de hoc loqui. ¶ Quarta stultitia otiosi est, quòd ipse exponit se absque defensione hostibus suis. Otiosus est, sicut signũ ad sagittam. Potest enim à dæmonibus vndique sagittari. Vnde potest dicere illud Thren. 3. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam. Occupatio velut quidam clypeus est contra sagittas diaboli. vnde Poëta: Otia si tollas, periere Cupidinis arcus. Est etiam otiosus velut castrũ absque muro. Vnde Ezec. 38. Ascendam ad terram sine muro. Verbum est diaboli, Veniam ad quiescẽtes habitantésque securè. Homo verò occupatus est velut castrum bene clausum. vnde Aug. Non facile capitur à tẽtatore, qui bono vacat exercitio. Homo otiosus non tantum vni hosti expositus est, sed etiam pluribus. Vnde habetur in vitis patrum, quòd dixerunt seniores operantẽ monachũ dæmone vno pulsari, otiosum verò innumeris spiritibus deuastari. ¶ Quinta stultitia est, quòd cùm ipse valde pauper sit, & nihil lucretur, tam largè expendit res valde pretiosas, scilicet tempus suum, & bona sua naturalia: vnde in hoc negotio nihil est deterius otio, quod nõ solum noua nõ acquirit, sed etiam parta consumit. ¶ Sexta stultitia otiosi est, quòd ipse facit quasi receptaculũ omnium sordium. vnde Bern. Omnium tentationũ & cogitationum malarũ & inutilium sentina est otium. In sentina sordes recipiuntur in nauibus marinis: Sic cor otiosi quasi omnes sordes recipit vitiorum. Licet autem otium origo possit esse omnium peccatorum, spiritualiter tamen occasio est istorum peccatorũ, scilicet luxuriæ, verbositatis, nuga-

rum, & curiositatis, & superbiæ. De peccato luxuriæ habemus exemplum Dauid, qui dum occupatus fuit bellis, continens fuit, postea verò tempore otij adulterium commisit: vt legitur 2. Reg. 11. Salomon etiam dum occupatus fuit circa templum & alia ædificia, non ita infatuatus fuit in amore mulierum, vt postea quando factus est otiosus. Poëta etiam dicit: Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter. In promptu causa est, desidiosus erat. & Ezec. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, abundantia & otium. De verbositate & curiositate legitur 1. ad Timoth. 5. Adolescentiores viduas deuita. Et subditur, Discunt enim circuire domos, non solum otiosæ, sed etiam verbosæ, & curiosæ, loquentes quæ non oportet. De nugis verò dicit beatus Bernard. Otiositas est mater nugarum, nouerca virtutum. De superbia verò dicitur in Psal. In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos superbia. ¶ Septima stultitia otiosi est, quòd ipse secum vult habere qui eum de malitia instruat: vnde si sapiens sit, non faciet mala. Otiositas quasi quædam magistra malitiæ est. vnde Eccles. 33. Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte eum in operationem ne vacet. Multam enim malitiã docuit otiositas. ¶ Octaua stultitia otiosi est, quòd quum ipse sit submersus in profundo stultitiæ, sine malitia non vult tamen porrigere manum ad laborem, licet aliter euadere non possit. Vnde Senec. A stultitia nemo emergit, nisi manum porrigat ad laborem. Homo otiosus, qui non vult se occupare vt à peccato possit exire, tali stultitia laborat qua laboraret ille, qui cecidisset in aquam profundam, & pigritaretur manum porrigere ad arborem sibi proximam: quum tamen aliter non posset à naufragio liberari, occupatio bona lignum vitæ est, his qui apprehenderint eam. Et frustra laborat otiosus ad exeundum à peccatis, nisi se occupet. ¶ Nona stultitia otiosi est, quòd ipse quiescit quando laborandum esset, scilicet in præsenti: & ideo laborabit quando esset quiescẽdum, scilicet in futuro. In quo similis est illi qui dicit Esa. 14. Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Cui dicit beatus Bernar. O impudens & imprudens, millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistebant ei, & tu sedere præsumis. Mundus iste locus laboris est. Vnde Iob 5. Homo nascitur ad laborem, & auis ad volandum. Vnde dictum est ad Adam quando erat eiiciendus à paradiso, & ponendus in terra ista: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. ¶ Decima stultitia otiosi est, quòd ipse vult Deum quodammodo præire, dum solum vult quiescere, & non laborare, cùm dominus sex diebus operatus sis, & in septimo

septimo requieuerit. Vnde Gen. 2. Compleuítque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit ab omni opere quod patrarat. ¶ Vndecima stultitia otiosi est, quòd ipse refugit illud, quod est iocunditas & sanitas tam animæ quàm corporis, scilicet moderatum laborem. ¶ Duodecima stultitia otiosi est, quòd ipse diligit illud vnde Dei maledictionem incurrit, & inde in vniuersitatem vitiorum incidit. Ad primum pertinet, quod legitur Matth. 21. de ficulnea, quam dominus maledixit, ideo quod esset sine fructu. Ad secundum pertinet illud verbum Bernardi, Summa mentis malitia est, otium iners.

¶ *Quàm reprehensibiles sint otiosi tempore gratiæ.*

SEQVITVR videre quare potius reprehensibiles sint qui tempore gratiæ sunt otiosi: quàm qui fuerunt antè otiosi. Quod patet ex hoc quod legitur Matt. 20. Quid hic statis tota die otiosi? Illos reprehendit paterfamiliàs quos otiosos inuenit vndecima hora. Per quos significantur illi qui sunt otiosi in tempore gratiæ. ¶ Et possunt super hoc quatuor causæ assignari. ¶ Prima causa est hæc, quòd dominus dedit nobis formam iam laborandi & exemplum. Vnde ad Phil. 2. Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Magna superbia esset, si vellet quiescere seruus, ex quo laborat dominus. Vnde Matth. 10. Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum. ¶ Secunda causa est, quia tempore gratiæ sumus serui emptitij: & ideo magis ad laborem tenemur. Vnde Apostolus 1. ad Corin. 6. Empti estis pretio magno. ¶ Tertia causa est, quia melior merces nobis promittitur. Iudæis enim promittebatur terra, nobis verò promittitur cælum. Vnde Matth. 3. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. ¶ Quarta causa est, quia etsi spiritualibus, qui erant in veteri lege promitteretur regnum cælorum sub figura terræ promissionis, tamen illa multum illis differebatur. Non enim acceperunt mercedem suam vsque post passionem Christi. Nimis erat longa via in paradisum, quando oportebat ire per infernum: sed modo in momento vno lucratur aliquis paradisum, vt cùm post verum baptismum decedit, vel cùm post tantã contritionem quę sufficiat ad deletionem culpæ & pœnæ. Vnde Ber. in persona ecclesiæ: Labor meus vix est vnius horæ: & si amplius, præ amore non sentio. Vnde Luc. 14. Misit dominus seruum suum hora cœnę dicere inuitatis vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Hora cœnę est tempus gratiæ, in quo omnia sunt parata: quia nihil amplius necesse est ad hoc, quòd aliquis ad ęternam cœnam introducatur, nisi quòd manus suas laueriti: id est, purgatus perfectè fuerit.

¶ Quòd tria sint attendenda circa occupationem.

SEQVITVR videre quid attendendum sit in occupatione quam aliquis eligit. Tria autem attendenda sunt circa eam, scilicet quòd occupetur. Vnde Hieronymus: Semper aliquid boni facito, vt te diabolus inueniat occupatum. Et vt tædium remoueat, iuxta illud verbum Senecæ, Occupatione bonarum artium occupandi sumus, quoties male habet inertia impatiens sui. Et vt vtilitatem habeat. Pro vitando enim otio, otiosa sectari ridiculum est, vt dicit Bern. Idem: Non tantummodo agendum est, vt cum aliqua delectatione vel sine grandi nausea dies transigatur: sed vt etiam de peracta dieta ad perfectum mentis semper aliquid in conscientia resideat: aliquid in thesaurum cordis quotidie congeratur. Magis attendendum est etiam in occupatione, quòd occupet animum, quàm quòd occupet corpus. Item secundum Ber. Meliora sunt exercitia spiritualia, quàm corporalia. Et inter corporalia melius est, quod similius est spiritualibus, vt scribere. Et notandum, quòd quidam nolunt operari: quia hoc sibi dedecus reputant. Credunt enim honorabiliores burgenses esse illos qui nihil agunt, nisi quòd comedunt & bibunt, & aliis deliciis intendunt. Sed eadem ratione porcos possunt præferre equis & cæteris animalibus, qui nihil agunt, nisi quòd comedunt & bibunt. Et in veritate tales homines per porcos etiam significantur Matt. 8. vbi dicunt dæmones domino: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum.

De vitio dilationis. Et primo de dilatione conuersionis. CAP. V.

SEquitur de vitio dilationis, quo vitio multum laborat genus humanum. vnde Seneca: Nemo quicquam habet facti. In futurum enim nostra distulimus. Et nocet hoc vitium multum homini. Vnde versus: Et nocet, & nocuit semper differre paratis. Item: Qui non est, hodie, cras minus aptus erit. Duæ autem sunt species dilationis, quæ multum nocent hominibus: scilicet dilatio conuersionis, & dilatio confessionis, de quibus modo prosequemur. De prima legitur Ecclesiast. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Et eiusdem decimoseptimo, Ne demoreris in errore impiorum. & vicesimoprimo: Fili, peccasti, non adiicias iterum: sed de pristinis deprecare Dominum, vt tibi dimittantur. Ad eandem dilationem potest referri illud Esaiæ vicesimooctauo, Erit eis verbum Domini, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi: vt vadant, & cadant retrorsum, & conterantur. Verbum Domini multis est occasio huiusmodi derisionis: multi enim quando admonentur de sua conuersione, respondent domino, ad minus facio sic, Manda remanda &c. Hoc procurat diabolus, vt dum differunt venire ad Deum, vadant ad infernum, & cadant retrorsum, id est, improuise moriantur & conterantur, id est, irrecuperabiliter damnentur. Ad eandem dilationem pertinet illud verbum Aug. loquentis ad dominum, Non erat quod tibi responderem dicenti mihi, Surge qui dormis: nisi verba somnoléta & lenta modo, ecce modo, sine paululum. Sed illud modo non habebat modum, & illud paululum ibat in longum. Item Aug. de eadem dilatione: Differebam de die in diem viuere in te, & non differebã in memetipso mori. Et illud Senecæ: Quidam tũc viuere incipiunt, cùm desinendum est. Quidam autem desierunt, antequam inciperent. Et illud Sophoniæ 2. Vox cantantis in fenestra, & coruus in superliminari. Dominus stat ad ostium domus peccatoris, & pulsat. Vnde Apoc. 3. Ecce ego sto ad ostium, & pulso: si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, introibo ad illum.

¶ De duobus quæ impediunt, ne Deus intret ad cor peccatoris. Et de repromissione eius qui differt conuerti.

DVO verò sunt quæ impediunt ne Dominus intret ad peccatorem. ¶ Primũ est hoc, quòd peccator habet oculum ad prospera & læta, cùm potius deberet habere ad tristia, scilicet pericula quę sibi imminent. Vnde Eccles. 7. Cor sapientum vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia est. Et ista cogitatio dicitur in prædicto verbo Sophoniæ 2. Vox cantantis in fenestra. Et impedit ne Dominus ad peccatorem intret. Exemplum habemus de hoc in ciuitate Ierusalem, quæ oculum habebat ad læta, vnde gaudebat, cùm fleret dominus pro ea. vnde Luc. 19. Videns Iesus ciuitatem, fleuit super eam, dicens: Quia si cognouisses, & tu: & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi. ¶ Secundum quod impedit ne dominus intret ad peccatorem, est procrastinatio. Et ista procrastinatio est velut coruus in superliminari, dicens domino pulsanti ad ostium, Cras, cras. Prouenit autem ista procrastinatio ex hoc quòd peccator repromittit sibi longam vitam. Vnde Eccles. 29. Repromissio nequissima multos perdidit. Repromissio qua peccator sibi repromittit longam vitam, non solum nequam est, sed etiam nequior, & nequissima. Nequam est ideo, quia sibi vsurpat peccator hoc quod proprium Dei est, scilicet de futuro tempore disponere. vnde Actu. 1. Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Et Bern. dicit ei qui

qui de futuro tempore disponendo præsumit: Quid de futuro miser tam temerariè disponere præsumis, tanquam pater tempora & momenta in tua,& non magis in sua posuerit potestate? Nequior verò est repromissio ista: quia cùm tempus infiniti valoris sibi à Domino datum fatuè expenderit, adhuc tamen præsumit quòd Deus multum temporis sibi sit daturus. Tali fatuitate laborans qua laboraret ille qui thesaurum magnum sibi à patre deditum ad negotiandum fatuè expendisset, & adhuc largè expendere vellet,dicens: Bene possum expendere,pater meus satis adhuc mihi dabit. Cui responderi posset: Verum est: quia ita bene custodisti quæ tibi iam dedit. Tales deberent aduertere hoc quòd Dominus tempore Noë recidit de tempore pœnitentiæ hominibus promisso, secundum Strabum viginti annos,eò quòd videbat quòd homines pœnitere nolebant. Si verò Dominus tempus promissum nolentibus pœnitere abstulit: quid faciet de his, quibus nullum tempus promisit? Nequissima verò est repromissio ista: quia talis non tantum tempus sibi datum perdidit,imò etiam in contumeliam ipsius largitoris expendit, & futurum tempus in contumeliam eius expendere disponit. Qua fronte ergo præsumit quòd Deus qui ista nouit, debeat sibi longam vitam dare? Ad hanc dilationem potest etiam referri quod legitur Prouerb.3. Ne dicas amico tuo, Vade, & cras reuertere, cum statim possis dare.

¶De octo quæ mouere deberent ad accelerationem conuersionis.

Octo verò sunt quæ deberent hominem mouere ad accelerandam conuersionem. ¶Primum est,mortis incertitudo. Vnde Luc.12. Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.Et Matt.19. Veniet dominus serui illius in die qua nó sperat,& hora qua ignorat. Et iterum Luc.12.dicitur illi qui dicebat animæ suæ:Anima mea,multa bona habes reposita in annos plurimos,requiesce,comede &c. Stulte,hac nocte repetent animam tuam à te:quæ autem parasti,cuius erunt? Et Eccles.9.Nescit homo finem suum: sed sicut pisces hamo, & sicut aues comprehenduntur laqueo:sic capiuntur homines in tempore malo. Et Sene. Nescis quo loco te mors expectet: ideo tu eam omni loco expecta. Quum nesciat homo quo loco mors debeat ei occurrere,nesciat homo quo loco eam magis debeat expectare, in omni loco expectanda est. Vnde Sen.Iuuenes mortem habent à tergo: senes ante oculos. Licet illud non videatur quod à tergo est,nihilominus tamen nocere potest, & etiam amplius quàm quod est ante oculos. Sic mors iuuenibus timenda esset vt senibus, licet illi nó aduer

aduertant. Et hoc est vnum quod multum deberet homines mouere ad accelerationem conuersionis,quòd tot homines defuncti sunt qui bene proponebant se quandoque facturos pœnitentiam, & præoccupati morte non fecerunt, nec de cætero vnquam facient. Nimius est thesaurus quem fatuus homo tanto discrimini subiicit,dum differt conuersionem suam. ¶Secundo deberet homines mouere ad accelerationem conuersionis multiplex bonũ quod prouenit inde. De quo bono legitur Thren.3. Bonum est viro quum portauerit iugum Domini ab adolescentia sua.

¶De octo bonis quæ sequuntur accelerationem conuersionis.

Octo verò bona sunt quæ sequuntur ex hac acceleratione. ¶Primum est, quòd bonitas altius & profundius infigitur, eò quòd inuenit subiectum magis tenerum. vnde versus: Quo semel est imbuta recens, seruabit odorem Testa diu. ¶Secundum est,quòd homini iocundum est bene viuere.vnde Sapiens: Optima forma viuendi eligenda est,quam iocundã reddet assuetudo. Ante assuetudinem molestum est equis ambulare, adeo vt oporteat vincula poni in pedibus eorum:postquam verò consueti fuerint,facile est eis. Similiter pueris in principio molestum est addiscere, adeo quòd verberibus oporteat eos ad hoc compelli: postquam verò consueuerint,amore literarum patriam suam relinquunt,&multas paupertates & molestias sustinent,vt addiscere possint. Sic bene viuere quod primo hominem molestat, per assuetudinem fit homini iocundum.¶Tertium bonum est, quòd homo securè viuit. Vnde Senec. Pulchrum est ante mortem cõsummare viam,deinde expectare securè reliquam temporis partem. De hac securitate legitur Prouer.15. Secura mens quasi iuge conuiuium.¶Quartum bonum est,quòd homo Deo diutius seruit & diutius bene viuit. Vnde Augu. Quid differs in crastinum? Longa vita bona erit, si ipsa vita sit. Vtique si longa erit, melius bona erit.In veritate quanto habiturus es longiorem vitam,tanto amplius desiderare debes vt bona sit. Sicut aliquis quanto amplius habet de vino,tãto amplius desiderare debet vt bonum habeat, & amplius displicet sibi si corrumpatur. ¶Quintum bonũ est, quòd gratius est seruitiũ eorum Deo qui cito ad eum conuertuntur. Illi enim de puro & optimo vitæ suæ, & quasi de flore & vigore Deo offerunt: qui autem tardè volunt conuerti,quasi fæces Deo reseruant. Qui timere possunt ne de fæcibus calicis iræ Domini bibant:iuxta illud Psal.Fæx eius non est exinanita,bibẽt omnes peccatores terræ.Isti de vita sua primo offerunt quod pulchrius est & melius in ea diabolo vel mundo, tanquam domino: reliquias

reliquias verò volunt domino offerre, illud scilicet de quo mundus non curat: cum tamen ea optima & electa debeant esse. Vnde Eccles. 13. Fili si habes, benefac tecum, & dignas Deo oblationes offer. Et in libro Numerorum 18. Omnia quæ offertis de decimis, & in donario Domini separabitis, optima & electa erunt. De illo qui quod deterius est, Deo offert, dicit Dominus Malac. 1. Offer illud duci tuo si placuerit ei, ac susceperit faciem tuam, dicit dominus exercituum. Et iterum ibidem: Maledictus qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, qui rex magnus est, dicit Dominus exercituuum. Præcipuè placet Deo seruitium iuuenum. Vnde Dominus Matth. 19. Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere eos. Et 21. Nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? ¶Sextum bonum est, quòd homo moritur certus certitudine spei de salute sua. E contrario incertus moritur, qui in fine pœnitet. Vnde Augustin. Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & hinc vadit, fateor vobis non ei negamus quod petit, sed non præsumimus. Pœnitentiam dare possumus, securitatem verò non. Non dico damnabitur, sed nec dico liberabitur. Vis ergo â dubio liberari? Age pœnitentiam, dum sanus es. Si sic agis, ego dico tibi quòd es securus: quia pœnitentiam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam quando peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Item Aug. Duæ res sunt, aut ignoscitur, aut non ignoscitur: quid horum futurum sit tibi, nescio: tene certum, & dimitte incertum. ¶Septimum bonum est, quòd ignis purgatorij euitatur. Licet ille qui tardè conuertitur, saluetur: sic tamen saluus erit quasi per ignem. 1. ad Corint. 3. ¶Octauum bonum est, quod maius præmium recipit. Habet enim Deus vnde melius remuneret eos qui sibi diutius seruierunt. Et licet saluetur qui tardè conuertitur, si verè, sicut ille qui cito conuertitur: tamen in domo patris cælestis mansiones multæ sunt.

¶De periculis malæ consuetudinis.

TERTIO deberet homines mouere ad accelerationem conuersationis magnum periculum malæ consuetudinis. Quod periculum manifestari potest ex diuersis testimoniis scripturarum quæ subiungentur. Legitur Iob 20. Ossa eius implentur vitiis adolescentiæ eius, & cũ eo in puluere dormient. Vitia adolescentiæ si homo in his perseueret, sunt similia guttæ quæ ossa subintrat quæ vix curatur. vnde talia vitia non relinquunt hominem dum viuit. vnde Prouerb. 22. Prouerbium est, Adolescens iuxta viam

viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Vnde narrat historia Græcorum, quòd Alexander Magnus carere non potuit moribus & incessu Leonidis pædagogi sui, & vitiis quibus paruus fuerat infectus. Et Ierem. 13. Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. A medicis etiam dicitur quòd consuetudo sit altera natura. De natura autẽ dictum est, Naturam expellas furca tamen vsque recurret. Et secundũ Aug. Dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Quantum sit periculũ malæ consuetudinis, ostendit nobis gl. super Matt. 26. vbi Petrus in prima negatione dicit, Nescio quid dicis. In secunda cum iuramento negat. In tertia detestatur, & iurat quòd non nouerit hominem. Perseuerare in peccato, vt dicit gl. dat incremẽtum scelerum: & qui minima spernit, cadit in maiora. Ad ostendendum etiam pericula malæ consuetudinis, valere possunt quæ de Lazaro leguntur Io. 11. Lazarus enim figuram tenet eorum qui sunt in peccato malæ consuetudinis: de quo dicit Martha, Domine, iam fœtet. Lapis etiam ei erat superpositus. Ligatus etiam erat manus & pedes institis, & facies eius erat velata sudario. Et ista quatuor spiritualiter reperiuntur in homine, qui est in peccato malæ cõsuetudini. Natura enim ipsius quasi corrupta est, adeò vt ei sapiãt quæ debuerunt ei desipere, & ea desipiant quæ debuerunt ei sapere. Vnde fœtidi sunt coram Deo & angelis eius, sicut corpora corrupta hominibus fœtent. Vnde in Psal. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis. Nimis tardè adhibetur sal vel myrrha pœnitentiæ hominibus, qui in peccatis consueti sunt: sicut carnes tardè sale condiuntur, quæ iam scaturiunt vermibus. ¶Homo etiam qui est in peccato malæ cõsuetudinis habet velut magnum lapidem supra seipsum positum, scilicet ipsam malam consuetudinem. Vnde super Ioan. 11. dicit gl. quòd Dominus fremuit, lachrymatus est, & clamauit: quia difficile surgit quẽ moles malæ consuetudinis premit. Homo qui in peccato malæ consuetudinis est, similis est illi qui in puteum cecidit: super cuius os magnus lapis est positus. vnde in Psal. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Tempestas aquæ hominem demergit in consensu peccati mortalis. Profundũ absorbet quũ peccatum peccato additur. Puteus vrget os suum, quando homo in seruitutem malæ consuetudinis redigitur. Manus verò & pedes habet talis ligatos institis, propter magnam difficultatem ad bene operandum quę in eo est. Vnde Aug. Ligatus eram, nõ ferro alieno,

no,sed mea ferrea voluntate. Faciem etiam habet velatam sudario, quia ex hoc quòd diu in tenebris peccatorũ fuit, spiritualem visum amisit. Homo peccatis assuetus,est velut equus effrenis qui est in cursu,nec de facili potest retineri. vnde Ier.8. Nullus est qui pœnitentiam agat super peccato suo, dicens: Quid feci? sed omnes cõuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium. In quanto periculo sit talis homo,ostẽditur Psal.34. Viæ illorum tenebræ & lubricum:& angelus Domini persequẽs eos. Mirum est si non cadat, qui per viam tenebrosam & præcipitem & lubricam vadit, & incessanter impellitur à forti tẽtatore,cùm ipse sit debilis. Verè potest dicere illud,Domine,vim patior. Et trahi videtur ab ipsa cõsuetudine ad interitum. vnde Pro. 24. Et qui trahuntur ad interitum,liberare ne cesses. Peccatũ ante consuetudinẽ est vt funiculus, imò vt filum stupeũ respectu status,in quo est post cõsuetudinem. vnde Esa.5. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis,& quasi vinculum plaustri peccatum. Peccatũ consuetudinis est velut vinculũ plaustri, quod decẽ boues,id est,decẽ prædicatores, vix rumpere possunt. Vnde dicit gl. super illum locũ,Merito iniquitas in funiculis vanitatis trahitur:quia peccata peccatis cõnectuntur, & inania sunt vt fila aranearum. Sed si exire volumus, tãquam vinculis solidissimis tenemur. Peccatũ etiã consuetudinis est velut lãguor inueteratus, qui difficile curatur. vnde Eccl.10. Languor prolixior grauat medicũ sed breuem languorẽ præcidit medicus. Item Eccle.18. Ante languorem adhibe medicinam. Et Sen. Minus negotij haberet medicus,si ad recens vulnus aut vitium adhiberetur: sequerentur neri & rudes tecta monstrantem. Nemo difficulter ad naturam reducitur,nisi qui ab illa defecerit. & Mat.9. legitur, quòd discipuli non potuerunt expellere malignum spiritum à quodam in quo fuerat ab infantia. & Basilius Magnus dicit,quòd sicut nõ potest aliquis dediscere maternam linguam: sic vix longam peccati consuetudinẽ. Tanta est vis cõsuetudinis, vt quod homo consueuit facere vigilans,quandoque faciat dormiẽs: & quod consueuit facere viuens, interdum faciat moriẽs: vnde refertur de quodam medico, cui debebantur xiii. libræ ad tres annos soluẽdæ,quòd quum laboraret in extremis, & admoneretur, vt confiteretur, & Eucharistiam sumeret, nihil aliud ab eo poterant extrahere nisi xiii. libras ad tres annos soluendas. Et sic loquens expirauit.

¶ De conuersione dilata. Et de xii. *quæ faciunt ad hoc quòd conuersio dilata sit difficilior.*

QVARTO deberet mouere homines ad acceleratiõẽ cõuersionis

sionis hoc quòd cõuersio dilata difficilior est,accelerata verò facilior. Vnde Beda super Lucã: Diabolus quãto diutius possider,tãto difficilius dimittit. Et iterũ: Quãto citius,tãto facilius diaboli dominiũ euitatur. Sicut optimus modus occidẽdi serpẽtẽ materialẽ est per cõtritionẽ capitis: sic optimus modus vincẽdi serpẽtem infernalẽ est per cõtritionẽ capitis ipsius. Tũc caput eius cõteritur,cũ in principio cõflictus ipse deuincitur. Vnde dominus dicit ad serpẽtẽ de muliere, Ipsa conteret caput tuũ. & Hier. Lubricus est antiqu serpẽs,& nisi capite teneatur,statim illabitur. & Eccl. 25. Nõ est caput nequius super caput colubri. & Cant.2. Iubet dominus capi vulpeculas. & 1. Re.17. legitur Dauid percussisse Goliã in fronte,& sic eũ interfeciſſe. In fr õte diabolum percutit,qui in principio vitæ suæ eum deuincit. Sed velut in calcaneo vult eum percutere,qui in fine vitæ suæ quẽrit eũ vincere. Pharao autẽ populum Iudæorum in morte primogenitorum dimisit: vt legitur Exo.2. per alias plagas non dimisit eum: nec diabolus populum Christianũ perfectẽ dimittet,donec ecclesia studeat correctioni paruulorũ,& laboret ad interficiendũ peccata, dum recẽtia sunt.

¶ Duodecim verò sunt quæ faciunt ad hoc quòd conuersio dilata sit difficilior.

PRIMVM est induratio. Puerilis enim ætas tenera est, & susceptibilis impressionis: senilis verò dura est. Vnde Eccles.30. Curua ceruicem filij tui in iuuentute,& tunde latera eius dũ infans est,ne fortè induret,& ne credat tibi. Virgula dum tenera est,potest ad rectitudinẽ adduci,si curua est. Trabẽ verò postquã deficcata est,si curua sit,impossibile est ad rectitudinem reduci. Sic paruuli corrigi possent, si diligentia debita adhiberetur. De senibus verò in malitia sua induratis non multum sperandum est. Omnis malus animus priusquã indurescat,malitia eius molliri potest: sed postquam indurauerit, desperandum: id est,non multum sperandum. ¶ Secundum faciens ad difficultatẽ cõuersionis est hoc,ꝙ cõtrarium gratiæ Dei iam occupauit hominẽ: ideo Dei gratia difficilius in eo recipitur, sicut materia quæ habet aquã difficilius accipit ignem, quia ignem inuenit ibi quod sibi repugnet,sicut est manifestum in candela madefacta. De facili capitur castrũ in quo nullus repugnat, & de facili vestis retẽtã formã suscipit,quæ nõdum prauam suscepit. In paruulis vitia nondum sunt: vel si sunt, parua sunt. Ideo de facili possunt extirpari. Ideo dicitur in Psal. Beatus qui tenebit & allidet paruulos suos ad petram. ¶ Tertio facit ad hanc difficultatem hoc, ꝙ ille qui diu distulit conuerti dissipauit in se bona naturæ. Virtu-

tes enim naturales quas habebat in pueritia, amisit: scilicet virginitatem, innocentiam, humilitatem. Propter quas virtutes dicit dominus Mat. 19. Sinite paruulos venire ad me, & nolite prohibere. Talium enim est regnũ cælorum. scilicet illorũ qui habẽt per gratiam, ea quæ habent paruuli per naturam. Facilius est aliquem ditari quãtum ad diuitias huius seculi, qui habet multa bona sibi dimissa à parentibus, quã illum qui bona paterna iam consumpsit. Sic paruulus qui bona naturæ habet, facilius ditari potest diuitiis spiritualibus, quàm ille qui peccando bona naturæ consumpsit. ¶ Quarto facit ad difficultatem hanc hoc, q̃ ille qui differt conuerti, habet vas minus idoneum, cui dominus libenter infundat balsamum gratiæ suæ. Verisimile enim est, q̃ vas cordis quod diutius immunditiam peccati continuit, ad gratiã suscipiendam minus sit idoneum. Nullus libẽter infundit balsamum vasi quod diu continuit lutum. ¶ Quinto facit ad difficultatem istam hoc, q̃ quanto aliquis diutius in peccato manet, tanto amplius oneratur peccatis: quia peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere ad aliud trahit. Vnde onus & pœnæ, & culpæ crescit in peccatore: & ideo minus semper potest surgere à peccato, præcipuè cùm ipse semper debilior fiat. Et hoc est vnũ, vnde multum apparet, quã stulti sunt illi qui differunt conuerti. Ille enim qui nõ potest leuare onus peccatorum quando minus est, quomodo leuabit illud quãdo maius erit? Vnde legitur in Vitis patrum, q̃ beatus Arsenius, qui habitauit in eremo Scythiæ, talem vidit visionem. Venit ad eum vox, dicẽs: Egredere, & ostendã tibi opera hominum: & egressus vidit Æthiopẽ nigrum cũ securi cædentẽ ligna, & facientẽ grandẽ sarcinã, & tẽtabat leuare eã, & præ magnitudine non poterat: & iterum cædebat alia ligna, & addebat sarcinæ. Exposuit ergo ei hanc visionẽ, dicens: Qui cædebat ligna, & adhuc super sarcinam addebat, homo est, qui est oneratus multis peccatis, & semper addit alia peccata, quũ oportet ea deponere & demere. Tali fatuitate laborat qui differt agere pœnitentiã vsque ad senectutẽ, quasi laboraret ille qui habet quatuor iumẽta & onera eis sufficiẽtia, & imponeret onera quatuor iumentorum debiliori ex illis. Sic homines senio quod est debilissima pars vitæ hominis, totum onus vitæ volunt imponere. ¶ Sexto facit ad difficultatem conuersionis hoc, q̃ quanto aliquis in peccato diutius moratur, tanto amplius à Deo elongatur. Non est verisimile, q̃ ille qui non cessat se elongare à Deo, per XL. annos posset de facili in octo vel quindecim diebus in quibus durat infirmitas, ad Deum redire. Licet hoc possit accidere,

& interdum accidat quando ventus Spiritussancti placuerit afflare alicui. Sed raro accidit. ideo scriptum est: Qui elongant se à te, peribunt. Et Esa. 55. Inuocate eum, dum prope est. Solet dici q̃ tãtum est à sancto Dionysio vsque ad vrbem Parisiensem, quantum ab vrbe Parisiẽsi vsque ad sanctum Dionysium. Sic qui lõgo tempore se à Deo elongauit, nõ nisi lõgo tempore ad Deum redit, nisi Deus valde magnam gratiam ei facere voluerit. ¶ Septimo facit ad difficultatẽ cõuersionis hoc, q̃ homo circa mortem multa habet impedimenta: scilicet infirmitatẽ & solicitudinem de dispositione domus suæ, quæ non permittunt hominem cogitare de anima sua. Vnde Hiero. Dum infirmitate opprimeris, nihil aliud potes cogitare, quàm sentis. & Augu. Mors vrget, peccata terrent, vxor & filij quos amauit ad se vocant. ¶ Octauo difficile conuertitur talis: quia iustum est, vt à Deo contemnatur moriens ille qui eum contempsit viuens. Vnde Esa. 33. Væ qui spernis, nónne & ipse sperneris? & Ioan. Chrysosto. Hac animaduersione percutitur impius, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei. ¶ Nono difficile conuertitur homo, qui differt conuerti vsque ad mortem: quia tunc magis diabolus impugnat hominem sciens, quia si tunc hominem amiserit, de cætero eum non recuperabit. Vnde Gen. 3. dicitur serpenti: Tu insidiaberis calcaneo eius. In calcaneo, qui est extrema pars hominis, intelligitur finis vitæ, cui diabolus maximè insidiatur. Tunc enim summum studium & laborem apponit, vt hominem deuincat. Interdum x x. annis prouidet diabolus ante mortem, vnde hominem in morte detineat. Faciet enim hominem aliquid iniustè acquirere, quod in morte non vult restituere. Vnde magna est fatuitas eorum qui ita præsumunt, q̃ in morte conuertãtur, & q̃ tunc diabolum deuincant, quando ipse melius præparatus est ad prælium. Similes videtur esse illi qui ludens ad schachos & parum de ludo sciens cogitaret apud se, ego permittam mihi familiam auferri, deinde in fine mactabo illum cum quo ludo in angulo, cùm tamen sciret illum cum quo ludit peritissimum esse lusorẽ. Velut imperitus lusor est peccator, qui semper in tentationibus succumbit, qui familiã virtutum amisit. Velut peritissimus lusor est diabolus, qui ab initio mundi exercitatus est in ludo tentationum. Qua præsumptione ergo confidit peccator, q̃ in angulo debeat eum mactare, idem in fine vitæ suæ vincere, præcipuè cum sine Deo nihil possit facere, & Dei auxilio adeo indignum se fecerit, vt non solum non sit dignus à Deo adiuuari, sed irrideri? Vnde Prou. 1. Vocaui, & renuistis, & subiungi-

tur:Ego quoque in interitu vestro ridebo.¶Decimum faciens ad hoc, ꝙ ille cum difficultate conuertatur qui consueuit peccare, est amaritudo quam inuenit cùm attentat bonũ operari:ex diuturna enim infirmitate in qua fuit,amaritudinẽ inuenit, vbi debuit inuenire dulcedinem. Vnde Aug.Palato ægro pœna est panis,qui sano est suauis. Et oculis ægris odiosa est lux, quæ sanis est amabilis.Inuenta autem amaritudine in bono opere quod attentat,statim dimittit illud peccator ad modum simiæ, quæ gustatã exteriori amaritudine nucis, tam citò eam proiicit, & ideo ad dulcedinẽ nuclei nõ peruenit.Sic peccator ad dulcedinẽ præmij vel spiritualiũ cõsolationum nõ peruenit,quia dimittit bene operari,quando inuenit aliquã difficultatẽ in bono opere.Amaritudo ista significata est per amaritudinẽ illarũ aquarum quas inuenerunt filij Israël de Ægypto reuertentes, vt legitur Exo.15. quæ dulcoratæ fuerunt,cùm lignũ misissent in eas. In quo ligno significata est memoria Dominicæ crucis,quę valet ad dulcorãdum pœnitentibus amaritudinẽ quã sustinent:iuxta illud Greg. Si passio domini ad mẽmoriã reuocetur, nihil adeò durum quod nõ æquo animo toleretur. Propter difficultatẽ quã habet aliquis in bono opere post peccatum, dictũ est Heuæ postquã peccauerat,Gen.3.In dolore paries.¶Vndecimũ faciens ad difficultatem conuersionis est tristitia quã inuenit peccator,quando cogitat se separari à vita in qua diu fuit.Et hæc est causa quare ista memoria mortis amara est diuitibus,quia non possunt sustinere etiam quod cogitẽt se separari à diuitiis quas amauerũt. Vnde Eccl.41. O mors,quã amara est memoria tua homini iniusto,& pacẽ habẽti in substantiis suis.¶Duodecimũ faciens ad difficultatẽ conuersionis,est quidã magnus timor,qui est in peccatore de inexperiẽtia bonæ vitæ:quia omnis peccator ad modũ Cain habet caput tremulũ,trepidans vbi timendum non esset. Credit enim ꝙ mori debeat,si Deo seruiat:iuxta illud Prouerb.22. Dicit piger: Leo est foris,in medio platearum occidendus sum.

¶*Quòd ille qui differt conuerti sit iniquus in Deum.*

QVINTO debet mouere hominẽ ad acceleratiõnẽ conuersionis hoc,ꝙ ille qui differt cõuerti,iniquus est in Deũ, in angelũ,in seipsum,in proximum,& etiam in inferiores creaturas.¶In Deum sex modis iniquè agit.¶Primo, quia quasi apponit fel in escã eius:iuxta illud Psal.Dederunt in escã meam fel.Velut esca domini est bonum opus:quia in eo dominus delectatur:iuxta illud Cãt.2.Qui pascitur inter lilia:id est,inter munda opera.Escæ ergo domini apponit fel, qui bonis operibus quæ agit amaritudinem peccati admiscet. Valde peruersus esset coquus alicuius principis,si in esca domini sui absynthiũ poneret.¶Secundo iniquè agit in Deum, quia illud affert ante oculos eius quod maximè Deo displicet:scilicet peccatũ. Quòd peccatũ maximè displiceat Deo,ostẽsum est in principio tractatus.¶Tertio iniquè agit in Deum:quia cõremnit eum se misericorditer vocantẽ,& æternũ regno volentẽ pacẽ eius emere, cũ ipse meruerit mortẽ æternã.Vnde Esa.31.Audiẽt aures tuæ verbum post tergum monẽtis, scilicet domini.Et ad Rom.2.An diuitias bonitatis Dei, & patiẽtiæ,& lõganimitatis contẽnis?Greg.Debemus Dei misericordiã faltẽ erubescere:si nolumus eius iustitiã formidare,qui tãto ampliori improbitate contẽnitur,quãto contẽptus vocare nõ dedignatur.¶Quarto iniquè agit in Deum:quia Deũ qui eũ expectat vt pius pater,quãtum in se est affligit tarditate sua. Ad quod possumus referre illud Tob.9.Scis quoniã dies cõputat pater meus, & si tardauero vna die plus,cõtristabitur anima eius? verba sunt minoris Tobię ad angelum.¶Quinto iniquè agit in Deum:quia deteriorẽ partẽ vitæ suæ Deo reseruat, meliorẽ partem diabolo immolãs.¶Sexto iniquè agit in Deum:quia ex misericordia Dei irã sibi prouocat:& ex hoc vnde debuit sumere occasionẽ dimittendi,sumit occasionẽ Deum impugnandi. Ex eo enim ꝙ sperat,ꝙ Deus eũ misericorditer debeat expectare,proponit diutius eum offendere.Vnde Apostolus ad Rom.2.Ignoras quoniam bonitas Dei ad pœnitentiã te adduxit: secundum autem duritiã tuã,& cor impœnitẽs,thesaurizas tibi irã in die iræ,& reuelationis iusti iudicij Dei.Talis de bonitate domini malitiam colligit.

¶*Quomodo differens conuerti sit iniquus in angelum.*

IN angelum etiã peccat tripliciter.¶Primò,quia quantũ in se est eum affligit,in expectatione gaudij de conuersione ipsius, vt dicitur Prou.13. Spes enim quæ differtur,affligit animã. De gaudio verò,legitur Luc.15.Gaudium est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente,&c.¶Secundo, quia frustratur angelus fructu laboris sui,cùm peccator cui deputatus est ad custodiam ad eius admonitionem se non corrigit.¶Tertio verò quia angelo sibi deputato reuerentiam debitã non exhibet, dum ante eum abominationes suas committere nõ veretur,vel in ipsis iam commissis manere.Cõtra quod dixit Bern.Quouis angulo,quouis diuersorio reuerentiam habe angelo tuo. Nec audeas illo præsente facere,quod me vidente non auderes.

¶*Quomodo differens conuerti sit iniquus in seipsum.*

INIQVE etiã agit in seipsum,dum se potius vult habere ma-

lum quàm bonum, infirmum quàm sanum, mortuũ quàm viuum, seruum pessimum quàm liberum, in statu latronis quàm in statu regis, nihil habentem quã omnium bonorũ ecclesię participem, inutilem quàm multum valẽtem. Quòd ille qui differt conuerti potius amet se malum quàm bonum, manifestum est ex hoc, quòd nullis admonitionibus malitiam vult relinquere, & bonitatem recipere, in quo seipsum viliorem habet omnibus rebus suis. Omnes enim res suas potius vult habere bonas quàm malas. Vnde Augustinus dicit ei qui talis est, Bona vis habere, & malus vis esse. Quòd talis malit se infirmũ quàm sanum, patet ex hoc, ꝙ peccatũ mortale infirmitas est ad mortem. Quòd etiã potius se amet mortuum quàm viuum, patet ex hoc verbo Augustini prius posito: Differebã, inquit, viuere in te, & nõ differebã memetipso mori. Quòd etiã talis potius se amet seruũ quàm liberũ, patet ex hoc, ꝙ peccatũ est pessima seruitus. Vnde qui facit peccatũ, est seruus peccati. Ber. An nõ seruus cui dominatur iniquitas? Ita, & maximè nisi indignius fortè iudices hominẽ tibi quàm vitiũ dominari. In statu etiã latronis plus se amat quàm in statu regis: quia qui est in peccato mortali, ad modũ latronis adiudicatus est patibulo inferni: qui verò est in statu gratiæ, ad regnũ æternũ inunctus est. Itẽ qui est in mortali, nihil habet, imò etiam nihil est: iuxta illud 1. ad Cor. 13. Si habuero omnẽ fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Qui verò est in statu gratiæ, particeps est omnium bonorũ ecclesiæ. Vnde Dauid: Particeps sum ego omnium timentium te. Itẽ qui in mortali est, inutilis est. Vnde Psal. Omnes declinauerũt, simul &c. Qui verò in statu gratiæ est, multi valoris est. Vnde Eccl. 16. Melior est timens Deum, quàm mille filij impii

¶ Quòd differens conuerti sit iniquus in proximum.

In proximum etiam iniquè agit qui differt cõuerti, tripliciter. ¶ Primò, quia corrumpit eũ suo malo exẽplo. vnde Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus &c. dicitur aliquis peccare in eum, quo sciente peccat: quia eũ suo malo exemplo corrumpit. ¶ Secundo, peccat talis in proximum quia debito auxilio eũ defraudat. Cùm deberet eũ iuuare in pugna cõtra diabolũ, ipse potius nocet ei. Magna iniquitas est socium suum in bello deserere, & ad partẽ inimicorũ se vertere. Eccle. 4. Melius est duos esse simul quàm vnum. Habent enim emolumentũ societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. ¶ Tertiò, iniquè agit in proximum, quia peccato ipsius sæpe punitur proximus. vnde legitur Iosue 7. ꝙ propter peccatũ Achor populus Israël punitus sit. Terga enim verterunt hostibus suis, & xxxvj. ex eis corruerunt.

¶ Quomodo differens conuerti sit iniquus in inferiores creaturas.

In creaturas irrationabiles peccat ille qui differt cõuerti, quia propter peccatũ hominis creaturæ irrationabiles quodãmodo puniuntur. Vnde possent conqueri de homine in die iudicii. Sol posset dicere, Ego propter hominis peccatũ claritatẽ meã amisi. Irrationabilia enim animalia possent dicere si facundiã haberẽt loquendi, Nos propter ipsum in diluuio periuimus. Terra etiam posset dicere, Ego propter ipsum maledicta fui, & spinas & tribulos germinaui. ¶ Sexto deberet mouere homines ad acceleram tionẽ conuersionis hoc, quòd difficile est aliquem verè conuerti. Vnde Gregorius: Plures inueni innocentiã baptismalẽ seruasse, quàm veram pœnitentiã egisse. Propter hãc difficultatẽ securũ est, vt homo citò cõuertatur, & frequẽter doleat de peccatis suis, & frequenter cõfiteatur illa, si fortè vna inter multas confessiones inueniatur placens Deo. Non enim prima vice qua homo citharizat vel viellat, bene scit citharizare vel viellare, vt idoneus sit corã rege opus illud exercere, & dignus sit stipẽdio: Ita nec prima vice qua aliquis cõfitetur, interdũ bene cõfitetur: imò pauci sunt qui non faciant sibi perizomata, vt leguntus fecisse parẽtes nostri, Genes. 3. Excusant enim homines peccata sua. Ideò dicitur ad animam peccatricem, Esa. 23. Sume citharam, circui ciuitatẽ meretrix obliuioni tradita: bene cane, frequenta cãticum, vt memoria tui sit. Cithara ista cõfessio est, qua sumpta, circum eunda est ciuitas animæ, vt homo omnia peccata sua cõfiteatur. Et oportet bene cãtare, quia cõfitendo corã rege cælesti cantatur. Et cantus ille, si homo bene cantet, cælesti regno remuneratur.

¶ Quòd peccator sit in periculoso statu.

Septimo deberet mouere hominem ad accelerationem cõuersionis hoc, ꝙ status peccatoris est valde periculosus. Vnde Genes. 3. legitur quæsiuisse dominũ ab Adã cùm peccasset, vbi esset: ad significandum ꝙ consideratio periculosi status in quo est peccator, possit & debeat mouere eum ad deserẽdum peccatum. ¶ In quanto autem periculo sit peccator, ostendi potest multipliciter. ¶ Primò, ex hoc, quòd iustitia Dei tenet gladium euaginatũ super caput eius: qui secet eũ medium, animã à corpore separando, & meliorem partem, scilicet animam, in igne inferni ponat. Sed misericordia Dei gladium illum aliquantulum detinet, si fortè peccator pœnitentiã agere velit. Ad gladium istum possumus referre quod legitur Iob 19. Fugite à facie gladij: quia vltor iniquitatũ gladius, & scitote esse iudicium. Ad idem potest

referri quod legitur Ioannis 3. Qui incredulus est Filio, non vi-
debit vitam: sed ira Dei manet super eum. Hæc ira velut gladius
manet super caput peccatoris. In statu etiam periculoso est pec-
cator, quia est in terra inimicorũ suorum. Vnde Baruch 3. Quid
est Israël, quòd in terra inimicorum es? In terra inimicorũ suo-
rum morari periculosum est: ex quo sciunt inimici eius eum ibi
esse, & sunt fortiores eo. Item in periculo est peccator: quia ex so
lo pariete vitreo hostes eius prohibentur ne habeant in manu
sua. Paries iste corpus est: post istum parietem stat diabolus ma-
lis hominibus: sicut Deus in Cantic. dicitur post parietem istum
stare quo ad bonos. Paries iste de facili dissipatur: Vnde non est
necesse erigi magnas machinas ad eius destructionẽ. Vnus enim
paruus lapis manualis ad eum destruendum sufficit. Vnde mirũ
est quomodo peccator securus est qui capitales inimicos habet
adeò potentes, sicut sunt dæmones, & est in castro ita debili. Itẽ
in magno periculo est peccator, quia ad mortem vadit. Vnde Ec-
cle. 21. Via peccatorum complanata est lapidibus, & in fine eorũ
inferi & tenebræ & pœnæ. Debet ergo peccator cogitare vias
suas quò tendant, & cõuertere pedes suos. iuxta illud Psalmistæ:
Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.
In magno etiam periculo est peccator, quia quodammodo ad
portam inferni est: iuxta illud, Appropinquauerunt vsque ad por
tas mortis. Portæ mortis vel inferni sunt peccata mortalia. Sic
enim vocantur Matthæi 16. vbi dicitur, Portæ inferi non præua-
lebunt aduersus eam. Ad portam inferni dicitur esse qui in pec-
cato est mortali: quia inter ipsum & infernum nihil est medium
nisi transitus corporis. Si enim anima à corpore separatur, quasi
in puncto infernũ intrat, vnde Iob 21. Ducunt in bonis dies suos,
& in puncto ad inferna descendunt.

¶ *De magna stultitia differentium conuerti.*

Octavo & vltimo deberet homines mouere ad accelera-
tionem conuersionis magna stultitia, quæ ostenditur esse in dila
tione conuersionis. Patet autẽ hæc stultitia sic. Manifestè fatuus
esset qui in vitulo caudã quæreret equinam, cùm talis cauda nõ
sit de vitulo. Simili fatuitate videtur laborare, qui malam vitam
vult ducere, & bonam mortem habere. Cauda enim ista non est
de hoc vitulo. Talis erat Balaam, qui dicebat Nume. 23. Mori-
tur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horũ si-
milia. Ille qui vsque ad mortem differt conuerti, per totam vitã
suam parat mansionem in inferno, cùm tamen nullo modo ibi
manere velit, sed in paradiso. Item seminat maledictionem, &

tamen vult metere æternã benedictionem, non aduertens illud
Apostoli, ad Gal. 6. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.
& illud Pro. 25. Quod in iuuentute tua nõ cõgregasti, quomodo
inuenies in senectute? Itẽ talis vult colligere de spinis vuas, & de
tribulis ficus: quærit eñ bonũ finẽ in vita spinis peccatorũ plena.

¶ *Octo casus in quibus fatua est dilatio.*

Et notandum est quòd octo casus sunt in quibus fatua solet
reputari dilatio, qui omnes satis cõcordant proposito. ¶ Primus
casus est, quando aliquis aggressurus est iter. Ibi enim solet fatua
esse dilatio. Sic cùm conuersio quædã inchoatio sit vitæ quæ du-
cit in cælũ, fatuum est differre eam, & hoc multis de causis. Pri-
mò, quia breue est tempus: iuxta illud Iob 13. Breues dies hominis
sunt. ¶ Secundo, quia longa est via. vnde 3. Regũ 19. dictũ est Eliæ:
Surge, comede, grandis enim tibi restat via. Tertiò, à magnis ex
pectamur. Curia enim cælestis nos expectat. Quartò, quia ad ma
gna expectamur, scilicet ad regnũ. vnde Matthæi 25. Venite be-
nedicti Patris mei, percipite regnũ &c. Quintò, propter impedi
menta quæ in via possunt accidere. Potest enim locus pœnitẽtiæ
auferri, dum homo nimis differt conuerti. vnde ad Heb. 12. dici-
tur de Esau, ꝙ nõ inuenit pœnitẽtiæ locũ, quanquã cũ lacrymis
inquisisset eũ. Sexto, ne fortè tanua clausa inueniatur: secundum
quod legitur de fatuis virginibus Matt. 25. ¶ Septimo, quia quan-
do aliquis tardè inchoat dietam suã, oportet eũ amplius labora-
re, & in tẽpore minus idoneo labori. Sic necessariũ esset illis, qui
vsq; ad senectutẽ differũt conuerti, vt tunc amplius laborarẽt: &
illa ætas minus est idonea labori pœnitentiç. Sene. Faciamus qđ
in itinere fieri solet: qui tardius exierunt, velocitate morã com
pensant. Et vt vno verbo dicam, omne bonũ illi deficit, qui de no
cte ad hospitiũ venit. Satis malum hospitiũ habebit, cuius hospi-
tẽ infernus erit. In hoc autẽ hospitio hoc præcipuè timendũ est,
ꝙ de cætero mutari nõ poterit. Malũ etiã hospitium habebit, qui
in igne purgatorij hospitabitur. ¶ Secũdò, fatua est dilatio in re-
rum repetitione, propter periculum præscriptionis: quãdo enim
aliquis rem aliquã diu possidet, ratione diuturnæ possessionis
vult postea detinere eam. Sic diabolus quãto diutius hominem
possidet, tanto difficilius dimittit: vt dicit Beda. ¶ Tertius casus
est, si quis in locum immundũ cecidit, fatuus est si volũtariè inde
differt exire. Nulla enim immunditia est maior quàm immũdi-
tia peccati. Quod patet ex hoc, quòd luciferũ, quo nulla creatura
pulchrior erat, vnica macula peccati adeò deturpauit, vt absque
horrore ab homine cõspici non possit. Quanta ergo fatuitas est,

quòd homo de peccato differat exire? Mira insania, si asinus alicuius in lutum ceciderit, tam citò vult eum extrahere. Si vetò ipsemet in peccato ceciderit, non curat exire inde. Vnde Bernardus: Cadit asina, & est qui subleuet: perit anima, & nō est qui recogiter. Et dominus Lucæ 2. Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadit, & non continuo extrahit illum die sabbati? ¶ Quartus casus in quo fatua est dilatio, est quando aliquid magnum alicui offertur, & ille differt recipere, cùm ex dilatione possit impedimentū interuenire. Valde fatuus esset ille cui rex Franciæ vellet ciuitatem Parisiensem dare, si differret eā recipere. Citò enim posset rex consiliū suum mutare: Sic valde fatuus est ille, quem Deus vult inūgere vnctione gratiæ suæ ad regnum cęleste, si ille differat vnctionem illam recipere, cùm ipse sciat q̄ diabolus prohibebitur impedire eam. ¶ Quintò, fatua est dilatio in præparatione eorum quæ scit homo sibi fore necessaria, & nescit qua hora, & præcipuè quādo illa non possunt in breui præparari. verbi gratia: Si quis transfretare debeat, & incertus est qua hora nauis à litore debeat discedere, fatuus est si ea quæ sibi necessaria sunt, differat præparare. Sic cum sine charitate quæ vestis est nuptialis, nemo possit in paradisum intrare, & incertū sit qua hora debeat homo de vita ista discedere, fatuus est, qui differt eam sibi præparare. Si enim tunc quādo mors vrget, primo quærat lanā, & linū, & nere incipiat, & ordiri, & texere, forsitan ad tempus pręparata non erit. Et frequēter euenit illud q̄ ille qui creditur cum charitate discedere, discedit cum sacco seruilis timoris, cum qua aulam cælestis regis non poterit intrare. vnde legitur Esther 4. quòd non erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. ¶ Sexto fatua est dilatio in rebus illis quarum tempus & opportunitas transit: vt in transportatione plantarū, directione virgarū, edomatione animalium, instructione puerorum, curatione infirmitatum, resistentia hostium, lotione vestium, fabritione carnium, informatione vestium. Fatuus esset qui transplantare vellet arbores iam inueteratas, vel dirigere trabes magnas iam desiccatas. Virgæ teneræ transplantari solent & dirigi. Sic homines dum in tenera sunt ætate, transplantari possunt in hortum ecclesiæ, & ad rectitudinem vitæ reduci. In senectute verò valde difficile est. Vnde Eccle. 3. Est tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est. Fatuus etiam esset qui diceret, Nolo equum meum assuefacere ambulationi, donec inueterit, & donec in foueam me præcipitauerit, & mihi collum fregerit. Sic fatuus est qui corpus suum non vult domare per

pœnitentiam, donec in foueam peccati spiritum præcipitauerit, & quasi fregerit ei collum, dando ei occasionem mortalis peccati. Equus inueteratus non assuescit ambulationi: nec vetus canis vinculo, nec vetusta pellis tenet̄ suturam. Tardè adhibetur medicina infirmitati, cùm ex diuturnitate incurabilis facta fuerit. Tardè etiam abluuntur vestes, cùm ex diuturnis sordibus etiam computruerunt. Fatuus esset qui haberet vas aureum, & balsamum sibi oblatum in eo ponere nollet, donec lutum multis annis in eo tenuisset: sic fatuus est qui in se gratiam Dei in pueritia non vult recipere: sed vult vsque ad senectutem vas esse peccati & immunditiæ. Tardè etiam resistitur hostibus, quando iam totum occupauerunt. Tardè sal adhibetur carnibus, quando iam scaturiunt vermibus. Tardè etiam informantur vestes, quando prauam formam iam susceperunt. In his & in similibus nouerunt homines tempus opportunum eligere: de tempore verò oppotuno suæ correctioni non curant. Nihil enim est eis seipsis vilius: iuxta illud verbum Senecæ: Sotulares suos studenter homines in nouitate rectè informare: de seipsis verò rectè informandis in sua nouitate non curant, chariores habētes sotulares suos seipsis. Diligēter instruūt filios suos de informatione vestiū, de informatione verò ipsorum filiorum non curant. ¶ Septimo fatua est dilatio, quando subueniendum est alicui rei in qua aliquid continuè deperit: vt quando subueniendum est domui quæ succensa est igne. Ignis enim qui non est otiosus, incessanter aliquid de domo destruit: sic ignis peccati bona naturalia consumit. Et ideo fatuus est qui differt eum à se excutere. Vnde Bernardus: Abscondi ignem in sinu meo, & exusto iam latere, nudatis iam viscēribus, iam sanie defluente adhuc consulendum est an excutiam illum. ¶ Octauo fatua est dilatio, quando aliquis debet subuenire rei quæ in periculo est: vt si quis ceciderit in aquam profundam, & adhuc supernatat, sed incertum sit quando debeat descendere in profundum: sicut lapis fatuus est qui differt tali subuenire dum potest. Et præcipuè ille fatuus est qui est in periculo, si petat dilationem sui succursus, dicens: Nolo adhuc mihi subueniri vsque ad annum. Qui in peccato mortali est, cecidit in aquam profundam, quasi incertus quando ad profundum inferni descendere debeat. Et cùm ad pœnitentiam monetur, quasi quærat tabula ei porrigitur, in qua de naufragio euadat. Pœnitentia enim est secūda tabula post naufragiū: vt dicit Hier. Vnde valde fatuus est peccator, si differt tabulā istā recipere: vel si nimis paruam eam quærit, quę eū à naufragio liberare non possit: vel si

postquam super eam ascenderit, illam dimittit, donec ad securitatem portus peruenerit. Mira insania est, quòd homines postquam tabulam ascenderunt, iterum in mare voluntarie insiliũt.

¶ De dilatione confessionis. Et de fatuitate eorum qui differunt confiteri.

DICTO de dilatione conuersionis, consequẽter dicemus aliqua specialiter de dilatione confessionis. Et primo ostendemus communiter de fatuitate eorũ qui differunt confiteri. Secũdo, tãgemus de his qui nolunt confiteri donec infirmẽtur ad mortem. Tertio, tangemus de fatuitate eorum qui ante Pascha nolũt cõfiteri, donec tota Quadragesima vel maior pars Quadragesimæ transierit. ¶ Potest autẽ fatuitas eorum ostendi qui differunt cõfiteri. Primo per hoc, quòd ipsi volũt se Deo abscondere. Ille enim qui peccatũ suum homini cõfitetur, illud Deo propriè confitetur. Et qui ei vult abscondere peccatũ suũ, illud vult abscõdere Deo: similis Adę, qui domino quærenti vbi esset, ait, vt legitur Genesis 3. Vocem tuam domine audiui in paradiso, & timui eò quòd nudus essem, & abscondi me. Quanta autem iniquitas sit absconsio huiusmodi, ostenditur Iob 31. vbi sic legitur: Humerus meus à iunctura sua cadat, & brachium meum cum ossibus sui conteratur, si abscondi sicut homo peccatũ, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. Mira fatuitas est, quòd homo velit Deo abscondere mala sua quo vidente ea commisit. Ad cumulum etiam fatuitatis facit hoc, quòd si homo abscondit mala sua, à Deo deteguntur. Si verò detexit, à Deo abscondentur. Vnde Naum 3. Reuelabo pudenda tua in facie tua. Et super illud Psalm. Iniustitias meas non abscondi. dicit glossa, Quum homo detegit, Deus tegit: cùm homo tegit, Deus nudat: quum homo agnoscit, Deus ignoscit. ¶ Secundò, ostenditur fatuitas talium ex periculo obliuionis. Homo enim qui differt confiteri, multa tradit obliuioni. Vnde Bernard. Computatio dilata multa facit obliuisci. Ea quæ obliuiscitur ille qui differt confiteri, non obliuiscitur diabolus, nec etiam ipse Deus. ¶ Tertiò, ostenditur fatuitas talium qui differunt confiteri per hoc, quòd minus amant seipsos sotularibus suis. Singulis enim diebus volunt sotulares suos tergere, ne si lutum in eis fuerit desiccatum, postea de facili illud remouere non possint: à seipsis verò differunt remouere sordes vitiorum per dimidium annum vel amplius. Stabulum etiam suum vult purgare homo antequam lutum fenestras occupauerit: seipsum verò non vult purgare per confessionem, licet videat se inquinatum per peccatum vsque ad fenestras oculorum & aurium.

¶ De sex bonis quæ ex confessione prouenium.

QVARTO potest ostendi fatuitas talium per hoc quòd illa bona amittuntur quæ proueniunt ex confessione. ¶ Primum bonum, quod ex confessione prouenit est, quòd diabolus non ita libenter tentat eum qui per confessionem eius secreta reuelat. Vnde Ecclesiast. 27. Qui denudat arcana, amici fidem perdit. Et Hieronymus, Potestas & virtus traditoris adnihilatur reuelata tradi tione. Latrones infernales ad modum aliorum latronum scientes se deprehensos fugiunt. Vnde Iob 24. Si subito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis. ¶ Secundum bonum est, quòd peccatum homini interdum redditur exosum ex erubescentia quam sustinet confitendo illud. Peccata enim turpia sunt, & nudata turpitudine eorum, quasi erubescerent denudatione suæ turpitudinis, renouare non audent. ¶ Tertium bonum est, consilium ipsius, sacerdotis. Vnde Prouerb. 24. Erit salus vbi multa consilia. ¶ Quartum bonum est suffragium orationum ipsius sacerdotis. Debet enim sacerdos orare pro eo qui sibi confitetur. ¶ Quintum bonum est, quòd pars pœnæ cuius debitor est peccator, ibi dimittitur, & ex vi clauium, & ex erubescentia quæ magna est pœna. ¶ Sextum bonum est, quòd accedenti eo modo quo debet ad sacramentum confessionis, datur gratia, si eam non habet, & augetur, si eam habet. ¶ Quintò potest fatuatis talis ostendi per hoc, quòd ille differt Deo confiteri, differt Deo aperire, petit sibi Deus aperiri, dicens Canticorum 5. Aperi mihi soror mea. Et tunc ei aperitur, quũ aliquis peccata sua humiliter confitetur. Expulsis enim vitiorum obstaculis, Deus cor hominis ingreditur: qui autem differt confiteri, differt ei aperire. Si quis de subditis archiepiscopi per horam differret aperire ei ad ostium eius pulsanti, non parum offenderet eum. Quantum ergo potest Deus offendi, quando aliquis de subditis suis differt ei aperire, per dimidium annum vel amplius? quod frequenter ei accidit. Vnde Ioan. 1. In propria venit, & sui eum non receperunt. ¶ Sextò potest ostendi fatuitas eorum per hoc, quòd pessimum hospitem cuius societatem experti sunt esse valde noxiam, per dimidium annum vel amplius apud se detinere volunt. Hospes iste diabolus est, qui hospitium suum omnibus bonis euacuat. Vnde Ioëlis secundo: Quasi hortus voluptatis coram eo, & post eum solitudo deserti. Antequam diabolus veniat ad animam, ibi est abundantia bonorum: & post aduentum eius magna vacuitas. Mira fatuitas. Si Christus in se vel in membris suis hospitatus fuerit apud aliquem, vix permittitur ibi esse per diem vnum: diabolum

bolum verò permittunt ibi esse plusquam per annum. Vnde hos pes qui Christi nomine recipitur, nõ solũ fœtet hominibus quũ est quatriduanus, sed etiam quum est triduanus vel biduanus. ¶ Septimò potest ostendi fatuitas talium per hoc, quòd cùm ipsi sint in ore diaboli, iuxta illud Iob 36. Saluabit te de ore angusto latissimè: nescit tamen clamare, imò nec summisse peccatũ suum dicere, vt euadat os diaboli. Os diaboli latissimè recipit, angustum tamen est ei qui vult inde exire. Insipientiores videntur esse tales brutis animalibus, quæ clamant quum à fortioribus animalibus rapiuntur. ¶ Octauò potest ostendi fatuitas talium per hoc, quòd ipsi nesciunt ostium aperire quod est sine sera, vt euadant de miserrimo carcere peccati. Ostium sine claue & sine sera, est os quod ipsi nolunt per confessionem aperire.

¶ De fatuitate differentium confiteri vsque ad mortem.

SPECIALITER potest ostendi fatuitas eorum qui confiterit nolunt, donec infirmẽtur ad mortem, multis modis. ¶ Primò per hoc, quòd tales tunc primò medico spirituali infirmitates animæ suæ ostẽdunt, quum iam cõsilium eius implere non possunt. Dum enim infirmi sunt, impotentes sunt ad agendam pœnitentiã. Ideo dicitur Eccle. 17. Viuus & sanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus eius. ¶ Secundò potest ostendi per hoc, quod confessio quæ fit morte vrgente, non est pretiosa Deo. Est enim velut confessio latronum. Latrones non solent confiteri mala sua, nisi prius tormentis interrogati fuerint, & nisi mortem sibi paratam viderint. ¶ Tertiò potest ostẽdi fatuitas talis per hoc, quòd interdum hominem pudet confiteri in morte, quando senex est, peccata quę fecit in infantia sua. ¶ Quartò per hoc, quòd interdum tales loquelam amittunt: & qui noluerunt confiteri dum potuerunt, non possunt cùm volunt. ¶ Quintò per hoc, quòd infirmitas & solicitudo quam habent de dispositione domus suæ, non permittit eos cogitare de peccatis suis. Præterea sacerdos de consuetudine praua in locis multis accedit ad infirmum, simul confessionem eius auditurus, & viaticum daturus, & multi de populo comitantur eum, coram quibus infirmus peccata sua non vult confiteri. Erubescit enim quòd illi à domo exeant, ne credatur enormia commisisse. Et si fortè illi exierint, erubescit infirmus quòd nimium faciat eos expectare.

¶ De fatuitate differentium confiteri donec ferè tota Quadragesima sit transacta.

SEQVITVR de fatuitate eorum qui in Quadragesima nolunt confiteri, donec transierit ferè tota Quadragesima. ¶ Potest autem ostendi talium fatuitas multipliciter. ¶ Primò ex hoc, quòd ipsi sunt præposteri. Volũt enim vltimo facere quod dominus vult primo fieri. Vult enim dominus quòd illi qui ei seruiũt incipiant à confessione. Vnde Psalm. Præcinite domino in confessione. Et iterum: Præoccupate faciem eius in confessione: Et Prouerb. 18. Iustus in principio accusator est sui. ¶ Secundò potest ostendi fatuitas talium per hoc, quòd tales laborem septem septimanarum amittunt in magna parte pro labore vnius horæ; eo scilicet quòd nolunt in principio Quadragesimæ confessionem peccatorum suorum facere, quæ in vna hora fieret. Plus enim valeret ieiunium vnius diei post veram pœnitentiam, quàm valeat ieiunium totius Quadragesimæ ei qui remanet in peccatis suis. Et licet peccata dimittantur sola contritione cum proposito confitendi: tamen frequenter homines qui instructi nõ sunt, nesciunt peccato renuntiare, donec in confessione instruuntur. Vnde frequenter non dimittuntur eis peccata ante confessionem. Fatui etiam sunt tales, qui tunc primo manus abluere volunt, quando iam cibum sumpserunt. Cibus quo anima reficitur & Deus delectatur, bonum opus est. Vnde Ioan. 4. Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me. Post cibũ ergo manus abluit, qui postquam in quadragesima sua bona opera facit, tunc post peccata sua confitetur. Tales etiam tunc primò vineam putant, quando maior pars vindemiata est: quia putatio præparat ad hoc vt vinea melius fructificet. Ideo valde fatuus esset qui putationem differret, donec maior pars fructuum esset collecta. Sic quã confessio præparet ad fructum bonorum operum, fatuus est qui confessionem vult differre, donec maiorem partem fructũ Quadragesimæ collegerit. ¶ Istud facile est videre in purgatione segetum. Nullus enim differt purgationem segetum in agris, donec maiorem partem frugum messuerit. Item tales tunc primo medico spirituali infirmitatem animæ suæ ostendũt, quando casualiter sibi medicinas exhibuerunt, & quando tempus aptũ curationi vel ex toto vel ex maiori parte pertransiit. Item tales tunc primo volunt ferrum remouere de vulnere, quando iam curationem impediunt: cùm tamen dicat Auicenna, quòd dũ ferrum est in vulnere, non est malagma apponere. Ferrum est in vulnere, dum peccatum est in homine: & dum hoc est, non valent opera quæ homo facit ad vitam æternam. Tales etiam in cibo domini fel apponunt, iuxta illud Psalm. Dederunt in escam meam fel: id est, amaritudinem peccati. In escam domini fel ponit, qui bonis operibus quibus Deus habet delectari, peccatum admiscet.

Et

Et vt breuiter dicã, tales quando iam ieiuniũ amiſerunt, tũc primo ad illud præparare ſe volunt. Fatuus reputaretur, ſi quis crucẽ tranſmarinã accepiſſet, & nollet cõfiteri donec perfeciſſet peregrinationẽ ſuã. Si prẽuenienda eſt peregrinatio cõfeſſione, vt ſit inde gratior: quare nõ ſimiliter ieiuniũ? Tales etiã tũc primo vas lauare volunt, quũ iam vinũ infuderunt, & nõ euacuata materia morbi curare præſumunt. Tales etiam prius redẽptionem ſuam in magna parte exoluũt, quàm deliberatione ſua tractauerint. Vnde accidit, quòd ſoluta magna parte redemptionis ſuæ, adhuc æquè capti ſunt à diabolo ſicut prius. Tales morſum ſerpentis infernalis volunt ſanare, adhuc veneno in eis remanente.

De vitio Tarditatis. Et de ſex quæ hoc vitium diſſuadent.

CAPVT VI.

SEquitur de Tarditate, quę eſt ſextum vitium pertinẽs ad acediam. Sicut enim acedioſus differt inchoare opus quod facturus eſt: ſic tardè procedit in opere iam inchoato. ¶ Sex verò ſunt quæ poſſunt diſſuadere nobis vitium tarditatis. ¶ Primum eſt, ipſa anguſtia, ſiue breuitas temporis præſentis. Vnde Eccleſiaſt. 10. Noli cunctari in tempore anguſtiæ. ¶ Secundum eſt, velocitas ipſarum rerum, quæ velociter & quaſi curſim pertranſeunt. Vnde Sapientiæ 5. Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra & tanquam percurrens nuntius. ¶ Tertium eſt, velocitas & ſtrenuitas quã mali habẽt in eis quæ ſibi inutilia vel noxia ſunt. Vnde Prouerbio. 10. Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem. & in Pſalm. Veloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinẽ. Item Horatius: Impiger extremos curit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes. Et Bernard. Magna confuſio. Ardentius deſiderant ſeculares pernicioſa, quàm nos vtilia. Alacrius currunt ad mortem, quàm nos ad vitam. Vnde cùm imminente paſſione domini, cæteri apoſtoli ſomnolenti eſſent, vt legitur Matthæi 26. ſolus Iudas ſomno non opprimebatur: ſed procurabat vt eos adduceret, qui dominum comprehenderent. ¶ Quartum eſt, magna offenſa Dei, quæ ex tarditate iſta incurritur. Vnde Prouerbiorum 10. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis: ſic piger his qui miſerunt eum in via. Acetum moleſtum eſt dentibus, & fumus oculis. Sic Deus moleſtatur in nimia tarditate eorum qui ſibi ſeruiunt. Nec mirum, quum videat eos qui ſtrenui erant, antequam ad ſeruitium eius venirent, tunc tardos & pigros fieri, quando ad ſeruitium eius veniunt, quum volare deberent, iuxta illud Eſaiæ 40. Qui ſperant in domino, mutant fortitudinem: aſſument pennas, vt aquilæ volabunt, & non deficient. ¶ Quintũ eſt, magna gratia quã habent apud Deum, ſeruientes Deo qui ei velociter & ſtrenuè ſeruiunt. Vnde Prouerb. 22. Vidiſti virum velocẽ in opere ſuo? coram regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles. ¶ Sextum eſt, vtilitas quam habent tales ex ſua velocitate & ſtrenuitate. Opera enim, illorũ nõ impediuntur vel tædio, vel alia de cauſa quin perficiantur. Vnde Ecc. 22. In omni opere eſto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.

De vitio negligentiæ. CAP. VII.

SEquitur de negligentia, quæ eſt ſeptimũ vitium pertinens ad acediam. Et attenditur negligentia in hoc, quòd homo non curat qualiter opus inchoatum faciat, vtrum bene vel male: ſed hoc ſolum curat, vt ab onere laboris inchoati ſe expediat. Negligẽtia verò hoc modo ſumpta cõtraria eſt diligẽtię. Et attẽditur diligẽtia in hoc, ꝙ homo ad hoc ſtudeat, vt opus inchoatũ bene fiat. De hac diligẽtia cõmẽdatur mulier habẽs decẽ dragmas. Lucæ. 15. vbi legitur de ipſa, ꝙ amiſſa dragma vna, accẽdit lucernã, & euertit domũ, & quærit diligenter donec inueniat. Ad hãc diligentiã monemur Pr. 24. vbi ſic legitur. Diligẽter exerce agrũ tuũ. Et 27. vbi ſic legitur, Diligẽter agnoſce vultum pecoris tui.

¶ *De ſex quæ faciunt ad deteſtationem negligentiæ.*

SEX verò ſunt quæ poſſunt valere ad deteſtationem negligentiæ. ¶ Primum eſt illud Ieremiæ 47. Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter: vel negligenter, ſecundum aliam literam. Quam literam innuit hic Gloſſa interlin. ſuper illud verbum, fraudulenter vel deſidioſè. ¶ Secundo facit ad deteſtationem huius diligentia, quam habent creaturæ irrationabiles circa opera ſua. Diligentiam habet natura circa fructus arborũ: ſatis patet per hoc quòd eos ita obuoluit duris vel amaris exterius, dulcedinem & teneritudinem interius reponens. Diligentia etiam quam habent animalia ad fœtus ſuos, ſatis manifeſta eſt. ¶ Tertio poteſt valere ad deteſtationem negligentiæ, diligentia quam habent homines circa ea quæ pertinent ad vtilitatem corporis, vel ad honorem mundi, vel circa ea quibus intendunt placere alicui homini. De illis autem ſolum quæ propter Deum fiunt, non curant homines qualiter fiant. De diligentia malorum habetur Matthæi ſecundo: vbi ſic legitur de Herode: Diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ. Et ſubditur, Ite & interrogate diligenter de puero. ¶ Quarto facit ad deteſtationẽ huius vitij ſublimitas perſonarum, coram quibus negligentia talis committitur: quia coram Deo, & angelis eius committi-

tur. Magna diligentia adhibenda esset in psallendo, & aliis operibus quæ fiunt specialiter coram Deo & angelis eius. Vnde in Psal. Quoniam rex omnis terræ Deus, psallite sapienter. & Sapiens: Tanto maiori studio placendi opus est, quanto maior est cui placendum est. Et Dauid: In conspectu angelorum psallam tibi. Et Cant. 8. Qui habitas in hortis, amici auscultant te. Amici isti angeli sunt qui psallentem auscultant te. ¶ Quinto potest valere ad detestationem negligentiæ, vtilitas magna quæ prouenit ex diligentia in seruitio diuino. Plus enim valet vna oratio bene facta, quàm mille cum negligentia factæ, tanta potest esse negligentia. Plus etiam valet dies vna ieiunij si fiat eo modo quo debet, quàm ieiunia decem annorum, si in mortali fiant. ¶ Sexto facit ad detestationem negligentiæ hoc quòd diligentia in seruitio Dei valde honorifica est Deo. Vnde Proverbiorum decimotertio, Mulier diligens corona est viro suo. Anima quæ debitam diligentiam adhibet in Dei seruitio, glorificat Christum, qui est sponsus animarum: sicut corona quæ reddit illum glorioſum cuius capiti imponitur. Præcipuè autem videtur facere ad detestationem negligentiæ hoc, quòd ex negligentia ista prouenit, quòd ex seruitio illo, vnde deberet acquirere apud Deum gratiam, reportat eius offensam.

¶ De remediis contra negligentiam.

CONTRA hanc negligentiam duo spiritualia sunt remedia. ¶ Primum est timor. Vnde Eccles. 7. Qui timet Deum, nihil negligit. ¶ Secundum est amor Dei. Qui enim perfectè Deum diligit, diligentiam adhibet in eis quæ ad Deum pertinent, sicut ille qui aliquem recipit in hospitium, quem multum amat, & ad cuius susceptionem lætus est, cum magna diligentia præparat, quæ ei necessaria sunt. Vnde Ecc. 30. Splendidum cor bonum in epulis. Epulæ enim illius diligenter fiunt.

¶ De tribus quæ impediunt diligentiam studij.

DE negligentia studij specialiter notandũ est, quòd tria sunt quę impediunt illud. ¶ Primum est, nimia velocitas. Quidã enim sunt qui quasi cursim considerant ea in quibus student: nec possunt expectare donec veritas quam quærunt sibi occurrat. Similes pilato, de quo habetur Ioann. decimooctauo, quòd quũ quæsiuisset à domino quid esset veritas, exit ad Iudæos, non expectata Domini responsione. Quòd talis velocitas diligẽtiam studendi impediat, ostendit nobis Sapiens, dicens: Nihil magnum rerum natura cito effici voluit: præposuitque pulcherrimo operi cuique difficultatem. Nascendi quoque hanc legem fecit

fecit, vt maiora animalia visceribus parentum diutius continerentur. Sit tardior dum diligens sit stilus, quæramus optima, non protinus gaudeamus offerentibus. Repetenda sæpius erunt scriptorũ proxima. Sic nanque melius iunguntur prioribus sequentia. Omnia nostra dum nascuntur placent. Sed redeamus ad iudicium. Citò nõ fit vt bene scribatur, & bene scribendo non fit, vt cito. ¶ Secundo impedit diligentiã studij, curiositas, quæ vult videre omnia, quæ sequuntur. Contra quam remedium est, animo velut quoddam frænum imponere, & non permittere vagari illum ad sequentia. Vnde Sapiens: Resistamus & prouideamus, vt effrænatos equos frẽnis quibusdam coërceamus. Oculus cordis semper noua videre apperit, sicut & oculus corporis: iuxta illud Eccles. 1. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Idcó que refrænandus est. ¶ Tertio impedit diligentiã studij, fatigatio. Vnde bonũ est, vt quãdo aliquis videt se fatigatum circa materiã aliquam studẽdo, quòd ipse quiescat, & post quietem ad eandum materiam redeat. Vnde Sapiens: Obstat diligentiæ scribendi etiam fatigatio. Non dubium est, optimum emendandi genus esse, vt scripta in aliquod tempus reponantur, & ad ea post interuallum aliquod velut noua atque aliena redeamus, vt nobis tanquam recentes fœtus blãdiantur.

De vitio inconsummationis. CAP. VIII.

SEquitur de octauo vitio pertinẽte ad acediã, quod possumus vocare vitiũ incõsummationis, seu imperseuerantiæ. Hoc vitio laborãt illi qui raro ad perfectionẽ ducũt aliquod opus quod inchoãt. ¶ Ad detestationẽ huius vitij primo potest valere exemplũ Christi, de quo habetur Mat. 27. ℣ obtulerunt ei Iudæi, quòd crẽderẽt in eũ, si de cruce descenderet. Ipse verò pro tanto munere sibi oblato, noluit opus redẽptionis nostræ incõsummatũ relinquere. Ad idem potest referri quod ipse dicit Ioannis 4. Cibus meus est, vt faciam voluntatem eius, qui me misit, vt perficiam opus Dei. Et Ioann. 18. Ego te clarificaui super terram, opus consummaui quod dedisti mihi, vt faciam. Legitur etiam Deuteron. 32. quòd Dei perfecta sunt opera. ¶ Secundo potest valere ad detestationem huius vitij hoc, quod hoc vitium adeò placet diabolo. Cuius signum est hoc, quòd ipse tantum conatur ad hoc, vt homines non perseuerent. Vnde dictum est serpẽti, Gen. tertio: Tu insidiaberis calcaneo eius: id est, fini, cui præcipuè diabolus insidiatur. Scit enim finem optimum esse in re, & quòd cætera habent ab eo bonitatem suam. Ideo finem præcipuè impedire conatur. ¶ Tertio valere potest ad detestationem huius vitij hoc,

quòd vitium istud valde nociuum est homini: quasi enim perdita sunt cætera, quæ facta sunt, nisi finis sequatur. Parum enim prodest fundamentum & parietes fecisse, si tectum non sequatur. Parū etiā prodest per mare laborasse nauigando, si tunc nauis perierit, quando portui proxima fuerit per leucam vnam. Ideo dicitur Prouerbiorum 18. Qui mollis est, & dissolutus in opere suo, frater est sua opera dissipantis: quasi enim idem est ac si dissiparet, quia ea non perficit. Nec solum est damnosum vitium homini, sed etiam verecundum, & irrisione dignū dicitur enim: Iste homo cœpit ædificare, & non potuit consummare: secundum quod legitur Luc. decimo quarto, Indecens est animal sine cauda & ridiculosum: vt patet in simia: sic opus sine cōsummatione. ¶ Vltimo potest valere ad detestationem huius vitij, magna vtilitas quæ prouenit ex perseuerantia. Tantum enim valet vltimus dies quo aliquis bene viuit, quantum omnes dies præcedentes, quantum ad hoc quòd si illo die male vixisset, tota vita præcedens perdita esset. Sola perseuerantia hominem saluat. Vnde Bernard. Perseuerantia est singularis filia summi regis. Illa enim sola hæres est regni æterni.

De vitio remissionis. CAP. IX.

VLtium remissionis est nonum vitium pertinēs ad Acediam. Hoc vitio laborat ille qui quotidie dererior efficitur. Si inchoat aliquod opus, primo die aliquantulum strenuè operatur, secundò die minus, ad vltimum nihil. De tali dicitur Eccle. 22. Filia fatua in deminoratione fiet. Filia fatua est anima sale sapientiæ non condita, quæ semper decrescendo procedit: sicut e contrario vita iusti procedit à crescendo. Vnde Prouerb. 4. Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectū diem. Et Prouerb. 21. Cogitationes robusti semper in abundantia. Robustus aliquid quotidie lucratur super hostes suos: sed remissus quotidie aliquid amittit. Remissionem verò istam sequitur paupertas primo. Vnde Prouerb. 10. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium, diuitias parat. Secūdo sequitur remissionem istam seruitus vitiorum. Vnde Prouer. 12. Manus fortium dominabitur: quæ autē remissa est, tributis seruiet. Sequitur etiam remissionem istam, frequens fractio propositi. Vnde Sen. Arcum frangit intensio, animum remissio.

De vitio quod potest vocari Dissolutio. CAP. X.

DEcimum vitium quod pertinet ad acediam, possumus vocare dissolutionem. Hoc vitio laborat ille qui inueniens difficultatem in sui regimine, se dimittit omninò absque gubernatione: iuxta illud Pro. 23. Eris sicut dormiēs in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clauo. Talis animum suū nō recolligit. Dispersus enim & diuisus adeò quòd nō tenet de seipso vnā frustam cum alio. Vnde Eccl. 23. Qui docet fatuū quasi qui conglutinat testā. Testa in minutas partes confracta non de facili conglutinatur: nec animus hominis dissoluti de facili recolligitur. Est enim tanquā puluis quē proiicit ventus à facie terræ. Si aliquod bonū, vt scientia, vel aliud illi infunditur, nihil in eo retinetur. Est enim velut doliū nō ligatū. Vnde Ecc. 21. Cor fatui quasi vas cōfractū, & omnē sapientiā nō tenebit. Ex hac dissolutione sequitur penuria omniū bonorū. Vnde Pr. 19. Anima dissoluta esuriet. Solet autem vitium istud prouenire ex quadam diffidentia de Deo, videntes enim aliqui infirmitatem suam, diffidunt posse seipsos regere: quia de diuino auxilio non confidūt. Vnde Ecc. 2. Væ dissolutis corde, quia non credunt Deo, & ideo non protegentur ab eo.

De vitio incuriæ CAP. XI.

VNdecimū vitiū quod pertinet ad acediā, possumus vocare incuriā. Hoc vitio laborat ille, qui suorū debitā curā nō habet. Talis sua non excolit, culta non colligit, collecta non custodit. Notandum quòd sapientia conseruandi non minus valet ad hoc quòd aliquis ditetur & abundet, quàm sapiētia acquirendi. Vnde quidā: Nō minor est virtus, quā quærere, parta tueri. Parua vasa quæ nō tenēt, licet abūdāter recipiāt, nō tamē implētur: vt patet in cribro. Vasa verò magna quæ tenent, liçet nō ita abundanter recipiant, paulatim replentur. Scriptor vnus totam Bibliam scribēdo vno in anno sibi acquirit quod aliquis per totam vitā suā addiscere non potest. Et tamen aliquis citius vnam propositionē addiscit, quàm scriptor scribat vnam dictionē. Sed hoc ideo accidit: quia illud quod addiscitur non memoriter retinetur. Vnde ei qui in studio vellet proficere, summè necessariū esset, vt illud quod addisceret, pro posse suo memoriæ infigeret: deinde quia memoria labilis est, scriberet illud, & quasi de pergameno aliā sibi memoriā faceret. Parum enim prodest quòd aqua ita de facili impressiones recipit, quum eas non custodiat.

De vitio ignauiæ. CAP. XII.

DVodecimū vitiū, quod pertinet ad acediā, possumus ignauiā nominare. Hoc vitio laborat ille qui potiꝰ eligit in miseria magna permanere, quā aliquātulū laboris subire. ¶ Et possumus assignare duodecim ignauias, quæ solēt inueniri in hominibus acediosis. ¶ Prima est, quòd homo acediosus potius eligit carnes

suas comedere, quã labore acquirere quod habeat ad comedendũ. Vnde Ecc. 4. Stultus cõplicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens: Melior est pugillus cum requie, quàm plena vtraque manus cũ afflictione & dolore animi. Acediosus quodãmodo carnes suas comedit, quũ potius vult eas attenuari paupertate & inopia quàm labore proprio acquirat quod sibi necessariũ est. ¶ Secunda est, quòd potius eligit fame perire, quàm laborẽ pascendi se velit sustinere. vnde Prou. 26. Abscondit piger manus suas sub axilla, & laborat si ad os suum cõuerterit. Otiosus totus famelicus est, vt ostensum est prius. Fames autem eius sedaretur, si operaretur. Vnde quum pigritatur operari vt fames repellatur, quodãmodo vult potius se famelicũ esse, quàm laborẽ pascendi se sustinere. ¶ Tertia est, quòd ipse potius eligit nõ lotis manibus mãducare quàm ablutione hãtũ aliquantulũ laborare. Hæc ignauia manifestè potest videri in eis qui per totũ annũ comedunt immũdi: quia manus suas, id est, opera sua per confessionẽ abluere nolunt. ¶ Quarta est, quòd cùm ipse à dæmonibus ad patibulum infernale trahatur, nõ tamen vult se signare cruce pœnitentiæ vt ab eis liberetur. ¶ Quarta est, quòd cùm stillicidium prauarum cogitationũ super oculũ cordis cadere sentiat, præ nimia pigritia oculum non auertit, sed à stillicidio eum corrumpi permittit. ¶ Sexta est, quòd si ignem praui desiderij super pedẽ affectus cadere senserit, ipse potius eligit quòd ignis pedem suum exurat, quàm vt ipse laborem exercendi ignem sustineat. ¶ Septima est, quòd cùm Dominus offerat ei bona gratiæ & bona gloriæ, ipse tamen ex pigritia suscipiendi remanet in sua paupertate. Vnde Ecclesiasti. 25. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit, dabitur illi. ¶ Octaua est, quòd ipse potius eligit in luto per annum permanere, quàm inde surgendo aliquantulum labore. Mira ignauia est, quòd aliquis ex pigritia iacet in luto, qui potest iacere in lectulo florido. Vnde Canti. 1. Lectulus noster floridus. ¶ Nona est, quòd postquam ipse posuit vnum pedem, scilicet intellectus vel boni propositi in via munditiæ, alium tamen pedem, scilicet affectus vel operis, differt mouere per duos annos vel amplius, remanẽs in immunditia ex pigritia remouendi illũ. Multi enim sunt qui postquam iudicauerũt bonum esse inchoare nouam vitam, & proposuerũt vel vouerunt se ingressuros religionem, tamen differunt multis annis implere illud. ¶ Decima est, quòd quum ipse in profundum stultitiæ ceciderit, tamen potius eligit vt stultitia submergat eum, quàm vt ad occupationem per quam euadere possit, manum

num extendat. Sen. A stultitia nemo emergit, nisi manum porrigat ad laborem. ¶ Vndecima est, quòd potius eligit per aquam diuitiarum & deliciarum ire ad mortem suam quàm aliquãtulum laborando per terram siccam paupertatis, ad portum peruenire vitæ. Diuitiæ deliciæque aquæ sunt tendentes ad mare inferni. Ideò prohibemur ponere pedem nostrum super aquam. In Psal. ibi: Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. ¶ Duodecima est, quòd ipse potius eligit in carcere immundo in quo ad mortem seruatur remanere, quàm pro euasione sua laborem exeundi sustinere. Mundus iste carcer est peccati.

De vitio Indeuotionis. CAP. XIII.

VItium indeuotionis est, tertiumdecimum. Et est indeuotio quædam ariditas spiritualis. vnde Psal. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et Nume. 11. Anima nostra est arida, nihil respiciunt oculi nostri nisi manna. Prouenit autem ista ariditas multis de causis. ¶ Quandoque ex superbia, quæ est mons Gelboë, in quo nec ros nec pluuia descendit. Vnde Ber. loquens in persona illius qui deuotionẽ amisit occasione superbiæ, dicit: Ab heri & nudiustertius inuasit me lãguor animæ, & inde hebetudo insolita, quædã inertia spiritus. Superbia inuenta est in me, & Deus declinauit à seruo suo in ira. Non compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis vt nõ sapiat psalmus. Nõ legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non inuenio. Ideóque ad opus manuũ piger, ad vigilias somnolentus, ad irã præceps, ad odium pertinax linguæ & gulæ indulgẽtior, securior, & obtusior ad prædicationẽ. Heu omnes mõtes in circuitu meo visitat dominus: ad me autem non appropinquat. ¶ Quandoque autem prouenit ariditas ista ex defectu cibi spiritualis. vnde Psalmist. Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. ¶ Prouenit etiam quandoque ex acedia. Cùm cæterę creaturę ex otio impinguentur, & ex labore attenuentur: anima humana ecõtrario ex labore impinguatur, & ex otio, & deliciis attenuatur. Vnde Prouer. 13. Vult & non vult piger: anima autem laborantium impinguabitur. Quod ideo accidit, quia opera bona cibi sunt eorum qui ea faciunt. vnde vita spiritualis sustentatur & roboratur. Homines verò qui patiuntur illam spiritualem ariditatem, duri sunt frequenter ad ea quę sunt pietatis, & inflexibiles ad ea quæ sunt obedientiæ. Dura facilius franguntur, quàm flectantur. Si ad ignem tribulationis ponantur, nihil spiritualis pinguedinis emittunt: quia nec gaudent, nec gratias agunt, sed statim ardent & exuruntur per impatientiam. Ad modicum flatum tentationis igne peccati succenduntur. Ad bo-

na opera sunt steriles. Quæ aliis facilia sunt vel etiam iucunda, videntur eis importabilia: sicut panis aridus quandoque transglutiri non potest, qui tamẽ adiutorio liquoris delectabilis efficitur.

De vitio Tristitiæ in diuino seruitio. CAP. XIIII.

TRistitia est XIIII. vitium pertinens ad acediam. Et notandum quòd tristitia est vitium valde detestabile in seruitio diuino: valde enim displicet Deo, & placet diabolo, & homini valde nocet. ¶ Primum patet illud 2. ad Cor. 9. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et econtrario, Tristem datorem odit Deus. Et merito. Tristitia enim in seruitio Dei est quasi absinthium positum in esca Dei. bonum enim opus est esca Dei, sicut ostensum est prius. Præterea quum omnia bona nostra Dei sunt, & solum ea quæ de manu eius accepimus demus ei, sine tristitia deberemus esse, quum oportet nos ei dare. Item quum eis quæ nullius vel parui valoris sunt, parua vel quasi nulla occasione adeò læti efficiamur, satis potest Deo displicere, vt in eius obsequio vbi sunt tot causæ lætitiæ lætificari non possumus. ¶ Causæ lætitiæ quas debemus habere in diuino seruitio, hæ sunt: scilicet quòd tanto Domino seruiemus, scilicet cui seruire regnare est, & quòd in domum Dei imus. Vnde Dauid: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c. Et quòd tantum lucramur, scilicet gloriam æternam. Vnde Psalmist. Et cantẽt in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini. ¶ Quòd verò tristitia ista valde diabolo placeat, potest ostendi per suum contrarium, scilicet per hoc, quòd lætitia spiritualis valde ei displicet. Vnde 1. Reg. 4. dicunt Philisthæi, Vę nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Vę nobis, &c. Et beatus Antonius dicit quòd vnica ratio vincendi inimicum, est lętitia spiritualis. Legitur etiam 1. Machab. 4. de Iuda, quòd præliabatur prælium Israël cum lætitia. Et subditur, quòd dilatauit gloriam populi sui. ¶ Nocet etiam homini tristitia tripliciter, scilicet eum affligẽdo. vnde Prou. 25. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: sic tristitia viri nocet cordi. Nocet etiam homini cum excæcando in his quę ad Deum pertinẽt. Vnde in vitis patrum legitur: Vincula pedũ impedimẽta sunt curforis, & tristitia impedimentũ est diuinæ visionis. Nocet etiã tristitia spiritualiter occidẽdo. Frequẽter etiam est alterius peccati occasio. Vnde Ecc. 30. Tristitiã longe expelle à te. Multos enim occidit tristitia.

De tædio vitæ. CAP. XV.

TÆdium vitæ, est vitium decimumquintum, pertinens ad acediam, & prouenit ex longa tristitia in diuino seruitio. postquam enim aliquis tristitiam patitur, paulatim corruit, adeò vt non

non solum displiceat ei Deo seruire, sed etiam viuere. ¶ Notandum tamen est, quòd tædium huius vitę prouenit ex diuersis causis. Quandoque prouenit ex Dei amore & desiderio cælestis patriæ. Vnde Greg. Sancti grauiter tolerant quicquid non sonat id quod amant. ¶ Quandoque etiam prouenit ex cõsideratione malorũ quibus mundus plenus est. Vnde Ecc. 2. Teduit me vitæ meæ videntẽ mala vniuersa esse sub sole & luna, & eunctã afflictionem & vanitatẽ spiritus. Et eiusdẽ 4. Vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminẽ consolatorẽ, & non posse resistere eorum violentiæ, &c. ¶ Quandoque prouenit tædium vitę ex vehementia tribulationis. vnde Iob 10. Tędet animã meam vitæ meæ. Et 2. ad Cor. 1. Super modum grauati sumus, ita vt tæderet nos etiam viuere. ¶ Quandoque etiam prouenit ex acedia, ad quod possumus referre quod legitur 3. Reg. 19. de Elia, qui petiit animæ suæ vt moreretur, proiecítque se subter vnam iuniperum, & obdormiuit, & ecce angelus Domini tetigit eum. Et subditur quibusdam impositis, quòd iterum obdormiuit.

De Desperatione, & vnde prouenire consuenit. CAP. XVI.

DEsperatio est vltimum vitium pertinens ad acediam. Solet autem prouenire desperatio ex nimia tristitia. Vnde Prou. 15. In mœrore animi deiicitur spiritus: scilicet in profundum desperationis. Et eiusdem 17. Spiritus tristis exiccat ossa. Tristitia etiam fortem animam excæcat ab humore gratiæ, vt per peccatum desperationis frangatur. vnde Eccl. 14. Felix qui non habuit animi tristitiam, & non excidit à spe sua. ¶ Et notandum quòd peccatum desperationis valde displicet Deo. vnde dicit Hier. super Psal. 108. quòd magis offendit Iudas Deum in hoc, quòd ipse se suspendit, quã in hoc, quòd Dominũ tradidit. Valde etiam placet diabolo: quia ille qui dicit verbum desperationis, dicit malum verbum quod dicunt illi qui victi sunt. Et ideo diabolo valde gratum est, qui est aduersarius noster. vnde Prouer. 14. Si desperaueris in die angustiæ lapsus, minuetur fortitudo tua. Multum valet spes seu fiducia in Deo ad fortitudinem. vnde Esa. 40. Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Fortitudo enim Dei quodammodo eorum efficitur, quia de ipsa eis subuenitur. Ideo in Psal. dicitur: Sperans in Domino, non infirmabor. Cùm fortitudo Dei sit eorum qui sperant in Deo: sicut Deus non infirmatur, ita nec illi qui in Deo sperant. Hac de causa dictum est illud Psal. Non derelinquet omnes qui sperant in eo. Sicut vanitatis est fulcimentum negare innitenti: ita veritatis est non negare. Vnde quum veritas Deus sit, confidenti de se non negat auxilium. Ideo

ipse dicit in Psal. Quoniam in me sperauit, liberabo eum.

¶ De remediis contra desperationem.

SVMMVM remedium contra peccatum desperationis est, memoria Dominicæ passionis. Vnde Bern. Peccaui peccatum grande: conscientia mea turbabitur, sed non perturbabitur, quia vulnerum Domini recordabor. Quid tam ad mortem quod non morte Christi soluatur? Si in mente venerit tam potens támque efficax medicamentum, nulla iam possùm morbi malignitate terreri. ¶ Secundum remedium est, consideratio magnæ virtutis quam habet pœnitentia. Est enim pœnitentia medicina contra quam nulla spiritualis infirmitas prævalet. Eccl. 10. Si spiritus potestatem habentis super te ascenderit, locum tuum ne dimiseris, quia curatio cessare facit peccata maxima. Et beatus Martinus legitur dixisse diabolo: Si veram pœnitentiam posses habere, adhuc veniam posses consequi. ¶ Tertium remedium est, consideratio illarum personarum, cum quibus Dominus legitur misericorditer egisse. Vnde Bern. Omnino propter mansuetudinem quæ in te prædicatur currimus post te domine Iesu, audientes quòd non spernas paupertatem, peccatores non horreas. Non horruisti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem, non supplicantem Chananæam, non deprehensam in adulterio, non sedentem in teloneo, non supplicantem publicanum, non negantem discipulum, non persecutorem discipulorum, non impios crucifixores tuos: ideo in odorem vnguentorum tuorum currimus. Potest etiam valere contra desperationem illud quod legitur Luc. 15. Dico vobis, quia gaudium est angelis, &c. Ad idem valet quod legitur de filio prodigo, de quo dicitur, quòd cùm adhuc longe esset, videns eum pater eius, misericordia motus est, & occurrens cecidit super collum eius, & osculatus est eum. Præterea, quis dominus exhæredatus à terra sua & hominibus suis, non gaudeat de eorum recuperatione? Quomodo ergo non gaudebit Dominus de conuersione peccatorum? Ad idem potest valere, si attendatur magnitudo odij quod habet Deus contra peccatum: de quo dictum est suprà in principio. Ex hoc patet quòd destructio peccati plus placet Deo, quàm ipsi peccatori.

De acedia claustralium, & duodecim malis quæ ex ea proueniunt.

CAPVT XVII.

PRæter istam diuisionẽ peccatorum, cuius membra iam prosecuti sumus, sunt multæ aliæ diuisiones pertinentes ad peccatum acediæ, quas prętermittimus, nisi quòd de vna breuiter tãgemus. ¶ Notandũ est ergo quòd acedia potest diuidi in acediam secularem & acediam claustralium. De acedia secularium nihil dicemus. Sed cõtra acediam claustralium ostendemus duodecim mala quę in claustralibus solent inueniri ex peccato acedię. ¶ Primum est, quòd licet die & nocte in ore habeant cibum regium qui de ore Dei procedit, scilicet verbum Dei: tamen ex pigritia terendi eum famelici remanent, nec reficiuntur de cibo illo. Inter aromata nocte & die versantur, & tamen ex pigritia applicandi olfactum, odore eorum non confortantur. Sacra scriptura apotheca est spiritussancti. Vnde Eccl. 24. dicitur de sapientia: Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi. ¶ Secundum est, quòd cùm ipsi sint de nocte & de die in colloquio cum Deo, permittunt tamen multos dies transire, quòd non aperiunt oculos cordis, vt videant quis loquatur cum eis, vel quid loquatur. Sicut dicit Gregorius: Cùm oramus, ipsi cum Deo loquimur: cùm verò legimus, loquitur nobiscum Deus. Magna ergo pigritia est non attendere cum quo loquimur, quando cum Deo loquimur: præcipuè cùm ipse moneat ad hoc, dicens: Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. ¶ Tertium est, quòd ipsi non proficiunt in his quæ religionis sunt: imò quanto diutius in religione sunt, tanto magis dissoluti sunt. Quod valde verecundum est: sicut in scholis diu esse, & in scientia non proficere. Tales religiosos non iuuat assuetudo, vt faciant melius ea quæ sunt religionis, sed potius nocet: quanto enim orant diutius, tanto orant indeuotius. ¶ Quartum est, quòd quanto diutius Deo seruiunt, tanto minus certi sunt quòd habeant gratiam ipsius. Et in veritate satis dolere potest qui reliquit mundum vt Deo seruiret, & postquàm diu seruiuit nullam cum eo familiaritatem habet. Pauca vel nulla signa habet, quòd seruitium eius sibi placeat. Interdum tamen accidit quòd dominus minus bonos consolatur tanquam firmos, & tanquam eos qui propriis expensis non sufficiunt ei seruire. Meliores verò inconsolatos relinquit tanquam fortiores, & tanquam eos qui propriis expensis sibi seruire sufficiunt. Vnde Lucæ decimoquinto, ait maior filius patri, Ecce tot annis seruio tibi, &c. Et respondit pater: Fili, tu semper mecum es, &c. ¶ Quintum est, quòd quanto diutius in camino paupertatis existunt, tanto meliores & delicatiores existunt. Caminus vasa lutea consolidat: sic paupertas claustrales illos qui molles & delicati erant in seculo consolidare debet. Sed multi cùm deberent consolidari, potius dissoluuntur. Quòd tribulationes, paupertas, & huiusmodi excoquant & consolident, potest haberi ex Vitis patrum, vbi legitur, quòd si cruda tegula ponatur in flumine, dissoluitur: cocta

cocta verò non. Ita & homo carnalem habens sapientiam, qui nō est tentationū igne decoctus. Item Esa. 48. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum elegi te in camino paupertatis. Non quasi argentum excoquitur qui de eo quod excoquitur fæces assumit, non deponit. In camino paupertatis dominus seruos suos vel eligit, vel assumptos alibi reponit. ¶ Sextum est, quòd quanto diutius soli iustitiæ approximauerunt, tanto frigidiores existunt. Et satis admirandum est, vnde hoc accidit: quāto enim proximiores fiūt, tanto videntur quòd feruentiores esse deberent. Sed timendū est ne nubes alicuius peccati interposita hoc impediat, vel ne per aliquem errorē fiat, vt cùm progredi debeant, regrediātur, & cùm deberent appropinquare terræ promissionis, ab ea elongentur. Sicut accidit filiis Israël, qui triginta octo annis in deserto errauerunt. Qui cùm crederent appropinquare terræ promissionis, ab ea elongabantur. ¶ Septimum est, quòd quāto diutius existunt in loco impinguationis & saginationis spiritualis, tanto macilēciores inueniuntur. Locus in quo animæ repleri deberēt pinguedine & adipe spirituali, est pax & trāquillitas claustri. Sed acediosi quāto magis ibi sunt, tanto magis inueniuntur macilenti. Quod bene ostēdit ignis tribulationis quē sustinere non possunt, quin statim per iram exurātur. ¶ Octauum est, quòd in statu in quo nō solum currere, sed etiam volare deberēt viri contemplatiui, cùm aues spirituales sint, pigri & tardi efficiuntur. Etiā illi qui strenui erant in seculo, interdū, desidiosi efficiūtur in claustro. ¶ Nonum est, quòd in loco vbi est maior conflictus, securi & somnolenti efficiuntur. In maiori conflictu belli spiritualis sunt claustrales, quàm alij. Plus enim gaudet diabolus quandoque cùm claustralem aliquem ad hoc deducit vt mulierem malā intentione tangat, quàm gaudeat de adulterio vnius hominis secularis. Sicut ostensum est prius in tractatu de Luxuria. Vnde claustrales non deberent esse securi: sed cum timore & solicitudine salutē suam operari. ¶ Decimū est, quòd ipsi volunt esse otiosi vbi minimè locus est otij. Licet aliquis toleret quādoque arbores steriles in terra sua deserta: tamen in terra bene culta, sicut in horto, nō toleret eas vllo modo. Sed constat quòd claustrū est velut hortus cōclusus iuxta illud Canticor. 4. Hortus conclusus, soror mea sponsa. Vnde in claustro minus sunt tolerabiles homines otiosi, qui sunt velut arbores steriles, quàm in aliis locis. ¶ Vndecimum est, quòd ibi procrastinantes & differentes fiunt, vbi deberent omnino esse parati. Si fatua est procrastinatio siue dilatio senum in his quæ pertinent ad salutem corū: quanto magis in claustralibus qui iam sunt

sunt mortui, iudicanda est fatua crastinatio propriæ correctionis, vel melioratiōnis eorum? ¶ Duodecimum est, quòd ibi præcipuè tristes sunt, vbi præcipuè vel solum læti esse deberent. In diuino seruitio præcipuè locus est gaudij in vita ista: quia ibi præcipuè facit homo vtilitatem suam.

¶ *De octo remedijs contra Acediam.* PARS III.

SEquitur de remediis contra Acediam, de quibus sufficiat ponere octo, licet sint multa plura. ¶ Primum est, diuersitas occupationum. Hoc remedium habetur in Vitis patrum, vbi legitur quòd beatus Antonius tentatus fuit à spiritu acediæ, & residēs in eremo dicebat: Domine, saluari desidero, sed vanæ cogitationes non permittūt me. Quid faciam in tribulatione, vel quomodo debeā saluari, dignanter ostende. Et respiciēs vidit quendam astantem torquentem funiculum, qui sibi similis erat: deinde ex opere surgentem & orantem, & iterum sedentem, & plectas facientem de palmis, & inde ad orationem rursus surgentem. Erat autem ille angelus Dei, & dixit ei: Et ita faciens Antoni, saluaberis. ¶ Secundū est, consideratio pœnæ futuræ. Hoc habemus Iere. 1. vbi legitur: Quid tu vides Ieremia? Et dixit, Virgam euigilantem ego video. Virga euigilans à somno acediæ vel pigritiæ, est cōsideratio pœnæ futuræ. ¶ Tertium est, consideratio æterni præmij. vnde Augu. Labor te terret, vide mercedem. Et Genes. 15. Factus est sermo domini ad Abraham per visionem dicens: Noli timere Abraham: ego protector tuus, & merces tua magna nimis. Si terret pigrum labor, attrahat eum merces. Secundum & tertium similiter habemus in Vitis patrum: vbi dicitur quòd quidam frater interrogauit abbatem Achillem, dicens: Cur sedens in cella mea patior acediam? Cui senex: Quia nondum vidisti requiem quam speramus, neque tormenta quæ timemus. Si enim ea inspiceres diligenter, & si vermibus plena esset cella tua vsque ad collum, etiam in ipsis permaneres sine acedia iacens. ¶ Quartum est, societas bonorum. Hoc remedium possumus habere ex isto verbo Exo. 17. vbi dicitur, quòd pugnante Iosue contra Amalech, orabat Moyses leuans manus ad dominum, cuius manus graues erant: sed Hur & Aaron sustentabant manus eius ex vtraque parte. Per quos signantur duo genera hominum, quorum societas amanda est. Per Hur qui interpretatur lumen, significātur illi qui ministrant lumen doctrinæ. Per Aaron qui interpretatur mons fortis, significantur illi quorū interuentu venit homini auxiliū. iuxta illud, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Illis ergo qui manus habent graues ex acedia, ne

cessa

cessarium est vt habeant tales in societate sua, qui eos exemplo suo & doctrina illuminent & orationibus iuuẽt. ¶ Quintum est, exemplum illius qui piger non fuit, sed exultauit vt gigas ad currendam viam. Hoc remedium habemus Matth. 26. vbi dominus dixit discipulis: Non potuistis vna hora mecum vigilare? Cum domino vigilare, est exemplo eius à somno acediæ cauere. Hoc remedio vtitur Apostolus ad Hebræo. 12. dicens: Recogitate eum qui talem sustinuit à peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem, vt non fatigemini animis vestris deficiẽtes. ¶ Sextum est consideratio periculorum, in quibus sumus in præsenti, quod dominus insinuat Matt. 26. vbi dicit, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Tria genera periculorum consueuerunt specialiter homines excitare à somno. Periculum aquæ, ignis, & latronum: quæ pericula specialiter nobis imminent. Non enim est dies in quo fluctus malarum cogitationum super caput cordis nostri non ascendãt. Non est etiam dies in quo ignis prauorum desideriorum in domo conscientiæ nostræ non succendatur. Latrones etiam semper adsunt. Etiam illi qui deberent esse seruientes nostri deprædantur nos, vnde Thren. 3. Oculus meus deprædatus est animam meam. ¶ Septimum remedium est amor Dei, quod docet nos dominus Leuit. 6. vbi dicitur, Ignis in altari meo semper ardebit, quẽ nutriet sacerdos, subiiciens ligna mane per singulos dies. Deus vult quòd semper in altari cordis ardeat ignis feruoris. Hunc ignem debet nutrire sacerdos in suis subditis: vel quilibet in semetipso subiiciendo ligna per singulos dies recolẽdo beneficia Dei quibus debemus respondere: vel mala nostra recordando, pro quibus Deo satisfacere debemus, vel promissa præmia quæ promereri debemus. Præcipuè deberent in nobis istum feruorem accendere, beneficia quæ nobis Christus exhibuit in carne mortali assumpta. Vnde Bernardus: Quid nobis nõ suaue, cùm recordati fuerimus infantilium necessitatum Christi, laborum in prædicando & cæterorum? Quis amplius gemet dicens: Nimium ieiunamus, nimium vigilamus? cum millesimæ parti debitorum respondere non valeamus. ¶ Octauum & summum remedium est gratia Dei. Hoc remedium insinuat nobis Bernard. super Cant. ibi, Trahe me post te, dicens in persona eorum qui pigri sunt: Opus habemus trahi; quia refriguit paruum per ignis amoris tui: nec valemus à facie frigoris huius currere sicut heri & nudiustertius: curremus post ea, cùm reddideris lætitiam salutaris tui, cùm redierit melior temperies gratiæ. Vnde cùm aliquis sentit se segnem vel acediosum, instare debet orationi

ni coram Deo, vt orando impetret gratiam quæ ab eo expellat acediam. Et notandum quòd omnia quæ dicta sunt ad detestationem acediæ, possunt esse remedia contra acediam: ideo de remediis Acediæ hic finem facimus.

De indiscreto feruore: qui acediæ videtur esse contrarius,

PARS IIII. *quæ habet quinque capitula.*

De feruore indiscreto, de his quæ exiguntur ad hoc vt aliquis Deo discretè seruiat. CAP. I.

SIcut in vitio auaritiæ tractauimus de vitio prodigalitatis, eò quòd auaritia & prodigalitas vitia sunt opposita: sic cum acediam tractabimus de indiscreto feruore. Acedia enim & indiscretus feruor quodammodo videntur esse vitia opposita. Ad cuius detestationem valere possunt. Primo testimonia scripturarum: sicut illud ad Rom. 12. Rationabile sit obsequiũ vestrum. ¶ Tria sunt quæ exiguntur ad hoc vt homo cum discretione & rationabiliter Deo seruiat. Primum est, nobilitas personæ cui seruitur. Vnde honor regis iudicium diligit, scilicet iudicium discretionis. Secundum est, humana natura. Homo enim rationalis creatura est, & ideo rationabiliter operari debet. Plus debet inniti sapientiæ, quã fortitudini. Belluinum enim est viribus decertare, sicut dicit philosophus. Tertio requirit hoc ipse hostis cõtra quẽ pugnã habemus: diabolus enim contra hominem pugnat potius astutia & sapientia, quã viribus: ideo & nos sapientia contra eum pugnare debemus, non viribus: vires enim nõ sufficerent resistere sapiẽti; quia melior est sapientia, quã vires: & vir prudens, quã fortis. Sap. 6. Ad signandũ quòd Deo non placeant opera sine discretione facta, non offerebatur in lege animal cæcum. Ideo etiã in omni sacrificio offerebatur sal. Sale condiuntur cibi vt homini bus bene sapiant: per quod signatur discretio, quæ facit opera grata Deo. Ad idem Prou. 4. Palpebræ tuæ precedant gressus: id est, considera opera tua. Et illud Apost. 1. ad Timot. 5. Noli adhuc aquam bibere, sed vino modico vtere. Glos. Prudenter sibi vult Deus seruiri: non in nimietate, ne debiles fiant, & pòst medicorum suffragia quærant. Temperandum est enim, vt si fieri potest, cœptũ obsequiũ gradatim prouehatur, potius quàm in consideratione minuatur. Ad idem 1. Petr. 4. Charissimi, nolite peregrinari in feruore qui ad tentationem vobis fit. Et Eccl. 7. Noli esse iustus multum. Ibi dicit glo. interlin. quòd summa iustitia, summa iniustitia est. Sunt aliqui qui in nullo volunt cõdescendere carni, quorum iustitia magna iniustitia est. Ad idem potest valere illud philosophi; Arbitror primo in vita vtile esse, ne quid nimis.

De

De multiplici malo quod ex indiscreto feruore prouenit.

CAPVT II.

SEcundo potest valere ad detestationem indiscreti feruoris, si ostendamus mala quæ ex eo sequuntur. Et ostendit beatus Bernard. quatuor mala ex eo sequi, dicens: Qui ex indiscretionis vitio ieiunia & vigilias & huiusmodi sic agit, vt deficiente spiritu vel corpore languēte, spiritualia impediātur, abstulit corpori suo boni operis effectum, spiritui affectum, proximo exemplum, Deo honorem: sacrilegus est, & omnium bonorum in Deum reus. Sacrilegus talis dicitur, qui violat templum Domini, scilicet corpus suum. Salomon etiam ostendit quòd malum sequitur ex indiscreto feruore. Prou. 19. dicens: Qui festinus est, pedibus offendit. Ille ex festinatione offendit qui ex indiscreto feruore infirmitatem corporis sui seu animæ incurrit. Et licet ex festinatione sequi posset casus in quocunque ambulante: tamen præcipuè in eo qui per scalam vadit. Præterea talis casu suo multum descendit. Vnde cùm conuersio viri religiosi sit quasi ascensus per scalam, cum discretione debet ascendere. Si enim per infirmitatem corruat, ipse descendit vsque ad initium scalæ. Oportet enim eum comedere carnes, & talia facere quæ faciebat in seculo. Vnde dicit beatus Bernard. Nemo repente fit summus. Ascendendo, non volando, apprehenditur summitas scalæ. De indiscreta etiam festinatione legitur Prouerbiorum 13. quòd substantia festinata minuetur. Et eiusdem 20. Hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. Et licet ista festinatio in omnibus timenda sit, præcipuè tamen in nouitiis. Ille qui equum suum nimis fatigat in mane, non videtur facere in die bonam dietam. ¶ Sequitur etiam ex indiscreto feruore, peccatum superbiæ & vanæ gloriæ. Vnde quidem corpus non frangendum, sed regendum est. Sint ergo moderata ac sancta & simplicia in omni humilitate ieiunia, quæ ita corpus attenuent ne animam eleuent, ne res humilitatis gignat superbiam, & vitia de virtute nascantur. Quæ supererit spes salutis, si ipsa animæ media venena sunt? ¶ De superbia etiam talia dicit Ber. Quæ maior superbia, quum vnus homo toti congregationi iudicii suum præfert? tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? ¶ De vana etiam gloria dicit beatus Bernardus ad fratres suos: Non legistis in regula nostra, quòd quicquid sine voluntate & consensu patris spiritualis fit, vanæ gloriæ imputabitur, non mercedi. Et Matthæi 6. Extermiuant facies suas vt appareant hominibus ieiunantes. Sequitur etiam ex feruore indiscreto scandalum alio

aliorum, & maximè in congregatione. Bern. de talibus: Hi sunt vnitatis diuisores, inimici pacis. Casus etiam vnius talium multos exterret & tepescere facit à desiderio proficiēdi. Et cuius exēplum debuit alios attrahere, facit eos formidare austeritatem religionis, vt adimpleatur illud Psal. Posuisti firmamentum eius formidinem. Videtur etiam sequi ex feruore indiscreto quędam idololatria. Vnde Bern. Scelus est idololatriæ non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi nolle obedire. Et subdit: Eant nunc qui se faciunt religiosiores aliis, qui non sunt sicut cæteri hominum: ecce pagani & idololatræ sunt. Et 1. Reg. 15. dicit Samuel, quòd peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Sequitur etiā ex indiscreto feruore quandoque rapina. Iudicium enim quod debet esse apud patrem spiritualem, vsurpant sibi tales personæ, & id cui renuntiauerunt, iterum sua authoritate reassumunt. Vnde Bernar. Qui vestri curam semel nobis cōmisistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? Et vt breuiter dicam, Non habet calidus hostis efficacius machinamentum ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit vt in ea incautè, & non cum ratione ambuletur, sicut dicit beatus Bernardus.

De duodecim stultitiis indiscreti feruoris. CAP. III.

TErtio possunt valere ad detestationem huius vitij stultitiæ quæ ostenduntur in his esse qui laborant hoc vitio, quæ sunt duodecim. ¶ Prima est, q̄ ipsi contra ordinem ecclesiæ crucem lumini præferunt, vel potius sine lumine ferunt. Ordinatum est in ecclesia quòd lumen cruci præferatur, ad significandum quòd lumen sapientiæ cruci pœnitentiæ præferendum est. Vnde legitur in fine Prou. de sapiente muliere, quòd ipsa operata est consilio manuum suarum. Manus sunt quæ non solum habent cognitionem, sed etiam operationem bonam, quorum consilio præcipuè acquiescendum est. Ex hoc verò quòd tales crucem pœnitentiæ sine lumine consilij ferunt, accidit frequenter, quòd ipsi innocentem crucifigunt qui latronem crucifigere debuerunt, scilicet nouum hominem, qui debuerunt crucifigere veterē. Vetus homo intelligitur ex peccatis compositus, velut ex membris. Vnde ad Col. 2. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram &c. Homo nouus intelligitur compositus ex virtutibus, velut ex membris. Nouus ergo tunc crucifigitur, quando per niniam afflictionem abstinentiæ virtutes operari nō possunt. ¶ Secunda stultitia est, q̄ ipsi assumunt arma nimis ponderosa, quæ pondere suo eos deiciunt, & quæ debuerunt eos ab hoste protē-

gere, potius eos capi ab hoste faciunt, non attendentes quod fecit Dauid, 1. Reg. 17. qui Saul nimis ponderosa arma deposuit, quibus depositis Goliam deuicit. Sic aliqui deuincerent diabolum cum mediocritate ieiuniorum & vigiliarum, qui cum nimietate per iram vel impatientiam deuincuntur. ¶ Tertia est, ꝙ quum ipsi habeant equum valde impetuosum, nō curant tamen frænum imponere ei, sed solum calcaribus sunt contenti, quum tamen constet frænum non minus necessarium esse equo, quàm calcaria. Non minus periculosum est alicui inter hostes esse sine fræno, quàm sine calcaribus. Bern. Bonæ voluntati non semper credendum est, sed frænanda & regenda est maximè in incipiente. Iac. 3. Fræna in equorum ora mittimus ad consentiendum nobis &c. ¶ Quarta est, quòd cùm infirmitas quæ est ex calida causa, periculosior sit, quàm illa quæ est frigida: ipsi tamen se sanos omnino putant, licet ex calida causa infirmentur. Acedia enim velut infirmitas est ex causa frigida. Vnde tepiditas vocatur. Indiscretus verò feruor, est velut infirmitas ex calida causa: & ideo periculosior esse videtur. ¶ Quinta est quòd cùm ipsi habeant dominum ditissimum & liberalissimum, credunt tamen placere ei si seruientes illius adeò fame affligant, ꝙ impotentes fiant ad seruiendum ei, quum tamen sciant hoc non placere hominibus pauperibus atque auaris etiam de iumentis suis. Nullus enim vult vt iumentum suum tantum ieiunet ꝙ ei seruire possit. ¶ Sexta est, ꝙ quum magis periculosum sit nauem esse nimis oneratā quàm vacuam: ipsi tamen non curant cauere naui suæ à periculo nimij oneris. Homo in mundo isto est velut nauis in medio mari. Vnde facta est quasi nauis institoris. Hoc dicitur de sapiente muliere, Prouer. cap. vlt. Imminet autem huic naui duplex periculum: scilicet submersionis ex nimio onere, & euersionis per fluctus tentationum ex vacuitate. Sed tales periculo submersionis non curant subuenire. ¶ Septima est, ꝙ ipsi iudicant cibum esse subtrahendum filiis Dei, qui digni essent cibari auro & argento, & potari balsamo: iuxta illud Bern. Da mihi alterum Timotheum, & ego eum si vis cibo auro, & poto balsamo. Ad cumulum huius stultitiæ facit hoc, ꝙ ipsi vident tot filios diaboli qui omni bono sunt indigni, ita largè bona domini sui expendere. ¶ Octaua est, quòd quum ipsi velint multum Deo seruire: ita tamen volunt ei seruire, ꝙ nō possint ei diu seruire. Sapiens: Quid stultius, quàm quod libenter facias, curare vt diu facere non possis? ¶ Nona est, quòd quum equis suis subtrahunt auenam, volunt facere maiorem dietam tam male proportionantes ea quæ asino debentur, scilicet

scilicet cibaria, virgam & onus. Virgam & onus duplicant, cibaria autem dimidiant. de his habetur Eccles. 33. Cibaria virga & onus asino &c. ¶ Decima est, ꝙ ipsi se perfectos non æstimant, nisi magistrum suum Christum excedant, cum scriptum sit Luc. 6. Perfectus omnis erit si sit sicut magister eius. Constat cuilibet fideli Christum perfectissimum fuisse, & tamen comedebat & bibebat mediocriter. ¶ Vndecima est, ꝙ ipsi credunt seipsos esse sanctos non posse, nisi prius fuerint homicidæ. Si ille qui auferret victum alicui quo victurus esset per annum, homicida reputaretur: Quantomagis ille qui nimiis ieiuniis & afflictionibus efficit vt decem annis citius moriatur quā esset moriturus? ¶ Duodecima stultitia est, quòd quum ipsi aliis boni sint, & caueant à nocumento omnium: tamen sibiipsis mali sunt & immisericordes. Sed qui sibi nequam, cui bonus? Ecclesia. 14.

De malis quæ faciunt delicata cibaria. CAP IIII.

SCiendum est, quòd in cibis qui sumuntur valde timenda est delectabilitas, quia frequēter nimis sumitur de cibis delectabilibus. Præterea, consolatio in cibis delectabilibus, quandoque prohibet hominem à diuina consolatione. Secundum Bern. Nimis delicata est diuina consolatio, quæ non datur admittentibus alienam. Sed si quis in cibos quos sumit in quantitate & in ardore caueat, & creatori de creaturis quas sumit gratias agat, nō solum absque peccato, sed etiam meritoriè potest sumere de cibis illis quantum necesse est ad sustentationem corporis sui. Deus enim creauit cibos ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, 1. ad Timoth. 3. Et vt breuiter dicam, sic debemus habere corpus sicut ægrum comedentem, cui multum volenti inutilia sunt neganda, vtilia verò etiam nolenti sunt ingerenda.

De condescensione patrum spiritualium circa fratres. CAP. V.

ET notandū quòd sicut apud religiosos viros præcipuè oportet nouitios cauere ab indiscreto feruore: sic oportet patres spirituales condescendere fratribus quandoque. Vnde legitur de beato Antonio, ꝙ quidam venator vidit eum gaudere cum fratribus suis, & displicuit ei. Cui Antonius volens ostendere, quòd quandoque oporteret eum condescendere fratribus, ait: Pone sagittam in arcu, & trahe. Et fecit sic. Et rursus dixit, Trahe. Et traxit. Et rursum, Trahe, dixit. Et respondit sagittarius: Si supra mensuram traxero, frangetur arcus. Et respondit Antonius: Ita est de opere Dei, si supra mensuram tendimus, fratres deficiunt. Expedit ergo aliquando laxare rigorem. Simile est de chordis citharæ, quæ si parum tendantur, rauce sonant: si nimium, rumpun-

tur: si moderatè, dulcem sonum reddunt. Impetus animi obice inuento intumescit: ideo aliquid libertatis concedendum est interdum fratribus, ne sicut accidit in doliis ferratis, circuli in eis rumpantur, & fundus exiliat. Castanea non incisa in igne posita, aut crepat aut exilit. Dicitur etiam quòd terræ motus fiat ex multis vaporibus in visceribus terræ meatum non habentibus: ideo oportet homines ab hominibus non nimis coartari, imò aliquis locus relinquendus est gratiæ Dei & libertati arbitrij.

TRACTATVS VI. de Superbia.

Quare vitia sic ordinentur, & de radicibus vitiorum. Et de ordine dicendorum de Superbia. PARS I.

DICTO de vitio Gulæ, Luxuriæ, Auaritiæ, & Acediæ, dicendũ est de tribus vitiis sequentibus, scilicet vitio superbiæ, inuidiæ & iræ. Cuius ordinis ratio sic potest manifestari: Sicut virtus secundum Aug. amor est ordinatus: sic vitium est amor inordinatus. Amor verò duabus de causis potest esse inordinatus. Est enim inordinatus si sit amor mali. Licet etiam amor boni sit, est tamen inordinatus si sit nimius vel nimis paruus: & hoc secundum duas species bonorum: quædam autem bona sunt parua, scilicet temporalia seu corporalia: quædam verò magna: vt sunt bona gratiæ & bona gloriæ. Bona verò gratiæ intelligimus ipsam gratiam & opera meritoria. Amor ergo magni boni inordinatus est, si sit paruus. Et talis amor videtur esse radix in vitio acediæ. Acedia enim videtur esse paruus amor magni boni: vnde & tepiditas vocatur. Amor verò parui boni inordinatus est, si sit minus. Et iste amor videtur esse radix in vitio gulæ, luxuriæ, & auaritiæ. Et diuersificatur amor iste, quia bona parua amari possunt quo ad dominium seu possessionem, vel quo ad vsum delectabilem. Primo modo amat ea auarus. Secundo modo gulosus & luxuriosus. Vitium verò gulæ & luxuriæ in hoc differunt: quia vitium gulæ est amor inordinatus delectationis, qui est secundum gustum. Vitium verò luxuriæ est amor præcipuè illius delectationis quæ secundũ tactum est. Amor verò qui est inordinatus, eò q̃ est amor mali, videtur posse distingui in amorẽ proprij mali & alieni mali. Sed quia nullus propriũ malum amat inquantũ tale: sed quãdoque ideo, quia æstimat illud esse bonũ corpori, ideo tantum alieni mali amor radix est in tribus vitiis quæ sequuntur. Et diuersificantur per hoc q̃ in superbiæ peccato est amor proprij boni cũ alieno malo. Amat enim superbus sui exaltationem, & proximi deiectionem.

hem. In peccato verò iræ & inuidiæ est amor alieni mali purè. Sed in hoc videntur differre illa duo vitia: quia in peccato iræ amor alieni mali originem videtur habere à malo alterius. Ille enim qui irascitur alicui, ideo ei vult malum, quia malum ab eo recipit. Ira enim est appetitus vindictæ. In peccato verò inuidiæ amor alieni mali ortum habet à propria malitia, scilicet à superbia. Inuidus enim ideo vult malũ alterius, ne ille sibi parificetur. Vnde peccatum inuidiæ in materia communicat cum peccato iræ, sed finem recipit à peccato superbiæ. His habitis de facili potest videri ratio quare de superbia, ira, & inuidia posterius tractetur: quia hæc tria vitia amorẽ nostrum inordinatum reddũt ad proximũ: quatuor præcedentia inordinatũ reddunt ad nosipsos: inordinatio verò alicuius in se prior est quàm inordinatio ipsius ad alium. Præterea prius est quod animale, deinde quod spirituale. Vnde quum quatuor prima vitia humana sunt, & ita quodammodo carnalia, in ordine doctrinę priora sunt. Tria verò quæ sequuntur, quæ diabolica sunt & spiritualia posteriora sunt. Et inter ista tria, prius est vitium superbiæ, quia est occasio aliorũ. Et quia præcedentibus magis assimilatur, ideo de ipso primo dicemus. Et hoc ordine. Primo ponemus ea quæ valent ad detestationem superbiæ. Secundo ponemus diuersas diuisiones pertinentes ad hoc vitium, & de membris eius prosequemur. Tertio tangemus aliquid de remediis contra superbiam.

De his quæ valent ad detestationem Superbiæ in communi.

PARS II. *quæ habet duodecim capitula.*

Quomodo se habeat Superbia ad bona. CAP. I.

AD detestationem verò huius vitij, Primò ostendemus quomodo ipsum se habeat ad bona quomodò ad cætera mala, quomodo ad diabolum, quomodo ad proximum, quomodo ad Deum, quomodo ad proprium subiectum. ¶ Notandum ergo q̃ vitium superbiæ, si iam sunt bona in aliquo expellit: si nõ sint, ea intrare non permittit: si qua remanent, falsificat & inquinat. Ad primum pertinet illud Augustini: Alta siccantur, & ima replentur. Et illud Bernar. Superbia siue iam existens, siue non, semper causa erit subtractæ gratiæ. Nũquid qui humilibus dat gratiam, humili aufert datam? Ergo argumentum est superbiæ subtractio gratiæ. Et illud Grego. Sicut humilitas omnia vitia eneruat, omnésque virtutes colligit & roborat, sic superbia omnes virtutes destruit & eneruat. Ad secundũ pertinet illud, Timor infusa repellit. Sicut humilitas nõ solum gratia est, sed etiam vas aliarum gratiarum: sic superbia non solummodo est malum, sed impedi-

mentum etiam bonorum. Vnde quidam sapiens ait Alexandro, quum agnosceret eum superbum: Deus præsto est largiri sapientia, sed non habes vbi eam recipias. Quòd autem superbia bona falsificet, patet per hoc, q; ea quæ sunt de genere bonorum, si ex superbia procedant, vt scilicet fiant propter vanam gloriam, nó sunt meritoria, imò demeritoria, & videtur homo dives esse, & nihil habet. vnde Bernardus: Magna virtus humilitas, sine cuius obtentu nõ solum virtus non sit, sed etiam in superbiam erumpit. Quòd etiã superbia bona inquinet, patet per illud Poë.æ: Inquinat egregios adiuncta superbia mores. vnde quidam: Si tibi gratia, si sapientia, formáque detur, Inquinat omnia sola superbia si comitetur. Superbia est velut quędam vestis maculata, qua superbi se & suos induunt. vnde Ecclesia. 14. Qui communicauerit superbo, induet superbiam. Et valde mirum est de superbo qui super omnia amat honorem, quomodo vestem ita maculatam vult induere, quæ quicquid in eo est, maculat? Præterea quũ ipse vestem istam pallio humilitatis operiat, iuxta illud Grego. Glorioſa res est humilitas, qua si palliari appetit superbia, vilescat. Mirum est, quomodo superbus vestem superbiæ ex toto non deponit, & vestem humilitatis non assũmit.

Quomodo vitium superbiæ se habeat ad alia vitia. CAP. II.

SEquitur videre quomodo vitium superbiæ se habeat ad alia vitia. Notandum ergo quòd vitium superbiæ quasi rex est vitiorum. Vnde maximum peccatum vocatur in Psal. vbi dicitur, Emundabor à delicto maximo: id est, à superbia, dicit glo. Et coronam dicitur habere, sed maledictam. De qua legitur Esaiæ 27. Væ coronæ superbiæ. Et ad modum regis quando hoc vitium venit ad aliquem, non solum venit, sed adducit magnam societatem vitiorum. Vnde Ecclesiasti. 10. Initium omnis peccati est superbia. Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis: id est, vitiis. vbi dicit glos. De superbia nascuntur hæreses, schismata, detractiones, inuidia, verbositas, iactantia, & contentiones, & huiusmodi. Bernardus, Initium omnis peccati & causa totius perditionis est superbia. Propterea quisquis es qui salutem tuam studes operari aduersus hanc, super caput tuum cornu crucis habere memento, vt non eleueris in superbiam. Hoc vitium etiam ad modum regis magnas expensas requirit, ita quòd superbis hominibus non sufficiunt episcopatus, archiepiscopatus, vel regna. vnde Ecclesiasti. 21. Domus quæ nimis locuples est, adnihilabitur superbia. Et quum superbia maiores expen

expensas requirat, quàm cætera vitia: tamen minus vtilitatis habet. Ex vitiis quæ pertinent ad concupiscentiam carnis vel concupiscentiam oculorum, consequitur vtilitas saltem corporis: superbia autem animæ nocet, corpori verò non videtur prodesse, vnde Sapi. 5. dicunt damnati in inferno: Quid profuit nobis superbia, aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Vitium superbiæ postquam dominium habet in aliquo, non amittit illud de facili: sic ut reges de facili nõ amittunt castrum, quod semel possident, quia potenter illud defendunt. Vnde Eccle. 3. Synagogæ superborum non erit sanitas. Si in tanto timore & angustia sunt infirmi, quum infirmitas eorum incurabilis esse dicitur, in quanto timore deberent esse qui vitio superbiæ laborant, quum Spiritussanctus dicat eis, q; vitium illud non sanetur? Vitium etiam superbiæ caput est antiqui serpentis, cuius capitis contritioni maximè est insistendum. vnde dictũ est Gene. 3. serpenti de muliere, quæ ecclesiæ tenet figuram, Ipsa conteret caput tuum. Serpens modica percussione capitis extingui tur. Si autem capiti parcatur, frustra cætera membra eius percutiuntur: amputata autem cauda, nihilominus viuit. Similiter frustra alia vitia à se amputare nititur, qui superbiã in se relinquit. vnde Hierony. Lubricus est antiquus serpens, & nisi capite teneatur, totus statim illabitur. Et Eccle. 21. Quasi à facie colubri, fuge peccatũ. In colubro caput præcipuè fugimus: sic superbia præcipuè fugienda est, quæ est caput vitiorum. De hoc capite potest intelligi illud Eccle. 30. Non est caput nequius super caput colubri. Contrito hoc capite, cætera vitia facile extirpantur. vnde Ioannes Chrysostomus: Tolle hoc vitiũ vt non velint homines apparere hominibus, & sine labore omnia vitia resecãtur. Vitium superbiæ est primogenitus Pharaonis, in morte cuius filij Israël liberãtur. Goliath in fronte percussus à Dauid cecidit in faciẽ suam, & prævaluit Dauid aduersus eum, vt legitur 1. Reg. 17. Sic qui superbiam quæ caput diaboli est, in se viriliter percusserit, aduersus diabolum prævalebit. Superbia etiam turris est Babel. De qua legitur Genes. 11. cuius culmen attingit cælum: qua hoc vitium etiam cælestes viros & spirituales impugnat iuxta illud Greg. Superbia natione cælestis cælestes appetit mentes. Cætera vitia quando sunt cũ superbia, se habẽt sicut domus iuxta turrim, quæ non de facili expugnatur, quia turris defendit eam: sic vitia quæ sunt cum superbia, de facili non expugnãtur, qui ea superbia defendit: sicut patet in vsurariis & raptoribus qui ab vsuris & rapinis cessare nolunt: quia si ab eis cessa-

rent, inter vicinos suos honorificè viuere non possent, vt ipsi dicunt. vnde manifestum est, q̃ superbia peccatum rapinæ & vsuræ cõseruat in eis. Ideo necesse esset vt prædicator conaretur diruere turrim superbiæ in talibus personis, qua diruta nulla pars castrorũ huiusmodi se teneret. Superbia primo animã aggreditur, & vltima cessat ab eius impugnatione. vnde super illud Psal. Si mei non fuerint dominati &c. dicit gl. Vitiũ superbiæ vltimũ est redeuntibus ad Deum, & primum recedẽtibus. Aliis vitiis in fugam conuersis, sola superbia in campo remanet, non cessans ab impugnatione hominis dum ipse viuit. vnde quidam: Quum bene pugnaris, cũ cuncta subacta putaris, Quæ prius infestat, viuenda superbia restat. Superbia fuit primum peccatum, iuxta illud Eccle. 10. Initium omnis peccati est superbia. Etiã non videtur aliquod peccatũ esse absque superbia: quia omne peccatũ est, aut ex omissione, aut ex transgressione: & in vtroque casu non videtur esse sine inobedientia, quę non videtur esse sine superbia. Vnde nullum peccatum videtur esse sine superbia. Et vt breuiter dicamus, superbia est causa omnis peccati. Vnde dicit Gl. super illud Psal. Si mei non fuerint dominati. &c. Superbia est initium omnis peccati, & causa: qua qui caret, verè est immaculatus.

Quomodo superbia se habeat ad diabolum. CAP. III.

NOtandum, quòd superbia signum est quo diabolus suos distinguit ab aliis. Vnde legitur Iob 41. de ipso, q̃ ipse est rex super omnes filios superbiæ. Et Gre. Euidentissimum signum reproborum, superbia est: humilitas, electorum. Cùm ergo quam quisq; habeat cognoscitur, sub quo rege militat inuenitur. Vnusquisque quasi quendam titulum portat operis, quo facile ostendat sub cuius seruiat potestate rectoris. vnde in magno dolore & timore esse debet, qui se cognoscit superbum. Superbia est velut quædam imago diaboli. Vnde homo superbus expresse est similis diabolo: iuxta illud Greg. Apostatæ angelo similis efficitur homo, dum homo hominibus similis esse dedignatur. Diabolus etiam in homine superbo quiescit quasi ad vmbrã. Superbia enim velut mons est, soli iustitiæ oppositus, lumen gratiæ repellens, vnde vmbram facit diabolo. De qua vmbra legitur Iob 40. Sub vmbra dormit. Superbus est etiam munitio diaboli ferè inexpugnabilis, eò quòd in altitudine montis superbiæ situs sit.

Quomodo se habeat superbus ad proximum. CAP. IIII.

SVperbus coangustat proximum, dum se dilatat: & dum se ei præponit, quasi quoddam onus ei imponit. De dilatione superbi legitur Mat. 23. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Et Prou. 24. Qui se iactat & dilatat, & iurgia concitat. De onere verò superbi dicit Sapiens: Qui se supra modum extulerit, premere ac deprimere videtur. Supra modum ille se extollit, qui extollit se supra debitam mensuram. De tali dicitur vulgariter: Iste homo sedet mihi super meum collum. Superbus etiam proximũ corde contẽnit, verbis molestat & factis. Ad primũ pertinet illud Eccle. 13. Sicut abominatio superbo est humilitas: sic execratio diuitis est pauper. Verbis autẽ molestat superbus proximũ multipliciter, & se iactando, & cũ eo litigando, & contumelias ei dicẽdo. Ad primũ pertinet illud Amos 6. Nunquid in fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua? Et illud Eccle. 11. Sicut eructant præcordia fœtentium, & superborum cor. Ad literã: stomachus ventositate inflatus eructare solet, sic & homo superbia inflatus ventosa verba emittit. Ad secundum pertinet illud Prou. 13. Inter superbos semper iurgia sunt. Ad tertium pertinet illud Prouer. 11. Vbi fuerit superbia, ibi & contumelia. ¶ Factis similiter molestat superbus proximum multipliciter, & corporaliter eum affligendo, & suis eum spoliando. Ad primum pertinet illud Prouer. 22. Arma & gladij in via superbi: custos autem animæ suæ longè recedit ab eis. Et illud Eccle. 28. Effusio sanguinis in rixa superborum. Ad secundum pertinet illud Prouerbiorum 16. Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. Nec solũ superbi molestant proximos, imò etiam occasio sunt vt ab aliis molestentur. vnde illud, Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. Et illud Psalm. Dum superbit impius, incenditur pauper. Quomodo superbi se habeant ad proximum, satis ostendit Psal. dicens: Superbi iniquè agebant vsquequaque. & iterum: Confundantur superbi: quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.

¶ *Descriptio sapientis, & quomodo se habeat superbus ad proximum.*

SAPIENS etiam describit quomodo se habeat superbus, dicens: Omnis superbus est intolerabilis, habitu superfluus, incessu põpõsus: huic ceruix erecta, facies torua, truces oculi. Pro loco superiori decertat, & melioribus se præferri affectat: sententias suas & facta & verba iactat: reuerentiã in obsequio non seruat. Non solum malũ temporale infert superbus proximo, sed etiam spirituale. Corrũpit enim eũ suo malo exẽplo. Vnde superius dicitur sedere in cathedra pestilentiæ: & superbia vocatur pestilẽ-

tia, super primũ psalmũ, vbi dicit Glo. Pestilentia est morbus latè peruagatus, oẽs aut penè oẽs inuoluẽs. & subditur: Hic est amor dominandi, quo vix caret aliquis. Fornicatores & vsurarij & alij peccatores occultãt peccata sua quantũ possunt: sed superbus peccatũ suũ publicè cõmittit, nec de seipso erubescit: & ideo peccatũ superbiæ adeò mundum corrupit, vt iam non reputetur superbia peccatum, ꝙ quandoque magnum peccatum fuisset reputatum. vnde ornatus ille vestiũ qui in primitiua ecclesia pro magno peccato habitus fuisset, hodie non reputetur peccatum.

Quomodo se habeat superbus ad Deum. CAP. V.

NOtandum ergò quòd superbia primam Deo contumeliam intulit, quæ ei illata est in primo angelo. Vnde Tobiæ 4. Superbiam nunquam in tuo corde, aut in facto, aut in tuo verbo dominari permittas. Ab ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Nulla contumelia infertur Deo quin assit superbia: quia nullum peccatum committitur sine superbia, sicut ostensum est prius. Superbia Deũ impugnat in omni loco, omni tempore, omni persona. Fornicatio aut nunquam aut raro in loco sacro committitur: sed superbia potius committitur in loco sacro, quàm in alio. Tunc enim magis superbè indutæ incedunt mulieres, quando ad ecclesiam vadunt. Multa etiã sunt peccata à quibus cauetur in præcipuis solennitatibus: sed superbia tunc maximè exercetur. Multæ enim sunt personæ quæ fornicari dedignantur, quæ tamen peccatum superbiæ recipiunt. Superbia enim latitat sub cinere & cilicio: iuxta verbum beati Greg. Item cętera vitia Deo auferunt pauperes & ignobiles: sed superbia aufert ei potentes, nobiles, & diuites. Vnde in montibus Gelboë Saul & Ionathas interfecti sunt: vt legitur 2. Reg. in princip. Item alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò bonis operibus insidiatur, vt pereant: sicut dicit beatus Augustinus vnde opera de genere bonorum quæ in partem domini cedere deberent, non timet sibi vsurpare superbia: imò opus bonum bona intentione inchoatũ, quod iam est in manu domini, nititur sibi auferre: & quandoque diuidit illud opus cum domino, ita vt ipsa habeat illius operis finem, vnde dominus habuit principium. Item sumit inde occasionem Deum impugnandi, vnde occasionem sumere debuit ei seruiendi. Ideo enim superbit & contemnit Deum: quia Deus de bonis suis plus contulit illi, quàm quibusdam aliis. Et quia Deus fecit illum glorioſum, ipse vult facere eũ inglorioſum. Superbus Deũ odit inquantũ Deus dictus est. Nulli enim vult subesse, &

& ita non vult sibi Deum præesse, nec dominũ suum esse. De hoc odio habetur in Psal. Superbia eorum qui te oderũt ascendit semper. Altissimo æqualis esse cupit, dum affectat præesse, & nulli subesse. Altissimus enim est qui omnibus præest, & subest nulli. Vnde non solum primus superbus æqualis voluit esse altissimo, sed etiam quicunque superbus. Nec solum æqualis, sed etiam superior Deo vult esse. Vnde Ber. loquens de illo verbo 2. Thess. 2. Qui aduersatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Horret, inquit, humanus intellectus verbum hoc, vtinam horresceret similiter cogitatum malignum pariter & affectum. Dico enim vobis quòd nõ ille tãtũ, sed omnis etiã superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatẽ suã, & superbus fieri suã. Videtur iam æqualitas, sed vide malã proportionẽ. Deus enim in his quæ ratio approbat suã fieri vult voluntatẽ, superbus verò cũ ratione & cõtra rationẽ. Superbus etiã apostata est à Deo. Vnde Eccles. 10. Initiũ superbiæ hominis, apostatare à Deo. Vnde verisimile est quòd finis superbię sit valde malus ex quo initium ita malũ est. Incipit enim ab apostasia. Superbus tũc apostatat, quãdo illius rei in qua solũ habet administrationẽ, sibi vsurpat dominiũ bona suæ fidei commissa proditione suæ fa ciens, & qui debuit esse fidelis seruus, vult esse dominus: vnde Deum negat, inquantum dominus est. ¶ Item illud quod Dominus specialiter voluit habere, superbus non timet sibi assumere, videlicet gloriam. vnde Bernard. Fornicator semetipsum dehonestat, iniuriosus proximum violat, elatus quantum in se est Deum inhonorat. Gloriam meam, ait Dominus, alteri nõ dabo. Et superbus, Ego mihi, etsi non dederis, cã vsurpabo. Sicut humilitas Deũ specialiter honorat: sic superbia eum inhonorat. Ecclesiast. 3. vbi sic legitur: Magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur. Superbus Deum speciali modo inhonorat. Humilis solã potẽtiam Dei magnam reputat, & ei bona sua attribuit, & eã laudat: & si non exterius, saltẽ interius. vnde Greg. dicit de eo quòd laudes suas tacitus clamat. Vnde dicitur manũ suam osculari. Iob 31. vbi sic legitur: Si osculatus sum manum meam ore meo, quæ est iniquitas maxima & negatio contra Deum altissimũ? & dicit gl. ibi: Manum suam ore suo osculatur, qui quod facit laudat: quod est iniquitas maxima: quia authoris sui gratiam negare convincitur, quisquis attribuit sibi quod operatur. Superbus sæpius ipsum glorificat de bonis quæ à Deo recipit, vel quæ Deus per eũ operatur, quàm Deum. vnde seipsum quodammodo deificat dum seipsum præfert Deo, & est idololatra suiipsius, & idôlum seipsum

ipsum colens. Item sicut dicit Greg. cùm omnia vitia fugiant à Deo, sola superbia se opponit Deo. vnde Iob 15. legitur de superbo: Tetendit aduersus eum manũ suam, & cõtra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus Deum erecto collo, & pingui ceruice armatus. vbi dicit gl. contra Deum manum tendere, est in operatione praua, despectis eius iudiciis perseuerare. Contra Deum roboratur, qui prosperari in sua mala actione permittitur. Erecto collo aduersus Deum currit, dum quæ creatori displicẽt cum audacia perpetrat. Pinguis ceruix, est opulenta superbia affluentibus rebus. Sicut amplius displicet alicui principi & maiorem contumeliam reputat, quando ab eo qui minoris potentiæ & nobilitatis est, ipsius deprædatur castrum, in quo est ipse præsens, quàm si deprædetur alia castra, vel rapiat ea quæ ipsi principi appropriata sunt, vt proprium equum, vel proprias vestes: sic contumelia quam infert Deo superbia, magis displicet ei, quàm contumelia illa quam infert cupiditas vel aliud vitium. Alia enim vitia Deum fugiunt conuertendo se ad creaturam aliam, vt cupiditas ad aurũ & argentum, luxuria præcipuè ad delectationes quæ sunt secundum tactum: sed superbia vult vsurpare sibi quod Dei est, scilicet dominari, & præesse hominibus. Sicut non est muris præesse vel dominari aliis muribus: sic non est hominis præesse vel dominari aliis hominibus. Vnde Seneca: Si videris murem dominari velle cæteris muribus, nunquid risum teneas?

¶ Superbus peccat directè in Deum, & hoc multipliciter. Deus enim ad creaturas comparatur, vt principium & vt finis. Est enim alpha & ω: vt legitur Apocaly. 1. Est etiam dominus. vnde Dauid: Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi. Ille qui habet potestatem super mortem, scilicet qui potest restaurare quæ pereunt, verè dominus est. vnde sæpe dicitur in veteri lege, Ego sum dominus Deus. Hoc est nomen meum. Largitor etiam omnium bonorũ est. Superbus peccat in Deum, inquãtum Deus principium est, dum opera quorum Deus principium est, sibi attribuit, non attendens illud verbum Ioannis 8. Ego principium, qui & loquor vobis. Hoc modo peccauerunt in Deum philosophi, qui dixerunt: Linguã nostram magnificabimus, & labia nostra à nobis sunt. Peccant etiam superbi in Deũ, inquantum est finis, dũ omnia opera sua faciũt vt videãtur ab hominibus, vt legitur Mat. 23. In Deum verò inquãtum ipse est dominus peccãt, dum in se & in rebus suis volunt habere dominium vbi deberent habere dispensationem solum. Sic peccabant illi qui dicebant: Quis noster Dominus est? In Deum verò, inquantum ipse est largitor, peccãt, quum per dona Dei impugnant eum. accipientes materiam superbiendi, & Deum contemnendi: vnde debebant sumere materiam seruiendi ei humiliter & deuotè. Peccant etiam in Deum inquantum ipse largitor est, dum dant ad voluntatem suam quod dispensare debuerunt secundum voluntatem Dei.

Quomodo se habeat Deus ad superbum. CAP. VI.

Visso qualiter superbus se habeat ad Deum, videndum est quomodo Deus se habeat ad superbum. Notandum ergo quòd Deus vilipendit superbum & detestatur, odit & abominatur. Ad primum pertinet illud Greger. Quanto coram hominibus gloriosior, tanto coram Deo & angelis suis eris vilior. Signum huius contemptus est hoc, quòd Deus superbum deponit, & pauperes & humiles exaltat loco eius. Vnde beata Virgo: Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. & Eccles. 10. Sedes ducum superborum euertit Dominus, & sedere facit mites pro eis. Præterea, vilibus impugnat Deus superbos, ad eorum ignominiam. vnde Augustinus: Potuisset Deus vrsis & leonibus domuisse superbum populum: sed ranas & muscas immisit, vt rebus vilissimis domaretur humana superbia. Vilibus etiam curat eos. Quandoque enim permittit Deus superbos cadere in aliquod turpe peccatum, vt turpitudine illius peccati curetur superbia. Vnde Gregorius. Qui se de virtutibus extollit, ad humilitatem per vitium redit: qui acceptis virtutibus se extollit, non gladio, sed medicamento sibi vulnus facit. quia ergo de medicamento vulnera facimus, facit ille qui de vulnere medicamentum, vt qui de virtute percutitur, de vitio curetur. Ad quod possumus referre illud quod legitur Ioël. 2. Ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius: quia superbè egit. Permittit enim Dominus aliquem diffamari super aliquo peccato, vt superbia eius humilietur. ¶ Quòd autem Dominus superbum detestatur, habetur Amos 6. vbi legitur. Iurauit Dominus Deus in anima sua, dicit Dominus exercituum, Ego detestor superbiam Iacob, & Prouerbior. 8. Arrogantiam & superbiam, & viam prauam, & os bilingue detestor. De odio verò quod habet Deus ad superbum, habetur Prou. 6. vbi sic legitur: Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima eius. Oculos sublimes, id est, superbiam oculorum. Et Eccles. 10. Odibilis est coram Deo & hominibus superbia. Merito superbia est Deo odibilis & homini, quia Deo & hominibus est iniuriosa. Deo, quia sibi vsurpat quod est eius: scilicet dominium. Homini verò, quia vult eum sibi subiicere, quæ natura ei coæquauit. Vitium superbiæ adeò est odibile: quòd

etiam

etiam à suis odio habetur. Vnus enim superbus odit alium superbum & eius superbiam: quum tamen duo superbi, velut duo tres sint in hoc vitio eiusdem patris filij, scilicet diaboli. Vnde in superbo videtur falsum esse quod legitur Ecclesiast. 13. Omnis homo simili suo sociabitur. Et illud etiam quod legitur eiusdem 27. Volatilia ad sibi similia conueniunt. Vnus enim superbus non amat societatem alterius. Humilem verò ferè omnes diligunt, tanquam rem quæ omnibus se subdit. Et quia dum se sub aliis humiliat, quodammodo eos exaltat. Superbus verè in hoc quòd se supra alios exaltat, quodammodo alios deprimit, & ideo intolerabilis est eis. Vnde Philosophus: Habet mens nostra sublime quoddam, & erectum, & impatiens superioris. Seneca: Natura contumax est animus humanus, & in contrarium atque arduum nitens.

¶ De signis specialis odij quod habet Deus ad superbum.

MVLTA autem signa odij specialis sunt quę habet Deus ad vitium superbię. ¶ Primum signum est hoc, quòd in præsenti adnihilat eos. Vnde Eccle. 10. Perdidit Deus memoriã superborum. & ibidem. Radices gẽtium superbarum arefecit. Et in Psal. Vidi impiũ superexaltatũ, & eleuatum sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuẽtus locus eius. ¶ Signũ etiam huius odij est hoc, quòd Deus auxilium ab eis subtrahit. vn de vitiũ superbiæ specialiter dicitur auferre Deum homini, quia Deus superbum non iuuat: ideo dicit magister Hugo de sancto Victore: Superbia aufert mihi Deũ, inuidia proximũ, ira meipsum. Econtrario humilitas Deum habet paratum sibi ferre auxilium: Cuius causa est hæc: quia humilitas totam gloriam Deo attribuit & ideo per consequens totum pondus laboris & prælij in eum po nit. Eiusdem enim gloria est pugna. dicit Dauid: Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. Humilis habet Deum vt regem gloriæ, quia gloriam ei reddit. Ideo Dominus se habet ad eum vt Dominus vir tutum: quia per eum virtutem operatur. Superbus verò se regem gloriæ constituit: & ideo Deus ei renuit esse Dominus virtutum. Non solum Deus superbo auxilium subtrahit, imò etiam superbis resistit, humilibus verò dat gratiam. Sicut natura nihil vacuum esse patitur, quin repleat illud: sic gratia non patitur vacuum humilitatis, quin repleat illud. Si superbus sibi relinqueretur vt nec à Deo iuuaretur, nec ei resisteretur, ipse non posset ascendere cælum: quanto minus cùm Deus ei resistat? Nec tamen mirentur si Dominus superbũ sinat ascẽdere ad aliquã dignitatem. Tollitur enim in altum, vt lapsu grauiore ruat. Signum etiã

etiam huius odij est hoc, quòd vterque aduentus Domini contra superbiam est specialiter. In primo aduentu venit ipse vt medicus omniũ, leniter sanans superbiam, exemplo humilitatis suæ. Vnde Greg. Propter magnũ peccatum superbię Deus humilis venit. Iste ingens morbus animarum omnipotentem medicũ de cę lo deduxit, vsque ad formã serui humiliauit, contumeliis egit, ligno suspẽdit, vt salute tãtæ medicinæ curetur hic tumor. Iã tandem erubescat homo esse superbus propter quem factus est humilis Deus. Secundus etiam aduẽtus erit cõtra superbiam nõ sanandam, sed puniẽdam. Vnde Esa. 2. Dies Domini exercituum super omnẽ superbum & excelsum, & super omnẽ arrogãtem, & humiliabitur. Signũ etiam huius odij est hoc, quòd Dominus tot comminationes facit superbiæ. Vnde Micheæ 1. Calcabit Dominus super excelsa terræ. & Esa. 28. Væ coronæ superbiæ. Et in eodem: Cõculcabitur corona superbiæ. Et Iere. 50. Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituum: quia venit dies tua, tẽpus visitationis tuæ. Et cadet superbus, & corruet, & nõ erit qui suscitet eũ. Itẽ libro eiusdẽ: Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrũpis totam terram, extendam manum meam super te. & Abdię 1. Si exaltatus fueris vt aquila, & inter sydera posueris nidũ tuũ, inde extraham te, dicit Dominus. & Iob 20. Si ascenderit in cælum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Et Amos 6. Iurauit Dominus in superbia Iacob: si oblitus fuero vsque in finem omnia opera eorum. Signum etiam huius specialis odij est hoc, quòd Dominus minus misericorditer puniet superbos, quàm alios peccatores. Vnde in Psalm. Retribuet Dominus abundanter facientibus superbiam. & Sapien. 5. Exiguo conceditur misericordia, potentes autem potenter torquentur. Et ibidem: Fortioribus fortior instat cruciatio. Signum etiam huius specialis odij est hoc, quòd superbos qui inferiores suos opprimunt, facit Dominus à suis opprimi superiori bus. Vnde Eccl. 11. Multi potentes oppressi sunt valde, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

¶ Duodecim exempla Sacræ scripturæ quibus ostenditur quòd Deus multum odiat superbum.

AD ostensionẽ etiã huius odij valere possũt exẽpla personarũ quę legũtur in Sacra scriptura deiectę propter suã superbiam. De quibus exẽplis sufficiat ponere duodecim. ¶ Primũ exemplum est in Lucifero, de cuius deiectione sic habetur Esa. 14. Quomodo ce cidisti Lucifer qui mane oriebaris? Et Lucæ 10. Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem. Adeò autem deiectus est Lucifer

fer propter ſuperbiam ſuam, vt cùm eſſet angelus, factus eſt diabolus: cùm eſſet nobiliſſima creatura, factus eſt ſanguiſuga, ſanguinem peccati ſemper ſugens. Prouer. 30. Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, Affer, affer. De cælo præcipitatus eſt in abyſſum, & de primo ordine creaturarum poſitus eſt in nouiſſimo. ¶ Secundum exemplum eſt in homine, qui voluit eſſe ſciens vt Deus, & inſciens factus eſt vt pecus. Vnde Bernardus: Puto iuméta dicerent, ſi loqui fas eſſet, Ecce Adã factus eſt quaſi vnus ex nobis. Et Dauid: Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. ¶ Tertium exemplum eſt in Saule, qui cùm humilis eſſet, in regem ſublimatus eſt. 1. Regum 15. Nónne cum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſraël factus es? ſuperbus autem factus, à regno deiectus es? Vnde ſubditur ibidem: Quia proiecisti ſermonem Domini, proiecit te Deus ne ſis rex ſuper Iſraël. ¶ Quartum exemplum in Roboam filio Salomonis. De cuius ſuperbia legitur 3. Reg. 12. Minimus digitus meus groſſior eſt dorſo patris mei. Pater meus aggrauauit iugum veſtrum, ego autem addam iugo veſtro. Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus. Eſt autem ſcorpio rubus cum aculeis, vel flagellũ virgarum nodoſum, vel ſcutica habens in ſummitate glandes plumbeas. De humilitatione verò Roboam, ſubditur ibidem: Miſit enim rex Aduram, qui erat ſuper tributa, ad populum poſt reſponſionem iſtã: & lapidauit eũ omnis Iſraël, & mortuus eſt. Et rex Roboam feſtinus aſcendit currum, & fugit in Ieruſalem, receſsítque Iſraël à domo Dauid vſque in præſentẽ diẽ. ¶ Quintum exẽplũ eſt de Sennacherib. De cuius ſuperbia legitur Eſa. 37. Superbia tua aſcẽdit vſq; ad aures meas. Ponã ergo circulum in naribus tuis, & frænũ in labiis tuis, & reducam te in viã per quã veniſti. Et ſubditur ibidẽ de eius deiectione: Egreſſus autem angelus Domini percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum lxxxv. millia. Et cùm adoraret in templo Deum ſuum, filij eius percuſſerunt eum gladio. ¶ Sextum exemplum eſt in Nabuchodonoſor. De cuius deiectione, ſic legitur Danie. 5. Quando eleuatum eſt cor eius, & ſpiritus eius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depoſitus eſt de ſolio regni ſui, & gloria eius ablata eſt à filiis hominum. ¶ Septimũ exẽplũ eſt in Holoferne & exercitu cui præerat. De cuius ſuperbia legitur Iudith 6. Factũ eſt autem cùm ceſſaſſet loqui Achor, indignatus Holofernes dixit ad eũ: Quoniã prophetaſti nobis, dicens q̃ gens Iſraël defendatur à Deo ſuo, vt oſtẽdã tibi q̃ non eſt Deus niſi Nabuchodonoſor, cũ percuſſerimus eos quaſi

quaſi hominem vnum, tunc & ipſe cum eis Aſſyriorum gladio interibis. De ſuperbia verò exercitus ſic legitur Iudith 14. Excitate illum: quoniam mures progreſſi de cauernis ſuis, auſi ſunt prouocare nos ad prælium. Præ magnitudine ſuperbiæ Iudæos mures vocabat. De deiectione eorum legitur Iudith 15. Cùm omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet, fugit mens & conſilium ab eis. Solo timore & metu agitati, fugæ præſidium ſumunt, ita, vt nullus loqueretur proximo ſuo. ¶ Octauum exemplum eſt de Aman. De eius ſuperbia legitur Heſter 4. Cùm vidiſſet Mardochæum ſedentem ante fores palatij, & nõ ſolum non aſſurrexiſſe ſibi, ſed nec motum quidem de loco ſuo, indignatus eſt valde. De deiectione verò eius legitur in fine eiuſdem capituli: Suſpenſus eſt itaque aman in patibulo quod parauerat Mardochæo. ¶ Nonum exemplum eſt in Antiocho. De cuius ſuperbia legitur 2. Machabe. 9. Locutus eſt ſuperbè Antiochus ſe venturum Ieroſolymã, & congeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum. Et ſubditur de eius deiectione. Vt finiuit hũc ſermonem, apprehendit eũ dolor dirus viſcerum. Et iterum quibuſdam interpoſitis: Is qui ſibi videbatur fluctibus maris imperare, ſupra humanum modum ſuperbia impletus montium altitudines in ſtatera appendens, mox humiliatus ad terrã in geſtatorio portabatur &c. ¶ Decimum exemplum eſt in Iudaico populo, qui præ ſuperbia reputabat gentilem populum, quaſi ſtillam ſitulæ. vnde Eſaiæ 40. Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt: & tamen Deus gentilem populũ, populo Iudaico ſuperbo prætulit. ¶ Vndecimum exemplum eſt in ſuperbo Phariſæo, qui non erat ſicut cæteri hominum, vt ipſe dicit Luc. 18. Sed ipſa veritas publicanum pœnitentem ei prætulit, dicens: Deſcendit hic iuſtificatus in domũ ſuam ab illo: vt ibidem habetur. ¶ Duodecimum exemplum eſt in Petro, qui præ cæteris præſumpſit, dicens: & ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego non ſcandalizabor. Vt legitur Matthæi 26. Et vilius cæteris cecidit: cum ad vocem ancillæ negauit, vt legitur eodem capitulo. ¶ Ad oſtenſionem autem huius odij valere poteſt illud Pſal. Oculos ſuperborum humiliabis. & illud, Dominus concidet ceruices peccatorum. Potius dicit ceruices, quàm manus & pedes: quia in ceruice perpenditur ſpecialiter ſuperbia. Ad idẽ valet quod legitur Num. 15. Anima quæ per ſuperbiam aliquid commiſerit, ſiue ciuis ille ſit, ſiue peregrinus, quoniam aduerſus dominum rebellis fuit, peribit de populo ſuo. Vndẽ dominus peccatũ per ſuperbiã commiſſum, tanquam

valde exosum morte punit : alia verò peccata per oblationem præcipit expiari.

¶ *De diuturnitate huius odij.*

ODIVM verò illud quod est Dei ad superbiam, quasi inueteratum est. Incœpit enim quàm citò superbia incœpit. Vnde Iudith 9. Superbi vero ab initio non placuerunt tibi: sed humilium & mansuetorum placuit tibi deprecatio. Causa vero huius odij in magna parte patere potest per ea quæ dicta sunt prius, vbi ostensum est qualiter se habeat superbia ad Deum.

De causis quare superbia ita exosa sit Deo.

POTEST tamen adhuc idē ostēdi aliis rationibus. Vnde notandū est q̄ peccatū superbiæ ideo est ita exosum Deo, quia eum exhæredat inquantū in se est. Dominiū autē quod habet Deus in creaturis, vsurpat superbus sibi. Præter hæc nō erubescit superbus de peccato suo. Impudētia verò peccatoris multū Deo displicet. Vnde Bern. Quantū displicet Deo impudentia peccatoris, tantū placet Deo erubescētia pœnitētis. Itē alij peccatores ex peccatis suis humiliantur, superbus verò nō : quare multū displicet Deo. Vnde Aug. Nil aliud adeò Deo displicet, sicut ceruix erecta post peccatum. Superbus etiam Deum multū contēnit: quia vanitates ei proponit. Item maximū peccatū est superbia. Sic enim vocatur in Ps. vbi dicitur: Et emundabor à delicto maximo. & Iob 30. vbi sic legitur: Si osculatus sum manū meam, quod est iniquitas maxima. Præterea homo multa habet dehortātia à superbia : & ideò magis displicet Deo superbia in homine, quantū ad hanc cōditionē, quàm in diabolo. Quis enim nesciat tolerabiliorē esse superbiā in diuite, quàm in paupere? Homo quasi pauper creatura est respectu angeli. Vnde Eccle. 25. Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde eorū animæ. Pauperē superbū, mēdacem diuitē, & senē fatuum & insensatum. Pauper homo est ex parte corporis, imò & pauperrimus. Oportet enim eum mendicare victum & vestitū à cæteris creaturis. Quis iuxta verbū Augustini, mandatum euangelicū implēs, de duabus tunicis dat vnam non habēti? Etiam ab herbis mendicat vestimentum suum homo, vt patet in vestibus lineis: vnde multum displicet Deo, si homo ex parte corporis ex quo ita pauper, superbiat. Diues potest hic dici spūs mendax, cuius mendacium multum displicet Deo : vt cùm dicit à corpore vinci, nec posse continere: cùm tamen dominus melius sciat potestatem eius qui ei corpus subdidit, & continentiam ei præcepit. Senex fatuus & insensatus est mundus iste, qui quanto amplius senescit, magis diligit vanitates & puerilitates, & magis decipitur mēdaciis rerum temporalium, licēt infinitis vicibus mendacia eorum expertus sit. Quasi contra naturam videtur esse peccatum superbiæ in homine, præcipuè ex parte corporis. vnde Ecclesia. 10. Non est creata in hominibus superbia. Hier. Quomodo superbiat qui semper secum sententiam portat. Mirum est quomodo homo superbit, cùm cor suum quod est nobilissimum membrum eius, super stercore iaceat : & licet in homine superbia multū displiceat, præcipuè tamē in Christianis, qui in ipso ingressu Christianæ religionis abrenuntiant specialiter superbiæ, cùm dicunt : Abrenuntio Satanæ, & omnibus pompis eius. Præuidebat Spiritussanctus, q̄ multi Christiani qui aliis peccatis renūtiarent, pompā superbiæ retinere vellēt : ideo ordinauit vt specialiter profiterētur hāc abrenūtiationē. Præterea dominus ecclesiæ Christus seruus esse hominū voluit. Humiliauit enim se vsque ad ablutionē pedū. vnde in nullo Christiano locus superbiæ relinqui debet. Inordinatū verò valde est quòd seruus velit esse dominus, cùm dominus efficiatur seruus. Io. 13. Si ego laui pedes vestros dominus & magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes. & Mat. 16. Nō est discipulus super magistrū, nec seruus super dominū suū. Vnde qui primus est in ecclesia, scilicet dominus Papa, seruum seruorū se vocat. & propter hæc & multa alia habet Deus speciale odium contra superbiam, præcipuè in Christianis. vide in principio huius capituli.

¶ *De abominatione superbiæ.*

SEQVITVR de abominatione superbiæ. De qua Pro. 16. Abominatio domini est omnis arrogans. & Luc. 15. Quod altum est hominibus abominatio est apud Deum.

Quod superbia hominem inflet, infelicem reddat, arefaciat, & bona eius consumat. CAP. VII.

SEquitur videre quomodo se habeat superbia ad propriū subiectū. Vnde notandū est q̄ superbia inflat hominē. De qua inflatione legitur Sapi. 4. Disrūpat dominus illos inflatos. Et Apo. sto. 1. ad Cor. 8. Scientia inflat, charitas autē ædificat. ¶ Reddit etiā hominē valde infelicē. Cōsistit autē infelicitas superbi in his olius est quàm gratia Dei? Ex hoc semine oritur ei vitiū superbiæ. Ipse colligit de vite spinas, & de tribulis ficus. Superbia est quasi monstrum, quod quandoq; ex suo cōtrario nascitur. Nūquid nō mōstruosum esset, si ex muliere bufo nasceretur? Sic mōstruosum est q̄ ex aliqua gratia à Deo data homo superb' efficitur. ¶ Secūdo bona ei mala sunt: & sicut de viro iusto legitur, q̄ nox si-

cut dies ei illuminabitur: ita ecõtrario dici potest, quòd superbo dies in noctem vertitur, & lumen eius in tenebras. vnde Mat. 6. Si ergo lumen quod in te est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Tunc lumen tenebræ sunt, cùm opera de genere bonorũ mala sunt, eò q̃ fiunt propter vanam gloriam, vel alia mala intentione. ¶ Tertio superbus de vita moritur, de sanitate ægrotat, de medicamine interficitur. Vnde Grego. Qui de virtutibus se extollit, nõ gladio, sed medicamine se interficit. Superbus de hoc quòd se viuere credit & sanũ esse superbit, & sic ex sanitate infirmitatẽ recipit, & ex vita moritur. ¶ Quarto superbus ab eo quẽ vincit vincitur, & quasi de ictu suo corruit. vnde Greg. Difficile est quidem valde vitare peccatũ quod ex victoria vitiorum nascitur. ¶ Quinto superbus à mortuo occiditur. vnde super illud 1. Mach. 11. vbi Eleazar elephantem legitur occidisse, dicit Greg. Sub hoste quẽ occidit moritur, qui de culpa quam superat eleuatur. ¶ Sexto superbus sua pretiosa viliter vendit, dum pro laude vel gloria humana se & sua consumit. Vnde Greg. Valde bona sua diiudicant qui ad mercedẽ eorum sufficere fauores humanos putant. Idem: Cùm pro recto opere laus transitoria quæritur, res æterna retributione digna pro vili pretio venundatur. ¶ Septimo, superbus vilia carè emit, dum pro vento superbiæ regnũ cælorum amittit. De hoc vento dicit August. Qui non timet vento superbiæ, non cremabitur igne gehennæ. ¶ Octauo, infelix est superbus, quia ignominiosè à modico vento deiicitur. Vnde Iob 20. Tollet eum ventus vrens, & auferet eum turbo de loco suo. Ventus omnia vrens est superbia. ¶ Itẽ superbia facit hominẽ & omnia bona quæ in homine sunt, & quasi præparat eũ infernali incendio. Vnde Eccles. 6. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo. Ex elatione quãdoque eliditur virtus corporis: quia homo elatus præsumit quandoque opus quod supra vires suas est. vnde rupturam quandoque incurrit, vel debilitatẽ tantã, q̃ inutilis efficitur. Sed frequentius virtus animi eliditur per elationem. Debiliorem enim inuenit se homo sæpe, postquam se de aliquo opere extulit. Exemplum habemus de hoc in Petro Matthæ. 26. qui se extulit super alios apostolos, dicens, Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego non scandalizabor. Sed non multo pòst valde debilem se inuenit, vt habetur ex eodem capitulo. ¶ Superbia etiam folia & fructus comedit, dum quo ad meritum verba & opera hominis consumit. Ipsa

ipsa est, quæ hominem & bona hominis quasi inperceptibiliter occidit. vnde Iob 18. Consumat brachia illius primogenita mors. Gl. Primogenita mors est superbia, initium omnis peccati.

Quòd superbia hominem decipiat, excæcet, & infatuet. CAP. VIII.

ITem superbia hominem decipit, & excæcat, & infatuat. De primo dicit August. Superbia meretur illudi. Vnde omnes hæreses & omnes alij periculosi errores ex superbia proueniunt. Vnde super illud Iere. 49. Arrogantia tua & superbia cordis tui decipit te. dicit Glo. Omnis hæreticus arrogans, quia superbia facit hæreticum, non ignorãtia. Ad secundũ pertinet illud Apocaly. 3. Dicis quia diues sum, & locuples, & nullius egeo, & nescis quia tu miser & miserabilis, &c. Io. 9. In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident videant, & qui vidẽt cæci fiant, Super illud, Qui non vident, dicit gl. interlin. Humiles cæci. Et super illud, Qui vident cæci fiant, dicit alia gloss. interlinear. Superbi sapientes. Humiles ergo cæci illuminantur, superbi sapientes excæcantur. Ad tertium pertinet illud Bernard. Omnis superbia stulta: quamuis non omnis stultitia superba. & illud ad Romanos 1. Dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. & dicit Augustinus: Si dicendo te sapientem stultus factus es, dic te esse stultum, & sapiens fies. Idem: Qui sibi placet, stulto placet: superbus sibi placet, vnde consequens est, vt ipse sit stultus. Nec est parua stultitia ista, quòd sibi placet, quum ipse Deo, angelis & hominibus displiceat. Item legitur Prouerbiorum vndecimo: Vbi humilitas, ibi sapientia. ergo econtrario, vbi superbia, ibi stultitia. Et hoc manifestari potest in tribus speciebus superbiæ, scilicet præsumptione & arrogantia, & appetitu excellentiæ. Quòd præsumptio stulta sit, patet quum supra vires suas præsumat. vnde illud Ierem. 48. Audiuimus superbiam Moab, superbus est valde: sublimitatem eius & arrogantiam, & superbiam, & altitudinem cordis illius. Ego scio, ait dominus, iactantiam eius, & arrogantiam, quòd non sit iuxta eam virtus eius. & Hierony. Superbia plus audet quàm possit. De appetitu excellentiæ & arrogantiæ, legitur Prouerb. 21. Superbus & arrogans vocatur indoctus. Superbus hic sumitur pro illo qui appetit esse super alios: arrogans est ille, qui sibi falsò attribuit, quod non habet, ideo vocatur indoctus: & de arrogante est hoc planum, cum arrogantia videatur esse quidam error. De appetente verò propriam excellentiam quomodo ipse stultus sit, inferius patebit. Signum verò quòd superbus stultus sit & cæcus, potest esse hoc, quòd seipsum non agnoscit. Nescit enim se

hominem esse: id est, de humo. Si enim de humo se esse veraciter cognosceret, nouissimum locum contenderet tenere, ad similitudinem terræ, & humilis esset. vnde rogat Psal. sciant gentes, quoniam homines sunt. Signum etiam cæcitatis est hoc, quòd superbus nescit discernere inter aliquid & nihil, putans se aliquid magnum esse, cum nihil sit in valore, iuxta verbum Apostoli dicentis ad Gal. 6. Qui putat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.

¶ *De quinque modis quibus superbia hominem infatuat.*

INFATVAT autem hominem superbia quinque modis. ¶ Primo ad modum ebrietatis, vnde Habac. 2. Quomodo vinum potantem decipit, sic erit vir superbus. Vinum hoc modo decipit potantem. Ingreditur enim blande, vt legitur Prouer. 23. Postquam verò receptum est incommensuratè, ipsum dominatur in homine, & facit eum fatuè credere & fatuè loqui: sic postquam superbus recipit excellentiam ex affectu per amorem, ipse postea eam de facili recipit in intellectu, vt alta de se credat: & in ore, vt de se alta loquatur, & est velut ebrius. Altitudo enim quam appetit, facit eum fatuè credere, & fatuè loqui. Exemplum habemus de hoc Esa. 14. in Lucifero dicente: Similis ero Altissimo. quod non dixisset, nisi amore illius altitudinis ebrius fuisset: cùm certum sit illud quod dicitur per superlationem, vni soli conuenire. ¶ Secundo infatuat superbia eo modo, quo inflatio faciei solet ipsum visum impedire. Superbia enim est inflatio faciei interioris. vnde Iob 15. Operuit faciem eius crassitudo. & Aug. Facies mea inflata non sinebat me videre. ¶ Tertio modo aufert superbia sensum homini, eo modo quo phrenesis vel paralysis, quæ valde magna solet homini sensum auferre. Ad primum pertinet quod dicit Greg. loquens de illo verbo Luc. 7. Videns autem hoc Pharisæus, qui vocauerat eum, ait intra se, Hic si esset propheta, sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum. Inter duos ægros medicus aderat, sed vnus æger in febre integrum sensum tenebat: alter verò in febre & sensum perdiderat mentis. In egritudine sensum perdiderat, quia hoc ipsum quod longe esset à salute, ignorabat. Nec solum velut phreneticus est superbus, sed etiam velut paralyticus. Cùm enim humilitas sensus sit propriæ paupertatis, superbia est insensibilitas propriæ paupertatis. Vnde velut quædam paralysis est. ¶ Quarto modo infatuat superbia hominem, quia facit eum alta solùm respicere, ex quo enim homo alta amat, ipse ad alta oculos habet: quia vbi amor, ibi oculus. Vnde Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit Deus, & septimum detestatur anima illius, Oculos sublimes, &c. Vnde superbus quæ sunt infirma in se

in se & infima non videt. ¶ Quinto modo infatuat superbia hominem: quia est velut moles soli iustitiæ opposita, non permittens lumen ipsius ad superbum venire. Vnde Matth. 11. Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. & Greg. dicit de superbis: Tanto à Dei lumine longe sunt, quanto apud se humiles non sunt.

¶ *De stultitiis quibus laborat superbus.*

NEC sola vna stultitia laborat superbus, sed multis, quarum 12. ponere sufficiat. ¶ Est autem prima stultitia superbi, quod ipse vult altum ædificium constituere, & absque fundamento, ideo certus potest esse de ruina sui ædificij. Vnde dicit Gregor. de superbo: Soli ruinæ crescit, quod ædificat, quia ante molem fabricæ fundamenta humilitatis non parat. Prouerb. 17. Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. Augustinus: Magnus esse vis, à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis, de fundamento cogita humilitatis. Quanto altius erigitur ædificium, tanto altius foditur fundamentum. Quò superuenturum est cacumen ædificij? Ecce dico vsque ad conspectum Dei. Qualiter autem aliquis fundamentum debeat facere, habetur Esa. 2. vbi sic legitur: Abscondere in fossa humo. ad literam, fundamentum in terra absconditur. Et sapiens vitam suam abscondit, præcipuè in principio. Vnde Prouerb. 10. Iustus quasi fundamentum sempiternum. Istam stultitiam superbi, ostendit Augustinus aliis verbis dicens: Arborem attendite: figit radicem in humili, vt vertice tendat ad cælum. Sine humilitate vis excelsa apprehendere, sine radice auras petis: ruina est illud, non incrementum. ¶ Secunda stultitia superbi est, quòd ipse appetit exaltationem, quæ fit ad maiorem eius præcipitationem. Legitur Lucæ quarto, quòd quum dominus venisset Nazareth, & dixisset prophetiam illam, Spiritus domini super me, &c. hodie esse impletam in auribus eorum, ipsi duxerunt eum ad supercilium montis super quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum. Nunquid ista exaltatio bona erat, & appetenda domino, quæ fiebat ad eius præcipitium? Talis est exaltatio ipsius superbi. Tollitur enim in altum, vt lapsu grauiore ruat. Diabolus facit sicut cornix, quæ eleuat nucem in altum, & permittit eam cadere, vt comminuatur, & statim descendit & comminutam comedit. Sic diabolus quando in statu humili non potest aliquem frangere, procurat vt eleuetur ad aliquam dignitatem, & deinde vt de ipsa cadat, vel in futuro in infernum, vel etiam in præsenti per dispositionem: & tunc confractum deuorat, vel ad pœnam æternam ducit: quia

cadit in odium vel inuidiam erga eum qui sibi succedit. Ad istam confractionem potest referri illud Iob 29. Eleuasti me, & quasi super ventum tollens allisisti me validè. De præcipitio superbiæ, dicit Bernard. loquens ad superbum: Paulatim & quasi per gradus ascendis, sed non paulatim descendes, sed tanquam fulgur in spiritu vehementi. Et cùm lxxij. discipuli dicerent domino, Domine etiam dæmonia subiiciuntur nobis in nomine tuo. ipse ait illis: Videbam satanam sicut fulgur de cælo cadentem. insinuans eis, quòd qui ad modum satanæ superbiunt, ad modum eius præcipitantur. Ad illud præcipitium pertinet illud Iob 33. Eleuati sunt ad modicum, & non subsistent. Et hoc, quod legitur Matth. 4. quòd quum dominus esset super pinnaculum templi, ausus est diabolus ei persuadere præcipitium, dicēs: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Fiduciam autem accepit Diabolus ex hoc, quòd multos in altitudine positos præcipitauerat. Ad idem etiam pertinet illud Luc. 18. Omnis qui se exaltat, humiliabitur, &c. Sæpe enim in præsenti hoc accidit. Cuius rationem insinuat nobis Sapiens, dicens: Abiectos & submittentes se libenter alleuamus, quia hoc facere tanquam maiores videmur. At qui se supra modum extulerit, premere ac deprimere videtur: nec tam se maiorem quàm cæteros minores facere: & ideo alij libenter eum humiliant. In futuro etiam qui se exaltat, humiliabitur. Est enim ex violentia, quòd superbus in alto est, cum locus eius proprius infernus sit. Similiter quasi ex violentia est, quòd humilis est in loco infimo, cum dignus sit regno æterno. Vnde cessante violentia superbus descendet in infernum, & humilis aduolabit in cælum. Sic fit de superbo sicut de vase quod confringi debet, quod eleuatur vt perfectius frangatur. vnde Prouer. 16. Ante ruinam exaltatur cor. Et etiam quandoque non expectat dominus, quòd superbus in dignitate, quam appetit, eleuatus sit, sed dum in ipso ascensu est, dominus eum deiicit. Vnde in Psalm. Deiecisti eos dum alleuarentur.

¶ *Quòd mons superbiæ sit locus infelicissimus, quadrupliciter ostenditur.*

TERTIA stultitia est, quòd ipse elegit mansionem suam in loco infelicissimo. Locus infelicissimus est mons superbiæ, quadruplici ratione. ¶ Prima ratio est, quòd bonæ conditiones, quæ solent esse in cæteris montibus, ibi desunt. Cæteri montes cælo sunt proximiores aliis locis: sed mons superbiæ remotissimus est à cælo. Maximè enim distat ab humilitate, cùm superbia & humilitas sint contraria. Contraria autem à se maximè distant. In cælum autem non fit via, nisi per humilitatem. Vnde Matth. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regn

in regnum cælorum. Et Apoc. 3. dicit dominus humili: Ecce dedi coram te ostium apertum, quod nemo poterit claudere, quia modicam habes virtutem: id est, humilitatem. Sic econtrario dicere potest superbo: Ecce dedi coram te ostium clausum, quod nemo poterit aperire: quia maximum habes vitium, scilicet superbiam. Montes etiam fortiores solent esse cæteris locis, eò quòd hostes non habeant de facili ad eos accessum. Sed ad montem superbiæ omnes hostes spirituales, & vitia, & dæmones facillimè accedunt. Vnde Eccl. 10. legitur de superbia, Qui tenuerit eam, adimplebitur maledictis, id est vitiis. Item montes solent esse mundi & sani, quia ibi sordes confluere non possunt. Sed mons superbiæ immundior est & minus sanus cæteris locis: quasi enim contra naturam, ad eam sordes confluunt. Vnde quasi mons pestifer est: secundum illud Ierem. 51. Ecce ego ad te mons pestifer, qui corrumpis vniuersam terram. ¶ Secunda ratio est, quia ferè omnia bona fugiunt montem superbiæ. Est enim mons Gelboë, in quo nec ros nec pluuia descendit. Si omnes montes qui sunt in circuitu eius visitaret dominus, à mōte tamen superbiæ transiret. Desuper non recipit mons iste, nec rorem gratiæ, neque pluuiam interioris doctrinæ. Fluuius etiam humanæ doctrinæ non potest ad eum ascendere. Superbi enim impatientes sunt eruditionis vel correctionis. Duæ verò sunt causæ huius spiritualis sterilitatis, quæ est in monte superbiæ. Vna est hæc, quòd mons iste situs est in lateribus aquilonis: iuxta illud quod dicit primus superbus, Esa. 14. Sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis. Ventus enim aquilo dissipat pluuias: vt legitur Prouer. 25. Alia causa est ipsa altitudo. A qua enim gratiæ vel doctrinæ confluit ad loca humilia. vnde in Psal. Inter medium montium pertransibunt aquę. ¶ Tertia ratio est, quia si qua bona sunt in monte isto, in periculo sunt. Vnde Sapiens: Superbia omnia habet in periculo, humilitas in tuto. ¶ Quarta ratio est, quia ferè omnia mala accidunt in monte isto. Perflant ibi diuersa genera ventorum, quia perflant altissima venti. Corda etiam eorum, qui morantur in monte illo, congelantur. Vnde Eccl. 43. Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua. Flatus aquilonis, intelligitur suggestio diaboli. Ad quem flatum congelantur corda superborum: & quia indurantur, & quia sunt absque dilectione Dei & proximi. In monte isto angelus factus est diabolus. Vnde Bernardus: Quem sequimini miseri homines, quem sequimini? An non videtis satanam tanquam fulgur cadentem? Nónne iste est mons, in quem ascendit angelus, & diabolus factus est? Auguſt. ſuper Pſalm. Superbia

angelum fecit diabolum, humilitas hominem Deum. In isto monte Saul dæmoniacus siue arreptitius factus est. Vnde 1. Reg. 16. Ecce spiritus domini malus exagitat te. In hoc etiam monte Nabuchodonosor in bestiam est conuersus, vt leo esset in posterioribur, bos in anterioribus, ad minus secundum quod sibi videbatur. Ista eadem hodie accidunt multis in monte superbiæ. Alij enim ibi diaboli efficiuntur, per inuidiam ad modum diaboli gloriam aliis inuidentes. Alij arreptitij per iram. Alij verò boues, solum de pastu sui corporis curantes. Psal. Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fœnum. Alij verò leones, per cupiditatem & rapinam. Prouerb. 28. Leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem. ¶ Quarta stultitia superbi est, quum ipse possit descendere cum facilitate & maxima vtilitate, potius elegit ascendere cum magno damno, & cum magna difficultate. Bernard. O abusio, ô peruersitas filiorum Adam: quia cum ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum: ipsi & leuiter ascendunt, & descendunt difficilius parati ad honores & celsitudines graduum ecclesiasticorum ipsis angelicis humeris formidandos. Idem: Conatur quis montem potestatis ascendere, quantos, putas, contradictores habebit? quantos inueniet repulsores? obstacula quanta? difficilem viam? Nec est ista stultitia superbi parua, quum potius vult per arduam viam ire ad mortem suam, quàm per humilem ad vitam. Potius vult ascendendo ire ad suspendium, quàm descendendo ad regnum æternum. ¶ Quinta est, quòd ipse ad dignitatem tendit per indigna, & ad dominationem per miserrimam seruitutem. De primo dicit Seneca: Non sit tibi ambitio, quæ ad dignitatem nisi per indignitatem non adducet. Ad secundum pertinet hoc, quòd diabolus quum ostendisset domino gloriam mundi, dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Matth. 3. In quo facto insinuatur, quòd diabolus eos qui appetunt dominationem, antequam eam obtineant, redigit in miseram seruitutem: quæ enim miserior seruitus, quàm seruitus vitiorum? Bernard. An non seruus, cui dominatur iniquitas? Ita, & maximè nisi indignius iudices hominem tibi quàm vitium dominari. ¶ Sexta est, quòd ipse tantum appetit exaltationem, quòd non videtur curare qualis sit exaltatio illa: vtrum sit ad malum, vel ad bonum suum. Interdum enim dominatur homo homini ad malum suum: vt legitur Eccles. 8.

¶ *De sex speciebus exaltationis.*

VT autem appareat quanta sit stultitia hæc, sex species exaltationis ponemus. Quarum vnica appetenda est. ¶ Prima est ad Dei honorem, & ecclesiæ ædificationem: vt cùm aliquis habens eminentiam vitæ, ponitur in eminentia dignitatis, vt sit quasi lucerna lucens ad Dei gloriam & proximorum exemplum. Vnde Luc. 11. Nemo lucernam accendit, & in abscondito ponit, nec sub modio, sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Ad Phil. 2. Inter quos lucetis sicut luminaria in mundo. Et Mat. 5. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona: & glorificent Patrem vestrum qui in cælis est. Secunda est, ad deiectionem seu præcipitium: de qua satis dictum est prius: quam constat non esse appetendam. ¶ Tertia est ad supplicium: hoc modo exaltantur qui suspenduntur. Et talis est exaltatio superbi. Ad hoc enim procurat diabolus, quòd ipsi exaltentur, vt amplius crucientur, & in præsenti & in futuro. Ad primum pertinet illud Bernar. O ambitio ambientium crux, quomodo omnes torques, & omnibus places? Et illud, quòd dominus coronam spineam habuit. Omnis enim corona spinea est, quia non habetur dignitas absque cruciatu. De secundo, Sap. 6. Potentes autem potenter tormenta patientur. ¶ Quarta est ad opprobrium. Talis est exaltatio facinorosorum qui ponuntur in pandulacro, vel in scala pro reatu facinorum suorum. Talis est exaltatio, cum aliquis in manifesto peccato existens præficitur aliis: quantò enim in altiori loco ponitur, tantò peccatum eius pluribus ostenditur. Vnde Sen. Eorum qui in turba sunt, qui non excedunt, latent vitia: vt appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent: nostra facta dictaque accipit rumor, & ideo nullis magis curandum est, qualem famam habeant, qui qualemcunque habuerint, magnam habituri sunt. Boëtius in lib. cons. Collata improbis dignitas, non modo non efficit dignos, sed potius prodit & ostendit indignos. Quale est hoc, vt ille qui mortuus est in peccato, non solum quatriduanus, sed etiam quadragenarius, vt fœtore suo alios corrumpat in alto loco velit poni, qui potius desiderare deberet vt sub terra absconderetur: sicut corpora mortua absconduntur, ne fœtore eorum homines corrumpantur. Fœtor iste figuratus est in fœtore Antiochi. 2. Machabæorum nono, vbi dicitur, quòd fœtore eius exercitus grauabatur. Talis est velut lucerna extincta, tetrum fumum de se emittens. vnde abscondendus esset, non super candelabrum ponendus. ¶ Quinta est ad ludibrium, vt quando alicui fatuo traduntur insignia regia vel episcopalia, qui tamen non est rex vel episcopus. Et talis est exaltatio hominis superbi, qui signũ habet libertatis, cùm seruus sit omnium vitiorum. Tull.

Omnis

Omnis stultus seruus, omnis sapiens liber. Putetúrne imperator hoc nomine dignus? quomodo enim libero imperabit, qui non potest cupiditatibus imperare? Refrænet prius libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat: coërceat auaritiam, cæteras animi labes repellat: tunc incipiet imperare, cum ipse turpitudini ac dedecori parere desierit. Dum his obediet, non modo imperator, sed liber omnino habendus non est. Superbus habet signa dignitatis, cùm ipse omni bono sit indignus. Indignus etiam est pane quo vescitur, & etiam vita. Vnde prælatus qui non habet ea quæ pertinent ad prælatum, non est prælatus, sed simia prælati: iuxta verbum Bernard. dicentis, Simia in tecto, rex fatuus sedens in solio. Simia non est in tecto ad suum honorem, sed ad hominum derisionem. Sic prælatus inhonestus, derisio est hominum. Quasi prælatus est, & nõ est verè prælatus. Vnde Esa. 22. dicitur ad Sobnam præpositũ templi: Tu quid hic, aut quasi quis hic? quasi diceret ei, Non es quis, sed quasi quis. Illusio ista figurata est in illusione Domini, Matt. 27. vbi dicitur: Et exuẽtes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei: & plectentes coronã de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinẽ in dextera eius: & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorũ. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Omnia ista fiunt specialiter indigno, qui aliis præficitur. Veste enim innocentiæ exuitur, & rapacitate & crudelitate, quæ est velut vestis coccinea pauperum sanguine cruentata, induitur. Corona etiam de spinis plectitur, quia dignitatem illius multiplex punctio comitatur. Arundo, quæ est exterius lucida & interius vacua, in manu eius ponitur: quia ipse potens est in alios, sed in se infirmissimus est, nulli vitio resistere valens. Genu flexu ille à ministris suis illuditur: quia ab illis vocatur dominus, quorum verè est seruus, cùm solicitudo de victu & vestitu eorum ad eum pertineat. Salutatur etiam ab eis, qui procurant mortem eius. Spuunt etiam ministri in faciem eius, dum eum facinoribus suis polluunt. Arundine caput eius percutiunt, dum in potestate ab eo recepta animam eius lædunt. ¶ Sexta species exaltationis est, quæ fit ad ventilationem & dispersionem. Sic palea exaltatur, vt à grano separetur. Puluis etiam exaltatur, vt à vento dispergatur: & talis est exaltatio superbi, qui diabolo procurante in sublimitate dignitatis ponitur, vt à bonis separetur & elongetur. Iob 20. Tollet eum ventus vrens. & in Psalm. Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ. Non est ergo omnis exaltatio appetenda, quum non omnis sit ad honorem.

rem. Vnde super illud Ioan. 19. Plectentes coronam de spinis. dicit glo. Loco ignominiæ est apud indignum dignitas. ¶ Septima stultitia superbi est, quòd cùm ipse omnia appetat ascendere, tamen viam refugit, per quã solam est ascensus: scilicet humilitatẽ. Ber. Per humilitatem ascẽdite ad sublimitatem: quia hæc est via, & non alia præter eam: qui aliter vadit, potius cadit quàm ascendit. Christus cùm per naturã diuinitatis non haberet quò ascenderet, quia vltra Deum nihil est, per descẽsum quomodo cresceret inuenit. ¶ Octaua est, quòd cùm ipse sublimitatem appetat, in loco tamen infimo se ponit. & cùm credit ascendere, descendit. Locus valde altus est humilitas quum sit vicina Altissimo. Ambr. Nihil excelsius humilitate, quæ tanquam superior nescit extolli. Superbia verò locus valde infimus est, cùm maximè distet à Deo, Vnde super illud Psal. Iuxtà est dominus his qui tribulato sunt corde. dicit Glo. Altus quidem Dominus est: vicinatur tamen humili, & non se erigenti. Et Gre. loquens de illo verbo, Deiecisti eos dum alleuarentur, ait, Non dicit postquam eleuati sunt: quia ipsum eleuari extrinsecus, interius cadere est. Idẽ: Omnis qui temporaliter erigitur, eo ipso quo extollitur, inclinatur. ¶ Nona est quòd ipse potius elegit esse in tempestate, quàm in tranquillitate. Tempestas est ipsa potestas. Greg. Quid est potestas culminis, nisi tẽpestas mentis? ¶ Decima est, quòd cùm ipse ingredi velit per humile ostium, collum tamen extendit, & caput eleuat. Iob 15. Cucurrit aduersus Deum erecto collo. Ostium paradisi Christus est. & est valde humile ostium. vnde super illud Io. 10. Ego sum ostium. dicit glos. Hoc ostium est ianua humilis. Qui per hanc vult intrare, oportet vt se humilier: ne si erectus sit, offendat in humilem ianuam. ¶ Vndecima est, quòd illos quibus præesse cupit, sibi superponit. Vnde Gregor. super Iob 26. Tantorum pondera vnusquisque ferre compellitur, quantis in hoc mundo principatur. ¶ Duodecima stultitia superbi est, quòd ipse per viam arduã incedere quærit, qui per viam planã incedere nescit: non attendens illud poëtæ, Qui cadit in plano, vix hoc tamẽ euenit vnquam, Sic cadit, vt tacta surgere possit humo. Mirum est, quòd ille qui ita se videt in plana cadere via, ita appetit ardua loca: & qui nescit operari in plano loco, appetit operari in turribus ecclesiarum, non attendens illud Bern. Facile est in alto se continentem obstupescere, & de vita periclitari.

Quòd superbia sit valde periculosa infirmitas. CAP. IX.

ITem faciet ad detestationem etiam superbiæ hoc, quòd ipsa est valde periculosa infirmitas, & valde magna deformitas. Habet etiam

etiam miseram seruitutẽ & magnam debilitatẽ. Est autẽ superbia periculosa infirmitas, quia de facili incurritur, & non de facili curatur. Post curationem etiã de facili in eã recidiuatur. Quòd de facili nõ curetur, patere potest ex eo, quòd nullus sine ea perit. Vnde Gl. super illud Io. 6. Hęc est volũtas eiꝰ qui misit me patris. &c. De tumẽtibꝰ pariter, de pusillis nihil. & Mat. 18. Nõ est volũtas ante Patrẽ vestrũ, qui in cælis est, vt pereat vnꝰ de pusillis istis.

¶ Triplex ratio quod de facili in superbiam incurratur.

TRIPLEX autem ratio potest assignari, quare aliquis de facili incurrat infirmitatem superbiæ. ¶ Prima est, quia nõ putatur esse tanta infirmitas quanta est, & ideo non vitatur sicut vitanda esset. Vnde Greg. Cùm minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam eo magis erubescunt homines, quia omnes turpem eam esse nouerunt. ¶ Secunda est quia manifestiora inueniuntur exempla superbiæ, quàm aliorum vitiorum. Fornicatores enim & alij peccatores occultant peccata sua: sed superbia palàm cõmittitur. ¶ Tertia propter multiplicẽ materiam à qua sumitur. Potest enim oriri ex quocunque bono. Quòd autẽ superbia oritur. Potest ex eo quòd non curetur de facili, patet ex illo verbo Eccl. 3. Synagogæ superborum non erit sanitas. & ex illo verbo Iob 15. Cunctis diebus vitę suæ impius superbit. quando aliquis infirmatur, si ipse sit in peccato odij vel luxuriæ, ipse confitetur, & dimittit illud peccatum. Peccatum verò superbiæ nec confitetur, nec proponit dimittere.

¶ Multiplici ratione ostenditur quòd superbia non de facili curetur.

MVLTIPLICI autem ratione potest ostendi, quòd non de facili curetur hæc infirmitas. ¶ Primo per hoc, quòd infirmitati diaboli quæ est incurabilis, omnino assimilatur. Peccatum enim Luciferi, fuit superbia. ¶ Secundo per hoc, quòd non cognoscitur hæc infirmitas. Etiã illi qui pleni sunt superbia vsque ad oculum, qui superbè comedunt, & bibunt, incedunt & dormiunt, non cognoscũt eam: & quia non cognoscitur, ea de facili curatur. Quòd autem non ita de facili curetur, quia non agnoscitur, patet ex his testimoniis scripturæ quæ sequuntur: Nemo insanabilior eo, qui sibi sanus videtur. Ber. Scio longius esse à salute membrum quod obstupuit, & ægrũ sese non sentientẽ periculosius laborare. Amb. Grauissimè peccas, & ignoras. Sene. Initium salutis, est cognitio peccati. Idem: difficulter ad sanitatẽ peruenimus, quia nos ægrotare nescimus. Idem: in his morbis, quibus animo afficimur, quo quis peius se habet, minus sentit. Somnia sua narrare vigilantis est, & vitia sua cõfiteri sanitatis indicium est. ¶ Tertio per hoc quòd remedio non iuuatur, imò deterior fit. Superbia fuit causa quare

quare Iudæi de prædicatione Christi deteriores facti sunt. Vnde Io. 9. Ego in iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & qui vident cæci fiant. Gl. interlin. super illud, Qui non vident, Humiles cæci. Et super illud, Qui vident, alia Gl. interlin. Sapientes superbi. Venit ergo Dominus in hunc mundum, vt humiles cæci illuminarentur, & superbi sapientes excæcarentur. Vnde & subdit in eodem cap. euangelij Dominus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum: id est, si verè cæcos vos esse reputaretis. Nunc verò dicitis quia videmus: ideo peccatum vestrum maner. quod figuratum esse videtur Matt. 26. vbi legitur Petrum amputâsse auriculam seruo principis sacerdotum. Petrus enim, id est cognitio, aufert multis literatis auditum prædicationis vel aurem obedientiæ. Ad quod videtur pertinere illud Prou. 26. Vidisti hominem sibi sapientem videri? magis spem illo habebit insipiens. ¶ Quarto quia pietas Dei non ita respicit superbum, sicut alios peccatores. vnde Greg. Cælestis medicus ægros non respicit, quos etiam de medicamento deteriores fieri videt. ¶ Quinto, quia superbia maximè distat ab humilitate, quia est ei contraria: sola autem humilitas est via ad curationem. vnde super illud Iob 31. Si lætatum est in abscondito cor meum, dicit Greg. Superbia quanto longius ab humilitate, tanto grauius est in desperatione: id est, tanto minus potest haberi spes de futura correctione eius. Ad ostendẽdum etiam quod de facili in eam recidiuatur, eadem possent adduci quæ posita sunt ad ostendendum quòd de facili non curatur.

Quod superbia est deformitas magna. CAP. X.

EST autẽ superbia magna deformitas, quia gibbus est quo aliquis à sacerdotio Domini repellitur. Leuitic. 21. Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculã, non offeret panes domino Deo suo, nec accedet ad ministeriũ eius: si cæcus fuerit, si claudus, si paruo vel grandi & torto naso, si fracto pede vel manu, si gibbosus, si lippus, si albuginẽ habens in oculo, si iugem scabiem, si impetiginem habuerit, vel hernioſus. Cæcus est homo illiteratus. vnde Esa. 42. Quis cæcus, nisi seruus meus? Cæcitas ista multũ nocet hodie in ecclesia Dei. Vnde Esa. 5. Propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. & eiusdem 56. Omnes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci omnes. Claudus est qui quandoque inclinatur ad seruiendum Deo, quandoque diabolo. De qua claudicatione, 3. Reg. 18. Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem

Baal,

Baal, sequimini illum. Paruum nasum habet cui parum fœtent peccata. Grandem nasum habet sed tortum, cui multum fœtet peccatum: sed ipsi personæ peccanti indignantur. Contra quod dicitur ad Ephe.4. Omnis amaritudo,& ira,& indignatio,& clamor, & blasphemia tollantur à vobis. Fractum habet pedem vel manum, qui impotens est ad ambulandum in via domini, vel bene operandum. Gibbum habet qui superbus est. Lippus qui terrenam solicitudinem habet, qua visus eius impeditur. Albugo in oculo, est oppositio proprij candoris vel innocentiæ. Iugem scabiem habet, qui in corde suo immũdas cogitationes iugiter versat. Impetigo ad literam, est sicca scabies, sine dolore fœdãs decorem. Vnde impetiginem habet, qui est infamis. Hernios us est, cuius interiora nimis descendũt. Vnde signat auarũ qui proiecit in vita intima sua. Superbus etiã in vili seruitute est. Cùm enim omniũ iudicia timeat, omniũ seruus est. 1. ad Cor.4. Qui autẽ me iudicat, Dominus est. Sen. Minus quã seruus est, qui seruos timet.

¶ Quòd superbia arundini & vento comparatur.

TANTAE etiam debilitatis est superbus, vt propter eam arũdini comparetur. Matt.11. Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Comparatur etiam arundini, eò quòd interius sit vacuus. Aug. Extrà plenus, intus vacuus, carne crepat, corde mendicat.

De diuersis rebus, quibus superbus comparatur. CAP. XI.

VAlere etiam possunt ad detestationẽ superbiæ diuersæ creaturæ, quibus superbia vel superbus comparatur. Comparatur enim vento, fumo, paleæ, spumæ, corniculæ, vesicæ. Vento autem comparatur multiplici ratione. Primo vt ostẽdatur quantũ timẽda sit homini, quũ ipsa sit ventus, homo verò puluis. vnde Gene.3. Puluis es,& in puluerem reuerteris. ¶ Secundo, vt ostẽdatur quãtum noceat superbia luci sapientiæ, & rori gratiæ. Ventus enim extinguit lucem,& siccat rorẽ. Aug. Lucerna vt non extinguatur, ventũ superbię non patiatur. ¶ Tertio, vt ostendatur superbia prę cipuè esse timenda his qui in alto sunt. Perflant enim altissima venti. Ideo dicit Apostolus.1. ad Tim.6. Præcipe diuitibus huius seculi, non sublime sapere. Superbia in alto orta est: primo scilicet in cælo,& ideo libenter in alto moratur. ¶ Quarto, quia superbi sicut ventus sonant. Sunt enim frequenter garruli & tumultuosi. Psal. Periit memoria eorũ cum sonitu. ¶ Quinto, quia facit in homine quandã tempestatem, sicut ventus in mari Psal. Ascendunt vsque ad cęlos,& descendũt vsque ad abyssos. Cùm laudãtur, ruue ascẽdunt ad cælos: quũ autem vituperãtur, descendunt vsque ad abyssos. Esa.57. Cor impij quasi mare feruẽs, quod quiescere non potest. Fumo etiam comparatur superbus: quia ad modum fumi quanto plus ascendit, tanto plus euanescit. Psal. Inimici verò domini mox, vt honorificati fuerint,& exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficit. Et sicut superbus fumus est in culpa, sic erit in pœna. Esa.65. Qui dicunt, Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. ¶ Spumæ etiam comparatur siue bullæ quæ est super aquam, quæ cito transit. Oseæ 12. Transire fecit Samariam regem suum, quasi spumam super faciem aquæ. Populus superbiæ principi consentiens, quandoque est causa, vt citò princeps trãseat de vita ista. Corniculæ etiã comparatur superbus, quæ dicitur assumpsisse pennas aliarum auiũ,& inde superbisse: quibus ablatis, manst turpis & nuda. Sic si à superbo aliena auferas, pulluis,& cinis remanebit. Comparatur etiam vesicæ vento plenæ, quæ vesica ad nihilum redigitur, dum mortis aculeo vel ægritudine pungitur. Comparatur etiam paleæ propter leuitatẽ,& inconstantiam. Et sicut non facit ad valorẽ fumi, vel spumę, vel paleæ ꝙ superiorem contendũt habere locum: sic non facit ad honorẽ superbi, ꝙ super alios vult esse, imò in hoc ostendit spumam vel paleam esse: quia si granum esset, infimum locum teneret. Aurum, quod inter cætera metalla est pretiosius, infimum locum sua ponderositate contendit habere. Ad idem nos monet dominus Luc.14. Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouissimo loco.

Quòd diligenter dominus velit suis à vitio superbiæ cauere.

CAPVT XII.

VLtimo potest valere ad detestationem superbiæ hoc, ꝙ dominus ita vult diligenter cauere seruis suis à vitio isto. Potius vult habere stultos seruientes ignobiles, infirmos cõtemptibiles, pauperes peccatores, & etiam pauciores quàm habeat eos superbos. Omnia ista ex verbis scripturæ quæ sequuntur possunt esse manifesta. 1. Cor.1. Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, &c. Et super illud Ioan.1. vbi loquitur de Nathanaële, dicit gl. ꝙ Nathanaël, quia doctissimus erat, non est in apostolatum electus. Omnes enim apostoli de indoctis assumpti sunt, vt confundantur sapientes. & Augu. Nisi humiliter & fideliter præcederet piscator, non humiliter sequeretur orator. & 1. ad Cor.1. Ignobilia, & contemptibilia mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt destrueret, vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Et super 2. Reg. dicit quædam glos. quæ mundus per fastum

elationis spernit, Deus per deuotionem humilitatis acquirit. &c. 1. ad Cor. 1. Infirma mundi elegit Deus, &c. Ia. 2. Nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo? Greg. Nonnunquam dominus quibus magna tribuit, quædã parua reprehensibilia relinquit, vt sem per habeant contra quod bellum gerant, & deuictis magnis hostibus mentem non erigant, quando eos adhuc aduersarij minimi fatigant. Sed quid mirum, quando illa superna regio in ciuibus suis ex parte damna pertulit, & ex parte fortiter stetit, vt electi angelorum spiritus, dum alios per superbiam cecidisse conspicerẽt, ipsi tanto robustius, quanto humilius starent. Permisit etiam Deus Dauid, & Petrum mortaliter peccare, vt sic humiliarentur. Permisit etiam Iudam omnino perire, qui erat de ordine & numero Apostolorum, & societate Domini, vt nullus in quocunque ordine sit, inquit, superbiat. Et breuiter, omnes miseriæ, quas viri sancti sustinent, ad hoc sunt, ne superbiant. Vnde 2. ad Cor. 12. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus satanę, qui me colaphizet. Greg. Dum vitia tentant nos, proficientes in nobis virtutes humiliant. Augu. O venenum superbiæ, non nisi veneno tentationis curandum. Et Greg. super Iob, Iebusęum Israël tolerat, vt humana mẽs de se humilia sentiat, dum minima non superat, & tamen neque per omnia ista domatur superbia humani cordis. Vnde Bern. O mira fatuitas cordis nostri, cuius elationem perfectè dimittere, cuius ceruicosos motus omnino domare, humilitatis tanta materia nõ sufficit, quin adhuc superbiat terra, & cinis. ¶ Absque modo videtur Dominus persecutus fuisse superbiam, doctrina scilicet & exemplo. Doctrina, cùm cõsuluit Luc. 14. Recumbe in nouissimo loco. Non dixit in mediocri loco, sed in nouissimo. Et Matth. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Et ibidem: Quicunque humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum. Exemplo etiam videtur persecutus esse superbiam sine modo in formatione hominis, cùm quasi in eadem veste sociauit purpuram cum sacco, animam carni coniungendo, & ex brutali natura & anima, quæ similis est angelicæ naturæ, hominem constituit dignissimam creaturam, imò limo terræ copulauit, & iuxta verbum Esa. 50. cælos induit tenebris, & posuit saccum operimẽtum eorum: quod constat esse factum specialiter contra superbiam. Item absque modo videtur superbiam persecutus fuisse, cùm ad ipsam destruendam semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, & cùm pedes discipulorũ lauit. Vnde Io. 13. dicit ei Petrus: Domi

Domine, tu mihi lauas pedes? quasi dicat: Nõ lauabis mihi pedes in æternũ: quia nimia esset hæc humilitas, quæ præcipuè videtur extitisse in passione. Vnde passio eius excessus vocatur. Luc. 9. Dicunt aliqui, quòd nimis potest esse humilis homo, sed quantumcunque humiliauerit se, tamen humilior Christo non erit, cùm ipse nouissimus virorum fuerit. Esa. 53.

De diuisione superbiæ, PARS III. *quæ habet quadraginta capitula.*

De diuisione Superbiæ. Et de illa specie superbiæ, quando quis credit se bona sua habere à se. CAP. I.

POsitis his quæ pertinent ad detestationem superbiæ, consequens est, vt diuisiones ad idem vitium pertinẽtes ponamus, & prosequamur. ¶ Et notandum, q̃ superbia primo diuiditur in superbiam interiorem & exteriorem. Interior autem diuiditur in superbiam intellectus & superbiam affectus. Superbia intellectus quatuor habet species. Prima est, cùm aliquis credit sua bona habere à se. Secunda est, cùm aliquis credit à Deo sua bona habere, sed à suis meritis. Tertia, quando credit se habere quod non habet. Quarta, quando in opinione sua præfert se aliis. Vnde versus: Ex se pro meritis, falso, plus omnibus inflant. ¶ Prima specie laborabant philosophi, qui dicebant, Labia nostra à nobis sunt. De hac specie Iob 11. Vir vanus erigitur in superbiam, & quasi pullum onagri se liberum natum putat. Superbus nihil credit se tenere ab aliquo. Videtur tamen q̃ nullus habeat hanc speciem superbiæ. Nullus enim est, qui non credat bona sua à Deo habere. Vnde Bern. super illud, Oleum effusum nomen tuum. Quis tam insanus erit, vt aliunde quã à Deo aliquid habere præsumat? Nemo sanè etiam infidelis videtur esse in hoc errore. Bern. Inexcusabilis est infidelis, si non diligat Deum ex toto corde, tota anima, tota virtute. Nempe clamat intus ei innata iustitia: quia ex toto se diligere debet illum, cui se totum debere non ignorat. Ad quod dici potest, quòd ideo dicitur superbus credere bona sua à se habere, quia facit ac si crederet. Simili modo loquendi dicitur de aliquo, quòd non credit Christum filium Dei esse: cùm nec terretur eius comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit, vt dicit Bernard.

¶ De sex quæ facit superbus, quasi credat bona sua à se habere, & non à Deo.

SEX verò sunt quantum ad hoc, quod dicitur superbus facere, quasi credat bona sua à se habere, & non à Deo. ¶ Primò, quòd de bonis suis gloriatur in corde. Vnde Apostolus 1. ad Corint. 4. Quid habes quod non accepisti? ¶ Secundo, q̃ de bonis suis iactat

se.Iob 31. Si oscul atus sum manum meam. In manu intelligitur operatio: in osculo, quod est contractus oris, laudatio proprij operis. ¶ Tertio, quia de bonis suis gratias non agit Deo. Vnde ingratus dicitur non cognoscere beneficium acceptum, eò q̃ faciat quasi non cognosceret. Et est illud vitium valde nociuum homini. Bern. Ingratitudo est ventus vrens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ. Gregor. Non est dignus dandis, qui non agit grates de datis. ¶ Quarto, quia non habentem similia bona, contemnit. Vnde Bernardus loquens Pharisæo: Frustra inflaris aduersus publicanum, qui ideo non habet vt tu, quia non accepit vt tu. Gratias agendo probas te nihil tibi tribuere, cæteros aspernando prodis quid in corde locutus sis. Non enim iudicares publicanum contemnendum præ te, si non præ illo honorãdum te censeres. ¶ Quintò, q̃ sibi vult viuere, & non Deo. Vera recognitio Domini, est redditio census vel seruitij. Vnde cùm superbus seruire Deo renuit, ipse bona sua se habere à Deo non recognoscit, nisi recognitione verborum quæ est ridiculosa. Ridiculum enim est dicere aliquem, dominium in aliqua arbore sola folia habere. Contumeliosum est etiam domino, q̃ aliquis eum Dominum fateatur, qui ei seruire dedignatur. ¶ Sexto facit superbus quasi non crederet bona sua se habere à Deo, quia de bonis suis Deo non tribuit, quæ ipse requirit per pauperes suos: sed potius obiurgat quærentem, dicens: Vos quæritis quasi nobis commodasset us: non attendens q̃ Deus illi bona dedit, qui per pauperem ea requirit. Gregorius: Gratuitum putas quod impendis proximo, vel is nolis debitor es. August. Dicit tibi Christus, Da mihi ex eo quod dedi tibi: de meo quæro, & mihi non donas. ¶ Superbia ista valde nociua est homini. Homo enim superbus aliter viueret, si bona sua à Deo sibi data recognosceret, quàm viuat. Et hoc quo ad multa. ¶ Primo, si hostem suum se fortiorem videret, ad dominum suum pro succursu orationem quasi quendam nuntium mitteret, & de impetrando succursu valde confideret, sciens illud Apostoli 1. ad Cor. 10. Fidelis Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. ¶ Item si videret quòd castrum corporis sui defendere non posset, Domino suo redderet, vt ipsemet defenderet illud. Sicut quidam cùm tentaretur de peccato fornicationis multum, & resistere vltrà non posset, prosternens se ante Crucifixum, dixit: Domine, terram corporis quam à te teneo, amplius tueri non possum: ego reddo eam tibi, defende eam. Et statim recessit tentatio. ¶ Item qui bona sua à Deo recognosceret, ipse de iniuriis sibi illatis se non vindicaret, sed expectaret, quòd dominus suus sibi iustitiam faceret. Prouer. 20. Ne dicas, Reddam malum pro malo: sed expecta Dominum, & liberabit te, à labore scilicet vindicandi, & à debito gehennæ, quo te obligas vindicando. ¶ Item quo Deum solum omnium bonorum suorum dominum recognosceret, tantum eius iudicium formidaret. Non enim timenda est sententia à non suo iudice lata. Sic nec iudicia hominum sunt timenda. 1. ad Cor. 4. Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer. Deinde subditur, Qui autem me iudicat, dominus est. Item Deo tanquam domino non hominibus placere studeret. Apostolus ad Galat. 1. Si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Figuram verò illorum qui sibi attribuunt bona sua, tenent illi qui volebant Ioannem vocare nomine patris sui. Figuram vero illorum, qui bona sua Deo attribuunt, tenet Elizabeth, quæ ait: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et merito Ioannes, id est, gratia, vocatur, qui natus est de sterili secundum naturam. Sic bonum opus gratiæ Dei debet attribui, cum anima ex se sterilis sit: nec habeat nisi ex Deo quòd bona agat. Psal. Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum lætantem.

De illa specie superbiæ, qua quis credit se habere bona sua à Deo, sed tantum pro meritis suis.

CAPVT II.

SEquitur de illa specie superbiæ, qua quis credit habere pro meritis suis bona, quæ à Deo habet. Ad cuius vitij detestationem, primo facit hoc, quòd vitium illud contrarium est gratiæ Dei, & quodammodo euacuat eam. Si enim dantur hominibus bona pro meritis eorum, quæ gratia Dei erit? Sicut si paterfamilias soluat operario operationem quam ipse meruit, in hoc nullam gratiam ei facit. ¶ Secundo, quòd liberalissimum largitorem reputat venditorem, dum ea quæ dominus ei dat, credit se pro meritis emere, in quo Deo magnam contumeliam facit. ¶ Tertio facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd vitium illud omnino obstruit homini fontem misericordiæ. Si enim laborantes hoc vitio petant aliquid sibi dari à Domino, merito dicit eis dominus, Ite potius ad vendentes, & emite vobis: sicut dicunt virgines prudentes fatuis, Matth. 25. ¶ Quarto facit ad detestationem huius peccati magna fatuitas quæ comitatur hoc vitium. ¶ Multiplici verò ratione potest ostendi fatuus qui hoc vitio laborat. ¶ Primo, quia quantumcunque conetur homo, tamen non sufficit soluere, quod Deo debet. Vnde Bern. in lib. de

diligendo Deo. Si totũ me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. Siquidẽ non solum de me, sed etiam de quocunque quod factũ est, scriptũ est, Dixit & facta sunt. At verò in reficiendo, & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura: nec tantũ dura, sed etiã indigna. In primo opere me dedit, in secundo se. Et vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis me debeo, quid Deo retribuã pro se? Nam etiã si me millesies rependere possem, quid sum ego ad dominum? quanta ergo fatuitas est, quòd homo credat pro meritis suis bona sua habere, cum nõ sufficiat soluere Deo, quod debet? Solutio enim debiti recipientem non obligat, sed debitorem absoluit. ¶ Secundo potest ostẽdi fatuus qui bona sua credit habere pro meritis, quia bene operando facit ipse propriã vtilitatẽ, & nõ Dei. Deus enim bonorũ nostrorũ non eget. Luc 17. Cùm feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. In quo verbo innuuntur nobis duæ dictæ rationes: scilicet ꝙ bene operãdo soluimus quod debemus, & ꝙ Deo inutiles sumus, vel ad minus reputare debemus: vnde timere debemus quasi serui inutiles, illã sententiã domini Matt. 25. Inutilẽ seruũ proiicite illum in tenebras exteriores. Quid ergo debetur homini ex hoc, quòd propriam vtilitatẽ facit? ¶ Tertio potest ostẽdi fatuus per hoc, quòd ipse nihil dat Deo, nisi prius hoc Deus dederit illi. Vnde dominus Iob 41. Quis dedit mihi vt reddam ei? Et Dauid ad dominum 1. Paralipo. vlti. Quæ de manu tua suscepimus, dedimus tibi. Et Esaiæ 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis domine. Et Aug. Domine, supererogatur tibi, vt debeas, & quis habet quicquam nisi tuũ? Reddis debita nulli debens, dans debita nihil perdens. Et Bern. Non sunt talia merita, vt propterea vita æterna debeatur ex iure, vt Deus eis iniuriam faceret, nisi eam donaret. Nam vt taceã, ꝙ multa Dei sint dona, & ita homo magis propter ipsa debitor est domini, quàm Deus homini, quid sunt omnia merita ad tantam gloriam? Non enim sunt condignæ, &c. ¶ Quarto, quia opera bona nostra ex se sunt velut moneta absque argento. Gratia enim Dei valor est in operibus: sine ea sunt opera velut falsa moneta, qua nihil potest emi ab eo qui falsitatem illam agnoscit. ¶ Quinto, fatuus est talis, quia in oculis nostris frequenter videtur merita, quæ in oculis Dei sunt demerita. Iob 4. Ecce qui seruiũt ei nõ sunt stabiles, & in angelis suis reperit prauitatẽ. Quanto magis hi qui habitãt domos luteas, &c. & Esa. 44. Facti sumus vt immũdi omnes nos, vndẽ

vnde quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ. Gregorius: Sæpe iustitia nostra ad examen iustitiæ diuinæ deducta iniustitia est, & sordet in cõspectu iudicis, quod fulget in æstimatione operantis. Nullus ergo de suis meritis confidat. non modi cum valet ad meritũ, scire ꝙ non sufficiant merita. Bernardus: Exaggera quantum vis merita, & extolle sudores, melior est misericordia Domini super vitas. Idem: Meum meritum est, miseratio Domini. Idem: Vapulem sanè vt male operans, si fortè immerita verbera cõputentur, fortè miserebitur flagellato, qui in me non inuenit meritum quòd remuneret. Idem: Nemo se sedu cat, quia si bene cogitare voluerit, inueniet proculdubio, quia nec cum decẽ millibus possit occurrere ei qui cum viginti millibus ad se venit. Et est sumptum de Luca 14. Idem: Spiritussanctus illos quos repleuerit, & spiritu feruere, & veritate agnoscere facit: quia sola misericordia est quæ homines præuenit & perducit. Et subdit: Multum sibi de hac misericordia vndique attraxerat Dauid cùm diceret: Misericordia eius præuenit me, & misericordia tua subsequetur me, & misericordia tua magna est super me, & misericordia tua ante oculos meos est: & qui corripit me in misericordia, & in miseratione, & Deus meus & miseri. mea:

De superbia qua quis credit se habere quod non habet. PARS III.

SEquitur de tertia specie superbiæ pertinente ãd intellectum, quæ est quando quis credit se habere bonum quod non habet. Ad cuius vitij detestationem, ¶ Primo potest valere cõmẽda tio eius contrarij. Vnde Bernard. Magna & rara virtus profectò est, mirabilẽ te apparere, & contemptibilem reputare. Ego cæteris virtutibus mirabilius hoc iudico. Sic econtrario dici potest, quòd valde magnum vitium est, te miserabilem apparere, & laudabilẽ reputare. Hoc cæteris vitiis mirabilius iudicandum est. ¶ Secundò, maledictionem imprecatur Esaias laborantibus hoc vitio, Esaiæ 5: Væ qui sapientes estis in oculis vestris. ¶ Tertiò, quia hoc vitium impedit hominem à gratia. Prouerb. 26. Vidisti hominem sapientem sibi videri, magis illo spem habebit insipiens. ¶ Est autem triplex ratio, quòd hoc vitium impedimentum sit Dei gratiæ. ¶ Prima est, quòd laborans hoc vitio, gratiam Dei non petit, cùm credit se eam habere: & quia non petit, ideo non accipit. Sene. Ideo imitari nolumus, quia nos optimos credimus. ¶ Secunda, quia tali non libenter dominus dat gratiam suam, quia scit quòd non esset gratus, cùm ipse iam credat eam habere: & sic quasi perderet dominus gratiam suam, si

illi eam daret. Bernardus: Nunquid non perit quod datur ingrato? ¶ Tertia est, quòd ille quasi plenus est de nihilo: ideo non potest capere aliquid. Bernardus: Non est quo se immiscat vanitas, vbi totum occupat charitas. Ita non est quo se immiscat veritas, quando aliquem occupat falsitas. ¶ Quarto, facit ad detestationem huius delusio magna, quæ fit laborantibus hoc vitio. Deluditur etiam eis sicut delusum est cuidam rustico portanti agnum venalem ad forum: quem quidam leccator videns, dixit sociis suis, Vultis habere agnum quem portat rusticus? Illi dixerunt, Volumus. Et ipse disposuit per diuersa loca socios, per quæ rusticus erat transiturus, dicens quòd quilibet eorum quæreret si rusticus ille vellet vendere canem illum. Et cum primus quæreret: Respondit rusticus, quòd non esset canis, sed agnus. Sed cũ quæsiuissent alij similiter, deinde credidit de agno quòd canis esset. Sic superbus plus adulatoribus, quàm sibi credens, deinde credit se habere bonum illud quod prius certissimè sciebat se nõ habere. Sen. Monstrabo tibi quid omnia possidentibus desit, ista scilicet, hominem qui verum sibi dicat, & hominem inter mentientes stupentem ipsa consuetudine proiectum, blanda audientem, aduersa producat. Sic adulatores faciunt de superbo sicut de vesica pueri, quam vnus aliquantulum inflat, alius plus, & tertius plus, donec bene inflata est. Sic vnus adulator inflat superbum, alius verò amplius inflat. Seneca: Omnium adulatorum vnum officium, vna intentio est, quis blandissimè fallat. ¶ Quintò, facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd hominem in tanta cæcitate ponit, vt etiam cæcitatem suam agnoscere non possit. Alij cæci saltem cæcitatem suam agnoscunt, licet alia cognoscere non possint. ¶ Vltimo facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd diabolus facit de tali saccum, non solum ad continendum vilia, sed etiam ad continendum nulla.

¶ *De remedijs contra superbiam.*

Triplex autem potest esse remedium circa hoc vitium. ¶ Primum est, frequens meditatio proprij status. Bernard. Meditatio quid desit docet, oratio ne quid desit obtinet. Et est illud valde vtile homini, & Deo valde placet, quòd homo se inspiciat sæpe. Bernardus: Illam animam diligit Deus quæ sine cessatione se considerat, & sine simulatione se considerando iudicat. Ide: Si noueris mysteria omnia, noueris alta cæli, lata terræ, profunda maris: si te non noueris, eris similis homini ædificanti sine fundamento, ruinã, non structuram faciens. ¶ Secundum, vt corrigenti exhibeatur facies hilaris, adulanti tristis. Sic enim fiet vt

vt à multis corrigaris, & à nullis adulatoribus decipiaris. Nemo enim inuito auditori libenter narrat, vt ait Hieronym. Econtrario autem multos inuenit adulatores, qui libenter eos audit. Prouer. 29. Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes ministros habet impios. ¶ Tertium est, vt speculum Sacræ scripturæ faciei mentis sæpe opponatur. Vnde Grego. Sacra scriptura tanquam speculum mentibus nostris opponitur, vt si quid in ea fœdum fuerit, verius videatur.

De superbia intellectus, qua quis præponit se alijs in æstimatione sua.

CAP. IIII.

Sequitur de quarta specie superbiæ, quæ est quando aliquis in æstimatione sua præponit se aliis. Quæ est magna rusticitas, & magna fatuitas, & magna iniquitas. Quòd sit magna rusticitas, patet per hoc, quòd laborans hoc vitio quasi vult sedere altior aliis in hospitio proprio, & ibi maximè inhonorat homines, vbi deberet maximè honorare eos, scilicet in propria domo. Nõ sic faciebat Abraham, qui dicit Genes. 18. Loquar ad Dominum meum, cùm sim puluis & cinis, vbi dicit Greg. Apertè cernimus in quo loco se posuerat, qui se puluerem & cinerem etiam cùm domino loqueretur, æstimabat. Qua ergo pœna fariendi sunt qui ad summa non proficiunt, & de minimis se extollunt?

¶ *Quòd stultum sit se alijs præferre.*

Quod autem magna fatuitas sit se aliis præponere, patet, Primò, per hoc, quanto quis magis se appretiat, tanto minus appretiabitur à Deo, & tanto minus valet. Exemplum in Saule, qui cùm esset paruus in oculis suis, factus est rex. Econuerso autem cùm magnus esset, à regno deiectus est. 1. Reg. 15. Despicientẽ autem se Deus appretiat. Psal. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Secundo, per incertitudinem quam habent homines in præsenti vita de bonitate sua vel aliena. Eccle. 9. Sunt iusti & sapientes, quorum opera sunt in manu Dei, & tamẽ nescit homo vtrum amore an odio dignus sit. Et licet homo præsentialiter certus sit de bonitate sua vel malitia aliena, finaliter tamen incertus est: qui enim hodie est homicida, forsitã in Dei prouidẽtia est de ordine Cherubim: & licet tu modo sis bonus, tamen in Dei præscietia fomes affixus infernali patibulo. Eccle. 8. Vidi impios sepultos, qui cũ adhuc viuerent in loco sancto erant, & laudabantur in ciuitate quasi iustorũ operũ. Vidit Salomon spiritu prophetico sepultos in inferno, qui in mũdo isto sancti credebãtur. Ideo nulli debet se homo cõparare. Bernar. Noli te cõparare maioribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli vel vni. Nemini

te nō dico præponas:sed nec præsumas comparare.Idem:In anima planè non est timenda quantalibet humiliatio,horrenda autem nimiúmque pauenda vel nimia temerè præsumpta erectio. Et est competens exemplum de illo qui ingreditur per ostium bassum,cui non nocet quantumcunque se inclinet:sed si eleuauerit se plus debito,lædet caput suum,quod accidit his qui per humile ostium paradisi nolunt ingredi.Augu. Ostium paradisi est humile:quod si sano capite volumus intrare, oportet nos caput demittere. ¶ Tertiò,per hoc, ꝙ æstimatio qua aliquis præfert se aliis apud Deum, cui cogitatio locutio est, quædam ostentatio est propriarum diuitiarum,& obstruit sibi fontem diuinæ misericordiæ.Bernardus: Pharisæus exufflat diuinam misericordiā, dum dissimulat miseriam. ¶ Quartò,per hoc,quòd talis vult esse iudex suiipsius, cùm proprius amor homines fallat in iudicio suiipsius.Bernardus:Amor sicut nec odium, veritatis nescit iudicium.Idem de legibus humanis statutum,& in causis tam ecclesiasticis quàm secularibus scio seruatum,homines speciales amicos causantium non debere admitti in iudiciū,ne vel fallant,vel fallantur amore suorum. quòd si culpam amici tuo iudicio illius amor aut minuit,aut prorsus abscondit:quanto magis amor tui tuum contra te iudicium fallit ? Senec. Ita ferè comparata est omnium natura hominum , vt aliena melius iudicet quàm sua.Tali potest dici,Tu iudicium de teipso facis,iudicium tuum non est verum. ¶ Quintc,quia tales credunt solem iustitiæ non lucem dare,nisi in domo conscientiæ eorum,quod indubitanter magna fatuitas est.Vnde Bernar.Nolo vt nusquam arbitreris lucere diem,nisi in cella tua:nusquam esse serenum, nisi penes te nusquam operari gratiam Dei, nisi in conscientia tua : malo te cogitare vbique esse serenum, nisi apud te : & peius de te, quàm de aliquo alio æstimare.

¶ Quòd sit magna iniquitas se præferre aliis,quantum ad Deum.

INIQVITAS etiā magna est præferre se aliis,& quoad Deū, & quo ad proximū.Quantū ad Deū, quadrupliciter est iniquus qui se aliis præponit.¶ Primo,in hoc, ꝙ iudiciū datū filio Dei sibi vsurpat.Ioan.5.Omne iudicium dedit filio.¶ Secundo,ꝙ opus eius despicit.Prou.14.Qui calumniatur egentem,exprobrat factori eius qui fecit talem. Multū displicet mulieri qui despicit filium suum,vel artifici,cū quis despicit opus eius:ita Deo displicet,cùm quis despicit creaturas eius.¶ Tertio,quia cùm se solum bonum credit,quodammodo de Deo male sentit:& de sapientia Dei malè sentit, qui credit quòd Deus in vno solo loco diuitias posuerit. Et de bonitate eius male sentit , cùm credit quòd aliis Deus non sit bonus , nisi sibi:vel credit quòd aliis sit parum bonus,in quo Deo derogat.Vnde super illud Matt.5.Qui dixerit,fatue:dicit glo. Non modicus furor est , quem Deus sale sapientiæ condiuit,infatuatum dicere,& salienti Deo derogare.¶ Quarto, iniquus est talis in Deum:quia dum ipse Deus est magnus in se, in eo quodammodo paruus est,cum contrario modo oporteat esse , Oportet enim hominem minui,vt Deus in eo crescat:iuxta illud præcursoris Ioan.3 Illum oportet crescere, me autem minui.

¶ Quòd sit magna iniquitas,se præferre aliis,quantum ad proximum.

INproximum verò iniquus est,qui se præfert aliis,dupliciter. ¶ Primo quia præsumit proximū iudicare,in quo non habet iudicium,& contra prohibitionem domini, Matt.7. Nolite iudicare, & non iudicabimini.& Apost.Rom.14.Tu quis es qui iudicas seruum alienum?Domino suo stat aut cadit. ¶ Secundo , quia inquè iudicat eum,& quasi habet stateram dolosam,cum pro vno peccato quod scit de proximo suo , ei præponit se, cum se sciat multa peccata commisisse.Præterea nescit circūstantias peccatorū in proximo, quæ multum possunt diminuere peccatum eius : nescit enim qua intentione fecit,vtrum ex surreptione vel debilitate,vtrū ex ignorantia vel ex certa scientia,vtrum casu vel ex proposito & vtrū ex vehemētia tentationis.Itē pro ridiculosa argumētatione quā non auderet etiam recitare in scholis,proximū suum iudicat malū,vel pro aliquo leui signo.De hac statera,Prou.11.Statera dolosa abominatio est apud Deum:qui sapiens esset, longe peccata sua maiora quàm aliorum æstimaret , cum melius cognoscat circunstantias peccatū suum aggrauantes , quàm circunstantias quæ aggrauant peccata aliorum.Vnde Bern.Qui perfectè semet ipsum examinando intelligit,suo peccato nullius peccatum par esse existimat,quod nō sicut suū intelligit.Homini qui se præfert aliis qui de se solo bonam habet opinionē,quādoque ita accidit, sicut accidit Amā,qui de se solo credebat quòd à rege esset honorā dus,cū à rege esset suspēdendus,Esther 6.Cogitās Aman in corde suo,quòd nullum aliū rex nisi se vellet honorare,respōdit,&c.Et subditur,quòd suspēsus est Amā in patibulo quod parauerat Mardochæo:Mardochæum verò quē Aman suspendere voluit,rex honorari præcepit.Sic ille qui alium iudicat , quandoque est condemnandus: & qui ab eo iudicatur,ad regnum est sublimandus.

De diuisione superbiæ affectus.Et primo de præsumptione, & de triplici damno quod ex ea prouenit. CAP. V.

SVperbia affectus, diuiditur in præsumptionem, & appetitum propriæ excellentię. Primo igitur prosequemur de præsumptione. De qua primo ostendemus quantum præsumptio hominis sit timenda. Secundo præsumptuosos homines fatuos esse. Tertio distinguemus diuersas species præsumptionis. ¶ Tripliciter potest ostendi quòd valde timenda est præsumptio. ¶ Primo per hoc, quòd diminus cum tanto damno & iactura animarum voluit huic morbo mederi. Ideo enim distulit incarnari longo tempore, vt præsumptio in homine destrueretur. Noluit enim venire donec homo de lege naturali & scripta conuinceretur, quòd neutra iuuari potuisset. ¶ Secundo per hoc quòd dominus aliquando viros sanctos permittit cadere in aliquod manifestum peccatum mortale, ue de se præsumant. Augustus. Audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum & manifestum peccatum, vnde sibi displicerent, qui iam sibi placendo ceciderant. Saluberius enim sibi Petrus quãdo fleuit displicuit quàm placuit quando præsumpsit. ¶ Tertiò per hoc, quòd multiplex damnum prouenit ex præsumptione: & est triplex damnum quod inde prouenit. Deus enim præsumenti de se, auxilium suum subtrahit: subtracto Dei auxilio homo in bono non proficiet, & tandem in malo corruit. De primo, Iudith 6. Præsumentes de se & de sua virtute gloriantes humilias. De secundo super illud Psal. Infirmata est tu verò perfecisti eam. Non firmaretur, inquit Augu. nisi infirmaretur. Idem, Multos impedit à firmitate præsumptio firmitatis. De ruina quam facit præsumptio, patet in Petro, qui vilius omnibus corruit, quia præ cæteris præsumpsit. De præsumptione eius Marci 14. Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. & Luc. 22. Domine, paratus sum tecum in carcerem, & in mortem ire. De ruina eius, Matt. 26. qualiter ad vocem ancillæ, Christum negauerit. Vnde Aug. loquens ei: Vbi dixisti, sufficio, ibi defecisti: vbi tibi placuisti, ibi periisti.

¶ *De fatuitate illius qui de se præsumit.*

FATVITAS verò de se præsumẽtiũ ostẽditur, Primo per verba scripturę quę infirmitatẽ humanã ostẽdũt. 2. Cor. 3. Non quod sufficiẽtes simus aliquid cogitare ex nobis, &c. Si non sufficit homo ad bene cogitãdũ quod minimũ est inter bona opera, quomodo sufficiet ad alia? Io. 6. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit illũ. Itẽ dicit Eccl. Cãtic. 1. Trahe me post te, ibi dicit Beata persona ecclesiæ: Domine, scio me nequaquã esse peruenturũ ad te, nisi gradiendo post te. Sed neque hoc quidem, nisi adiutus à te. Ideo precor vt trahas me post te. Beatus siquidem est, cuius auxilium

xilium abs te. Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarũ, peruenturus quãdoque ad te in montibus gaudiorũ. Osee 13. Ex te perditio tua Israël: tantummodo ex me auxilium tuum. Et Psal. dicit homo: spiritus vadens, & non rediens. quia per se vadit homo ad peccatum, sed per se non redit. Nauis per se descendit in rapida aqua, sed per se non ascendit. Piscis per se intrat in nassam, sed non per se exit. Terra spinas & tribulos per se profert, sed non profert per se triticum. Sic homo per se potest facere malum, sed non bonum. Io. 15. Sine me nihil potestis facere. Vnde August. loquens de negatione Petri, dicit: Hic cognoscitur quàm verum sit, Sine me nihil potestis facere. Ecce ad vnius aurę impulsum firmissima columna contremuit. ¶ Secundo per collationem imbecillitatis nostræ ad fortitudinem hostium nostrorum: nos enim sumus quasi locustæ gigantibus infernalibus comparati, qui sunt hostes nostri. Valde ergo fatuus est, qui de se præsumit. In Deo tamen possumus etiam gigantes vincere. Vnde Origenes super Numeris, vbi loquitur de exploratoribus missis à Moyse. Vult dominus Iesus res mirabiles facere, vult de locustis superare gigantes, & de his qui in terra sunt cælestes vincere nequitias. ¶ Tertio exemplis virorum fortium, qui corruisse leguntur. Sicut exemplo Petri, Dauid, Salomonis, & similium. Gregorius, Dauid cadente nemo superbiat. Multos legimus in monte præsumptionis corruisse. vnde multum fugiendus esset mons iste. vnde Augustinus: Multum instrenuus est, qui illuc ire contendit, vbi multos corruisse conspicit. In monte hoc ceciderunt qui operantur iniquitatem. Præcipue potest agnosci fatuitas præsumentium de se per experientiam propriæ imbecillitatis. Leuem enim correctionem vel modicum verbum sustinere nequimus. Quomodo ergo magna præsumimus, qui modicum non possumus? Fatuitatem præsumentium de se insinuat nobis Salomon, Prou. 14. dicens: Sapiens timet, & declinat à malo: stultus transilit & confidit.

¶ *De quatuor speciebus præsumptionis.*

SEQVITVR de speciebus præsumptionis. Et possumus distinguere quatuor species ipsius. ¶ Prima species est, quando aliquis præsumit, quod alij nõ præsumũt. Sicut illi qui noua præsumunt præferẽtes se antecessoribus suis, & qui corã aliquibus sibi æqualibus, vel maioribus præsumũt quod nõ ipsi. Ad hãc speciẽ præsumptionis videtur referri illud Eccl. 32. Audi tacẽs simul & quęrens, & in medio magnatorũ loqui non præsumas. ¶ Secũda est, quãdo aliquis præsumit, de quo præsumendũ non esset. Vt cùm aliquis

præsum

præsumit de viribus suis, vel de amicis carnalibus, vel de diuitiis. Contrà videtur pertinere quòd dicitur Ierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnẽ brachiũ suum. Et subditur: Benedictus vir qui cõfidit in domino, &c. Et illud Esa. 36. Ecce cõfidis super baculũ arundineũ confractũ istum, super Ægyptũ: cui si innixus fuerit homo, intrabit manum eius, & perforabit eam. Et illud Prouer. 11. Qui cõfidit in diuitiis suis, corruet. ¶ Tertia est, cum quis præsumit aliquid ante tempus: vt cum quis præsumit de victoria, qui est adhuc in pugna. Ad quod refertur illud Iob 12. Meméto belli, nec vltrà addas loqui. Et illud 3. Regum 20. Non glorietur accinctus æquè vt discinctus. Et vocat glossa accinctum illum, qui indutus est armis, & adhuc est in acie. Discinctum verò, qui victor est, & iam arma deposuit. Ad idem potest referri quod dixit quidam pater cuidam fratri dicenti: Ego sum mortuus mũdo. Et si tu mortuus es, ait, pater diabolus tamẽ mortuus non est. Ad hanc speciem præsumptionis pertinet, quando aliquis præsumit de perfectione, qui adhuc est in inchoatione. Quantumcunque aliquis profecerit, semper reputare se debet incipientem. vnde Ecclesiast. 18. Cum consummauerit homo, tunc incipit, &c. Greg. in Moral. Nescit mens per torporem veteraſce re, quæ semper studet per desiderium inchoare. Idem: Si à bonis inchoatis nolumus lassescere, valde necesse est, vt semper ea credamus nos inchoare. Vnde Dauid: Et dixi, Nũc cœpi. & Ier. 3. Patrẽ vocabis me, & post me ingredi nõ cessabis. Et Eccl. 43. Luna signum diei festi luminare quod minuitur in cõsummatione mensis. Sic vir iustus quãto perfectior efficitur, tãto in oculis suis minuitur. ¶ Quarta species præsumptionis est, quãdo aliquis præsumit quod est supra vires suas. Sicut cũ aliquis præsumit quòd exibit à peccato cum voluerit. cũ tamẽ casum in peccatũ modo cauere nõ possit, de qua præsumptione Eccl. 29. Repromissio neglegentiæ multos perdidit. De hac præsumptione dictũ est amplius vitima multos perdidit. De hac præsumptione dictũ est amplius vitimo capit. circa finẽ, de Luxuria. Ad hanc etiã speciẽ pertinet, quãdo aliquis insufficiens recipit curam animarum, & promittit se alios à lupo infernali liberare, cum ipse iam sit in ore ipsius. Ad destruendum vitium præsumptionis posuit dominus hominem iam formatum in paradiso: vt legitur Genesis 2. Ipse homo non posuit se ibi, imo etiam positus à Deo ibi stare non potuit. Quomodo ergo in cælesti paradiso se viribus suis ponet?

De appetitu propriæ excellentiæ, quæ in tres species distinguitur. Et primo de appetitu dominij, & eius detestatione.

CAPVT VI.

Dictum est de speciebus præsumptionis, consequenter dicendum est de appetitu propriæ excellentiæ. Et cum sit triplex excellentia, scilicet excellentia dominij, & excellentia magisterij, & excellentia simplicis excessus, quando scilicet aliquis excellit alium in aliqua gratia, ita tamen quòd non est superior ad eũ: adhuc poterit distingui appetitus propriæ excellentiæ in tres species, scilicet in appetitum dominij, in appetitum magisterij, & appetitum simplicis excessus. De appetitu verò dominij, primo prosequemur. Qui ideo peccatum est, quia locus dominij proprij, excellentiæ locus Dei est, nec debet ab homine appeti. Naturaliter enim inter homines æqualitas esse debet, nec est homo subiectus homini, nisi per peccatum in bestiam sit conuersus, & sic quodammodo homine inferior sit factus. vnde Gregorius in Moral. Non est homini data prælatio, vt dominetur hominibus, sed bestiis terræ, & volucribus, & piscibus: id est, hominibus in eo quòd induunt faciem horum: vbi enim non delinquimus, pares sumus. & est sumptum illud de Genesis 1. super hoc verbo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, &c. Et subditur, Præsit piscibus, &c.

¶ *De his quæ faciunt ad detestationem huius vitij.*

Ad detestationem verò huius vitii, Primo possumus vti dissuasionibus quæ faciunt scripturæ de hoc vitio, & de multis pauca ponamus. Vnde Ecclesiast. 7 Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris. Sicut ad regem specialiter pertinet ponere aliquem in regno suo, qui loco eius sit: & regi iniuriaretur, qui ab alio quàm à rege sine eius consensu obtinere vellet. Sic Deo iniuriam facit, qui ab alio quàm à Deo dignitatẽ quærit. Item Ecclesiast. 7. Noli quærere fieri iudex, nisi virtute vales irrumpere iniquitates: sicut in cõflictu corporali, hostes præcipue irruunt super regem: sic hostes spirituales, scilicet vitia & dæmones, irruunt præcipuè super illum, qui in dignitate est. Vnde oportet eum virtutem habere dirumpendi eos. vnde Hieronym. Caue honores, quos sine culpa tenere non potes. Sublimitas horum, magnitudo scelerum est. Et Gregor. in Pastoral. Pollens virtutibus inuitus, & coactus accedet ad regimen animarum. Si ille qui virtutibus pollet, inuitus debet accedere, quid de illo qui vitiis sordet? Ille vno modo debet accedere: & si accedit, damnosum est & sibi & populo. De damno populi, Prouerb. 28. Regnantibus impiis ruinæ hominum. Item leo rugiens, & vrsus esuriens, princeps impius super populum pauperem, Item: Dux indigens prudentia multos opprimit per calumniam,

& Prou.

& Prouerbiorum 29. Cùm impij sumpserint principatum, gemet populus. Damnum autem quod incurrit, qui cùm indignus sit, sublimatur: dicit August. In nullo sentio Deum ita iratum mihi, quàm in hoc quòd cùm indignus essem poni ad remum, positus sum ad amplustre, siue ad gubernaculum in capite regiminis ecclesiæ. ¶ Secundo ad detestationem huius vitij valét exempla, & de multis exemplis pauca ponamus. Et primo exemplum Christi, de quo dicitur Ioann. 6. quòd cùm quidam vellent eum regem facere, fugit: quærentibus autem eum ad mortem, vltro se obtulit. Io. 18. Quærentes autem se ad regimen, fugit: vt ostenderet quod quibusdam potius expediret esse mortuos, quàm esse in loco dignitatis. Hoc ipsum confitentur aliqui nobiles & potétes, quòd potius expediret eis esse leprosos, quàm esse in statu in quo sunt. Hoc exemplo vtitur Apostolus ad Hebr. 12. Curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes remuneratorem fidei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem. De Augu. similiter qui fugiebat ab omni ciuitate quæ non habebat episcopum, ne in episcopum raperetur. Inuenitur etiam de quodam nomine Gaufredo priore Clareuallensi, quòd quum electus esset in episcopum Tornacen. & ab Eugenio papa, & abbate suo sancto Bernard. cogeretur onus episcopatus subire: ipse prostratus ad pedes abbatis, & clericorum qui se elegerant, in modum crucis, ait: Monachus fugitiuus si me eiicitis esse potero, Episcopus verò nunquam ero. Cui laboranti in extremis, quidam monachus ei charus assistens ait: Chare mi, oro te vt si potes, stantum tuum mihi post mortem reueles. Cui oranti post mortem eius, coram altari apparuit in visione Gaufredus, dicens monacho: Ecce assũ Gaufredus frater tuus. Cui ille: Chare mi, quomodo est tibi? Cui ille: Bene: sed reuelatũ est mihi à sancta Trini. q̃ si promotus essem in episcopum, fuissem in numero reproborum.

¶ *Quod ambitiosis sit male, peius, peßime, dum tendunt ad dignitatem.*

TERTIO potest valere ad detestationem huius vitij hoc, quòd ambitiosis male est dũ ad dignitatem tendũt: peius est eis cum ipsam iam acquisierunt: pessimè erit eis cum punientur de hoc, quòd in dignitate male se habuerunt. Quòd male sit ambitiosis, dum ad dignitaté tendunt, Primò patet ex verbis Senecæ dicentis: Quæcunque eminere videntur, quamuis pusilla sint, & tantummodo comparatione humillimorum extent, per difficiles & arduos tramites adeuntur. Confragosa ad fastigium dignitatis via est. Item Philosophus: Hoc maximum malum habet ambitio, quòd non respicit vel Deũ, vel se, vel alios, sed per fas & nefas, & mille pericula ad dignitatem tẽdit quam appetit. Ambitiosus semper est pauidus. Timet enim ne quid dicat vel faciat, quod in oculis hominũ displiceat, honestatem mentitur, humilitatem simulat, cũctis adulatur, cunctis inclinat, omniũ est seruus & tributarius: grauem pugnam habet in se, dum iniquitas pulsat animum, & ambitio continet manum. Quòd autem valde male sit ambitioso, cum iam habet dignitatem, multipliciter potest ostendi. Primo ex verbis Bernard. dicẽtis: O ambitio ambientiũ crux, quo modo omnes torques, & omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis eius. Idem Seneca: Nemo ex his quos purpuratos vides, felix est: non magis quàm ex illis quibus sceptrũ vel chlamydẽ in scena fabulæ assignãt. Qui in loco dignitatis sunt, sunt in maiori periculo, & quo ad corpus, & quo ad animã frequenter. Vnde Hieronymus: Honores secum pericula trahunt: cito periclitatur potestas, & quanto maior honor, tanto maiora pericula. Idem: Altissimi montes crebris fulminibus feriuntur. Vnde Augustin. Quanto in loco superiori, tãto in periculo maiori versatur. Interdum principes propter magnum periculum in quo sunt, non audent etiam ire in propriam ciuitatem, nisi ab armatis circundentur, quod non est parua miseria. Vnde Tullius: Nónne millies melius est perire, quã in sua ciuitate sine armatorum præsidio non posse viuere? In maioribus etiam criminibus sunt frequenter qui præsunt. Vnde Ieremiæ tertio: Ibo ad optimates, & loquar eis. Ipsi enim cognouerunt viam Domini, & iudicium Dei sui: & ecce magis hi simul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Et in eodem cap. in fine: Inuenti sunt in populo meo impij insidiantes, quasi aucupes laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auibus, sic domus eorum plenæ dolo. Ideo magnificati sunt & ditati in terra. Incrassati sunt, & impinguati, & præterierũt sermones meos pessimè. Vnde Seneca: Abstrahunt à tecto diuitiæ, honores, & potentiæ, & alia quæ in opinione nostra sunt cara, pretio sui vilia. In maiori etiam labore sunt tales. Vnde signati sunt per duo operimenta superiora quæ in tabernaculo erãt de pellibus arietum, propter æstuum & imbrium defensionem: de quibus habetur Exodi vicesimo quinto: Operimenta illa custodiebant operimentum inferius quod erat valde pretiosum. Sic illi qui præsunt, custodiunt filios Dei, quos ipse tenerè diligit, nec vult incommoditatibus & vexationi-

bus exponi. Vnde Greg. Miseriçors Deus, quos tenerè diligit, ab extremis actionibus abscõdit. Nam & paterfamilias ad cũ laborẽ seruos mittit, à quo subtiles filios suspẽdit. Et inde filij sine vexatione decori sunt, vnde serui in puluere deturpantur. Capa pluuialis non ideo superponitur cæteris vestibus, quia charior habeatur, sed vt potius sola deturpetur: nec fit hoc principaliter ad vtilitatem capæ, sed cæterarum vestium. Sic qui superior est, non debet se reputare cæteris meliorem. Debet etiam credere se in statu illo positum propter vtilitatem populi, non propter honorem. Expedit enim vt vnus homo moriatur pro populo, id est, laboriosæ vitæ & periculosæ exponatur, quæ est velut mors quædam. Multi tamen sic fatui sunt, vt mortem istam appetant, & dulcedinẽ quietæ vitæ fastidiant. Vnde Gregorius, Cessationem à laboribus mundi dominus imperat: sed vesana mens plus assequi aspera carnaliter, quàm tenere blanda spiritualiter gaudet. Habentes mãna fastidiunt, & cæpas desiderant, quæ non sine lacrymis comeduntur. Præterea ambitiosi ex dignitate quã appetunt, non obtinent honorem, quem intendunt. Non enim honorantur ex dignitate, sed potius dignitas exhonoratur & deturpatur ab ipsis. Ideo egregiè de Cæsare Tullius ait: Cæsar cum quosdam honorare voluit, non ipsos honestauit, sed ornamento deturpauit. Boëtius: Quanto maior est dignitas, tanto despectiores improbos facit. At non impune. Reddũt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas ipsi sua contagione maculant. Et licet valde male sit ambitiosis, dũ sunt in dignitate: deterius tamen erit eis cum pro abusione sua punientur. Vnde Hieronimus: In maiori gradu maior sine dubio pœna. Et Sapien. 6. Potentes autem potenter tormenta patientur. Et Apocalypsis decimo octauo, Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctũ. ¶ Quarto potest etiam ad huius vitij detestationem facere hoc, quòd vitium istud est valde efficax ad homines capiendos. Vnde quidam: Plurima cum soleant hominum corrumpere mores, Fortius euertunt fœmina, census, honor. Idẽ: Quem res nec fœmina vincere possunt, Subiugat ambitio. ¶ Quinto, possumus etiam vti ad detestationem huius vitij, parabola illa Iudic. 9. Ierunt ligna, vt vngerẽt super se regem: dixerũntque oliuæ: Impera nobis. quæ respondit: Nunquid possum deserere pinguedinẽ meam, qua dij vnguntur & homines, & venire vt inter ligna promouear? Dixerunt ligna ad arborem ficum: Veni, & super nos regnũ accipe. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere dulcedinem meam fructũsque

ctusque suauissimos, & ire, vt inter cætera ligna promouear? Locutáque sunt ligna ad vitẽ: Veni & impera nobis. Quæ respondit eis: Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deum & homines, & inter cætera ligna promoueri? Dixerúntque omnia ad rhamnũ: Veni & impera super nos. Quæ respondit eis: Si verè me regem vobis constituitis, venite & sub vmbra mea requiescite. Ligna super se regem vngunt, quando aliqui aliquem eligũt, vt eis dominetur. Notanter autẽ dicuntur eum vngere. Occasionem enim dant vt vnctè & mansuetè debeat se habere erga eos, in hoc, quòd eum sibi præficiunt, & sibi præponunt. Valde enim peruersum est eos exhonorare, qui eum in honore posuerunt, & potestate de manu aliorum acceptà in oppressionem ierũt. Vtique peruersitas est figurata Matt. vicesimoseptimo, in hoc, quòd milites præsidis accipientes arundinem de manu Christi, percutientes inde caput eius. In arundine enim quæ vacua est, intelligitur terrena potestas, quæ nihil soliditatis habet. Per oliuam, cuius pinguedine Deus hominésque vtuntur, signatur aliquis vt misericors, qui oleo misericordiæ suæ paupertatem aliorum condit, & quasi impinguat, & lucem diuinæ gratiæ eodem oleo in se nutrit & conseruat. Talis prælationem refugit, timens ne occasione eius bonum amittat, quod accepit. In ficu intelligitur aliquis contemplatiuus iam dulcedinem Dei per contemplationem sentiens, qui prælationem refugit, quia timet dulcedinem, quam sensit, perdere. Scit enim quòd oportebit eum per solicitudinem exteriorum extra se ire. Vnde Lucæ decimoquarto, Villam emi, & necesse habeo exire. dicit Glossa interlin. ab interna contemplatione. & ibidem dicit Glossa Augustini: In empta villa dominatio notatur & superbia. Villam possidere, homines sibi subdere, vitium malum, vitium primũ. Per vitem propter vini feruorẽ intelligitur aliquis perfectæ charitatis & feruentis, qui prælationem similiter recusat, timens ne feruor charitatis in eo tepescat, propter aquam mundanæ curæ superinfusam. Rhamnus autem est genus rubi asperum nimis, & aculeatum sicut sentes, & secũdum Iosephum, ad impetum venti ignẽ naturaliter producit: & est primo molle, & pòst durescit. Vnde signat aliquem malũ ambitiosum, qui spinis vitiorum spinosus est, qui spoliat subditos suos, sicut spinæ lana spoliant oues contingentes eas, qui ex se emittit ignem peruersæ conuersationis, quo se, & subditos conburat incendio infernali. Qui primo se subditis suis mollem exhibet & mansuetum, deinde verò durum, quia tyrannicam

vitam exerceat, talis regimen non recusat. ¶ Responsio contra illud verbũ Apostoli, Si quis episcopatum, &c. quod ambitiosi prose allegant. Poterit tamen videri alicui quòd appetitus dominij malus non sit, quum dicat Apostolus 1. ad Timotheum tertio: Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Sed nulla est obiectio ista, si quis verbum Apostoli consideret diligenter. Non enim dicit apostolus, quòd si quis desideret episcopatum, quòd ipse bene faciat, vel quòd desiderium eius bonum sit: sed vult ostendere quid significetur hoc nomine episcopatus, quia nomen Græcum est. Vnde dicit Glossa super illum locum: Exponere voluit Apostolus quid sit episcopatus, quia nomẽ est operis, non honoris. Græcum enim est, & inde dictum vocabulum, quia ille qui præficitur, superintendit curam eorum gerẽs. Scopos enim intentio est. Vnde episcopus Græcè, superintendens Latine dicitur: vt intelligat se non esse episcopum qui præesse dilexerit, non prodesse. Episcopus enim est super suam & aliorum vitam intentio: nec valet hoc argumentum, Si quis episcopatum, &c. ergo desiderium episcopatus est bonum: sicut non valet, Latro qui vult furari bonam capam, desiderat bonam rem, quia bonam capam: ergo desiderium eius bonum est. Ibi eadem Glossa: Locus superior, sine quo populus regi non potest, & si ita teneatur atque administretur vt decet: tamen indecenter appetitur. Vnde Hieronymus: Otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis: quam sarcinã si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter necessitatem charitatis, sed non deserenda est delectatio veritatis, ne subtrahatur ipsa fatuitas, & opprimatur ista suauitas. Patet ergo quòd non appetendus est locus dignitatis, 1. Corinth. decimotertio: Charitas non est ambitiosa. Quid autem in dignitatibus homines appetant, vtrum lucrum animarum, vel lucrum bursarum, vtrum laborem, vel honorem, satis apparet, si honores & diuitiæ ab officiis ecclesiasticis separentur. Vnde legitur quòd mortuo Sixto papa, diu vacauit papatus, nec inuentus est, qui subiret illud onus: quoniam non habebat ecclesia diuitias, vel pompam secularem. His adiunctis tempore Syluestri illico ambitio nascebatur, & latè peruagabatur.

De appetitu magisterij. CAP. VII.

Dictum est de appetitu dominij, consequenter dicendum est, de appetitu magisterij, de quo hoc ordine dicemus. Primo ostendemus ex quibus causis appetitus magisterij possit esse culpabilis. Secundo ostendemus de magisterio curiosorũ, quantæ sit vexationis & afflictionis. Tertio ostẽdemus quanti meriti sit ministerium magisterij, quod habent viri quos regit timor & charitas Dei. ¶ Primum igitur notandum est, quòd appetitus magisterij culpabilis potest esse quinque de causis. Primo propter ignorantiã, quando scilicet aliquis præsumit docere, quod non addidicit. Vnde Iac. 3. Nolite plures magistri fieri fratres mei. Glos. nisi tantum discreti & in scripturis docti. & Prouerb. 18. Qui prius respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum. Vnde Sallustius: Postquam honores adepti sunt, tunc primum acta & præcepta maiorum legere incipiunt præposteri homines. Eccles. 32. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Vnde Hierony. Cæteri qui variam supellectilem & vilia opuscula fabricant, sine doctore esse non possunt quod cupiunt: quod medicorum est, promittunt medici, & tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicãt. Et subditur: Hanc vniuersi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. & Gregorius: Turpe est tunc solutionem quærere, quum debemus quæstionem enodare. Socrates cuidam interroganti, Quomodo posset optimè discere, ait: Si nihil dixeris, nisi dixeris, quod bene scieris. ¶ Secundo potest esse appetitus magisterij culpabilis propter inhonestam vitam. Indignum enim est cælestem doctrinam esse in vase immundo. Vnde Dauid: Peccatori autẽ dixit Deus, Quare tu, &c. Prouerb. Quomodo si argento sordido ornare velis vas fictile: sic tumentia labia cum pessimo corde sociata. Dignus irrisione esset qui argento vas fictile ornare vellet, si cum vellet ornare lutum, sordidaret argentũ: sic irrisione dignus est, qui cùm malus sit, tamen ad superbiã & vanam gloriam bona verba dicit. Docens quodam modo obligat se ex doctrina sua ad bene faciendum. Vnde super illud Iob 39. Aut circundabis collo eius hinnitũ. dicit Gregorius: Collo equi hinnitus circũdatur: quia ne ad peruersa opera prodeat, suis vocibus vita prædicantis obsidetur. Et super illud Prouerbiorum 3. Circunda eas gutturi tuo. dicit Glos. Virtutes docet circundari gutturi, quum vox potius in gutture fieri soleat: quia scilicet prædicationis vox de interius manat, sed exterius circundat: nam quo aliquos ad bene operandum & viuendum excitat, eo ad bene agendum opera prædicationis seipsum ligat. Vnde Gregorius: Qui verbum Dei loquitur, prius studeat qualiter viuat, & post ex actu colligat quæ & qualiter dicat. Et Ecclesiast. 29. Quę

in manu habes, ciba cæteros. Ea in manu habemus, quæ opere implemus, & talia debemus prædicare aliis. & Eccles. 29. Confirma verbum, & fideliter age cum illo, & in omni tempore inuenies quod necessarium est. Bona operatio est verbi confirmatio: mala verò operatio, infirmatio est verbi. Fideliter agit cum verbo, qui quod prædicat, credere se ostendit, quia idem opere implet. Qui prædicat delectationem aliquam venenatam esse & toxicatam, & tamen eandem sumit, non videtur credere quod prædicat, nec fideliter agit cum verbo.

¶ *De doctrina bona, & vita mala.*

ET notandum quòd habere doctrinam bonam & vitam malam, ipsi habenti valde est verecundum & erubescentia plenum, & Deo displicet, & ecclesiæ multum nocet. ¶ Primum multipliciter potest ostendi. ¶ Primo ex hoc, quòd ille qui bene docet & male viuit, quasi defert lucernam ante se, qua immunditiam suam ostendit. Dauid: Lucerna pedibus meis verbum tuum, &c. Prouerb. 6. Mandatum lucerna est, & lex lux est. Item talis de bello fugit, & tamen ad pugnandum strenuè alios exhortatur. Item literas etiam propriæ damnationis publicat. vnde Apostolus ad Rom. 1. In quo alium iudicas, teipsum condemnas. Item in libro Prosperi: Bene loqui, & male viuere, nihil aliud est, quàm seipsum sua voce damnare. Talis sibiipsi contradicit, & seipsum confundit. vnde Hieronymus: Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cum in ecclesia loquaris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hoc, quod dicis, ipse facis? Delicatus magister est qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam etiam latro potest. Sacerdotis Christi mens manúsque concordent. Talis opere destruit, quod verbo ædificat. Eccles. 34. Vnus ædificans & alius destruens, quid prodest illis nisi labor? Talis habet linguam longe maiorem manu, quod sine dubio monstruosum est. vnde Gregor. Monstruosa res est manus remissa, & lingua maniloqua. De tali ironicè solet dici illud Genes. 27. Vox quidem vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau. Quòd hoc autem multum displiceat Deo, potest ostendi ex hoc, quòd dominus maledixit ficulneæ habenti folia sine fructu: vt legitur Matth. 21. Ficulnea enim habens folia sine fructu, est prædicator habens verba sine bonis operibus. Item ostendi potest ex hoc, quòd dominus tot maledictiones faciebat Scribis & Pharisæis, qui habebant folia verborum sine fructu bonorum operum. Quas maledictiones habes Matth. 23. Quòd autem valde noceat hoc ecclesiæ Dei, multipliciter potest ostendi. Primo per hoc, quòd doctrina ecclesiæ in eis non habet talem virtutem, qualem deberet habere. Vnde authoritas: Qui non ardet, non incendit. Gregor. Magis valet ad prædicandum sancti amoris conscientia, quàm exercitati sermonis scientia. Idem. Nulla est dulcedo linguæ, nisi condiatur sapore vitæ. Item Gregor. super Ezechiel. Sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiam remordet. Idem: Illi soli de Deo dulciter loqui voluerunt, qui eum cordis visceribus dilexerunt. Item: Sermo Dei contemptibilis redditur hominibus per vitam malam prædicantium. Vnde Gregorius, Cuius vita despicitur, restat vt eius prædicatio contemnatur. Ipsa etiam veritas suspecta redditur hominibus. Quis enim crederet alicui qui aliquam viam assereret latronibus plenam esse, & neminem posse transire per eam absque spoliatione & iugulatione, si post assertionem illam eandem viam eligere vellet? Idem, Quis non haberet suspectam exhortationem insequendi hostes factam ab eo quem sciret esse ex parte hostium? Propter malam vitam eorum qui habent instruere alios, multa mala euenerunt ecclesiæ Dei. Vnde Thren. 4. Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis, quoniam ingrederetur hostis & inimicus per portas Ierusalem, propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum, effuderunt, inquam, suo malo exemplo. ¶ Tertio, potest esse culpabilis appetitus magisterij propter hoc, quòd appetitur, quod proprium est Dei, scilicet magisterium. Occasionem addiscendi potest dare homo homini, sed propriè non docet nisi Deus. vnde Augustin. Magisteria forinsecus adiutoria quædam sunt & admonitiones: sed cathedram habet in cælo, qui corda docet. Aliud est oculis materiam ministrare quæ videtur, & aliud est visum conferre oculis. Ad doctores forinsecos pertinet materiam ministrare illis qui addiscunt, sed ad interiorem magistrum pertinet, vt ad videndum sensum cordis aperiat: & sicut oculus & res obiecta non sufficiunt, vt visus in actu fiat, nisi oculus illuminetur: sic præter discipulum & forinsecum doctorem, necessarius est sol iustitiæ, à quo intellectus illuminetur. vnde postquam aliquis audiuit à doctore forinseco, ipse antequam acquiescat, consulat magistrum interiorem. ¶ Quòd autem Dei sit propriè magisterium, multis testimoniis scripturæ potest ostendi. De quibus pauca sufficiat ponere. Legitur Matth. 23. Nolite vocari Rabbi: vnus est enim magister vester. vbi dicit Glo. interl. Ne quod Deo debetur, vobis præsumatis attribuere. Gloss. Vnus

est qui illuminat hominem, quod non alius homo: sed tantum exercet docendo, non intellectum præstat. Item gloss. Magister ex consortio veri magistri tanquam eius nuntius, & pro reuerentia ipsius à quo mittitur, honoratur. Item Prouerb. 2. Dominus dat sapientiam, & ex ore eius prudentia & scientia. & Ecc. 1. Omnis sapientia à domino Deo est. & Ioan. 6. Et erunt omnes docibiles Dei. vbi dicit gloss. Testantur prophetiæ, omnes homines illius regni, id est, Christianæ fidei, esse docibiles Dei: & quia si homines foris loquuntur, tamen solus Deus sensus aperit intus. Item Ioan. 14. dicitur de Spiritu sancto, Ille vos docebit omnia. & 16. Docebit vos omnem veritatem. Interlin. Intus sine sono. Sic fit & aliis sanctis. Item 1. Ioan. 2. Non necesse habetis vt aliquis docear vos: sed sicut vnctio eius docet vos de omnibus. glo. Nemo docenti tribuit quod ex ore docens intelligit. Nisi enim intus sit qui doceat, lingua doctoris exterius in vanum laborat: nec tamen doctor taceat, sed quod potest agat. Ad idem ostendendum valet quod dicit Philosophus, quòd studium est expectatio diuinæ illuminationis. Idem: Impossibile est de pellibus capra-rum aut ouium haurire sapientiam. Ideo oratio præmittenda est ab his qui studere volunt. Sapientia enim Dei donum est. Nec debet aliquis tentare rapere eam violentia laboris, vel studii, irrequisito domino. Iac. 1. Si quis indiget sapientia, postulet à Deo. & Augustinus: Oratione melius soluuntur dubia, quàm inquisitione alia. ¶ Quarto, potest esse culpabilis appetitus magisterij, quia homo appetit esse superior illo, quem natura genuit sibi æqualem. Vnde Augustinus: Hominem homini subdi, non natura est hominis bene instituti, sed pœna damnati. Æqualitas multum placet Deo. vnde Dauid: Mirabile templum tuum in æquitate. ¶ Quinto, potest esse culpabilis appetitus magisterij, si propter vanam gloriam appetatur. Sic faciebant Scribæ & Pharisæi. Vnde Matth. 23. Amant primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi.

¶ *De afflictione magisterij curiosorum.*

DICTVM est ex quibus causis possit esse culpabilis appetitus magisterij, nunc dicendum est quantæ afflictionis magisterium curiosorum sit. Quod satis ostendit nobis Salomon Eccles. 1. dicens: Proposui in animo meo quærere & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, vt occupentur in ea. Alia translatio habet, hanc dissensionem pessimam. Studium curiosorum dici potest occup

occupatio mala, peior, & pessima. Mala propter afflictionem tam corporis, quàm animæ, quæ est ibi, & præcipuè ista afflictio vbi parua vel nulla vtilitas est. Vnde Senec. Quid te torques in illa quæstione, quam vtilius est contempsisse, quàm soluere? Idem: Nullius rei difficilis est inuentio, nisi illius cuius inuentæ hic nullus est fructus inuenisse. Peior verò est propter contemptores sapientiæ, & fastidiosos auditores. De contemptu sapientiæ habetur Prouerb. 1. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Ideo despicitur sapientia à stultis, quia ab eis non cognoscitur. Sicut aurum & argentum à brutis animalibus conculcantur, quia ab eis non cognoscuntur. De contemptu etiam sapientiæ dicit Seneca: Ad sapientiam quis accedit, quis dignam iudicat, nisi quam in transitu nouerit? Quis philosophum aut vllum liberale studium respicit, nisi cum aliquis pluuius interueniat dies quem perdere libet? Nihil itaque inuenitur ex his quæ parum inuestigata antiqui reliquerunt. At si hic iuuentus sobria incumberet, hic maiores docerent, minores addiscerent, vix ad fundum veniretur vbi veritas posita est, quam nunc summa & leui manu quærimus. Dicit iterum Seneca: Fastidientis stomachi est multa degustare. Quidam auditores adeo fastidiosi sunt, quòd non possunt sustinere quòd aliquid eis dicatur, quod aliâs audierunt, licet illud nesciant. ¶ De quibus mirum est, quomodo ipsi possunt audire missam de beata Virgine quam toties audierunt. ¶ Pessima verò occupatio est propter multiplex periculum quod ibi est. Difficile enim est, docentes à superbia & vana gloria non seduci. Etiam pedibus apostolorum, id est, affectibus dicitur puluis vanæ gloriæ adhæsisse. De hoc periculo habetur Matth. 4. super illud, Et statuit illum supra pinnaculum templi. Ibi enim dicit Glo. in eo loco Christum tentat, in quo multos deceperat. Et alia Glo. Ibi etant sedes doctorum, vnde populo loquerentur, vbi multos capit vana gloria honore magisterij inflatos. Aliud periculum est infidelitatis in Deum. Frequenter enim magistri Deo infideles sunt in talento sibi commisso. Eodem enim pretio quo ipsi emunt cuprum, quandoque possunt emere aurum. Et eodem labore possunt habere ædificatiua, quo ipsi acquirunt inflatiua. ¶ Tertium periculum est impietatis in proximum. Frequenter enim magistri volunt cauillationibus inutilibus intendere, quàm fratres suos qui ad mortem trahuntur eripere. Sen. Securius est munita conquirere cum hostis instat à tergo, & mouere iussus est semiles, &c. Necessitas excutit quod pax otiosa collegit. Demens meritò viderer, si cum saxa in munimentum, senes fœminæque

congererent, cum iuuentus manu portis armata expectaret, sederem otiosus,& huiusmodi quæstiunculas ponerem: Quòd non perdidisti habes: cornua non perdidisti: ergo cornua habes. Non vacat ad istas ineptias. Ingens negotium in manibus est, mors me sequitur, fugit vita, aduersus hæc me doce.

¶ *De merito bonorum doctorum, & triplici genere hominum.*

SEQVITVR videre quanti meriti sit ministerium bonorum doctorum, quos timor Dei & charitas regit. Ad cuius rei euidentiam notandum est, quòd triplex est genus hominum. Alij enim sunt indocti, alij sunt docti: non tamen adeò vt sufficiant docere alios: tertij verò adeo docti sunt vt docere possint. Primi miseri sunt in vita ista. Quodammodo enim brutis inferiores sunt. Vnde Boëtius in lib. Consolat. Humanæ naturæ ista conditio est, vt tunc tantum cæteris rebus excellat, cum se agnoscat: eadem tamen infra bestias redigitur, cum se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare naturæ est, homini verò non conuenit. Ad idem facit quod legitur Canticor. 1. Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum. Sponsa si se ignorat, post greges vadit: quia quodammodo iumentis miserior sit. Miseriores autem sunt indocti, quando moriuntur. Prouerb. 10. Qui indocti sunt in cordis egestate morientur. De merito verò eorum qui docti sunt, legitur Daniel. 3. Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Sicut enim stellæ valde splendidiores sunt, quàm firmamentum: sic maior est gloria docentium alios, quàm eorum qui non docent. Præcipuè tamen vtile est docere eos qui alios possunt docere. Vno seruo pigro & nequam obiicitur Matth. 25. quòd oportuit pecuniam domini sui committere numulariis: vbi dicit glossa Numularij sunt, qui prædicationem auditam volunt verbis & opere exercere. Et quòd valde vtile sit docere tales, quàm docere alios homines, si bene & fideliter doceantur, manifestum potest esse ex hoc, quòd maior vtilitas potest sequi ex eruditione vnius talium, quàm ex eruditione mille aliorum.

De appetitu simplicis excessus. CAP. VIII.

DIctum est de appetitu dominij, & de appetitu magisterij. Nunc dicendum est de appetitu simplicis excessus. Hoc vitio laborant illi qui volunt excedere alios in diuitiis, vel pulchritudine, vel in aliquo alio bono, nec vellent aliquem sibi æquari. Ad hoc vitium videtur pertinere illud quod legitur Luc. 22. Facta est contentio inter eos quis eorum videretur esse maior. ¶ Ad detestationem verò huius vitij, Primò, videtur facere hoc, quòd hoc vitium peccatum est malitiæ. malitiam enim hic intelligimus affectionem alieni mali. Qui enim vult excedere alios, per consequens non vult excedi ab aliis, & sic vult malum aliorum. Vult enim aliorum paruitatem, quia quodammodo facit ad hoc vt sua magnitudo vel sic appareat. Secundo potest valere ad detestationem huius vitij hoc, quòd ipsum reddit animum valde mutabilem. Quando enim ille qui laborat hoc vitio, respicit aliquem quem ipse excedit, ipse inaniter lætatur: quando vero aliquem à quo exceditur, tristatur, & sic modo tumet, modo dolet, modo inflatur, modo tristatur. Hanc mutabilitatem insinuat nobis Senec. dicens: Magnitudo certum modum non habet: comparatio autem tollit eam aut deprimit. Nauis quæ in flumine magna est, in mari paruula est. ¶ Tertium vitium est quasi quædam fames insatiabilis. Nunquam enim impletur desiderium eius qui omnes alios vult excedere: quia si excedit vnum, exceditur ab alio. Præterea si excedit aliquem in aliqua gratia, exceditur ab eodem in alia gratia. Præterea excessus quem ipse appetit, ad malum suum est. Sicut enim abundantia humoris in aliquo membro apostema solet generare: sic excessus in hominibus apostema generat superbiæ. Et sicut fatuus esset, qui vellet vnum oculum alium excedere, cum secundum naturam debeant æquales esse: Sic fatuus est, qui desiderat vt ipse alios excedat. Profectum proprium potest quis desiderare, sed etiam debet ei placere profectus aliorum, quo ei æquentur. Debent omnes filij Dei velut fratres amare æqualitatem & similitudinem. Vnde legitur de ipso filio Dei, ad Hebr. 2. quòd debuit fratribus per omnia assimilari. & Ecclesiast. 32. Rectorem posuerunt: noli extolli, esto in eis quasi vnus ex ipsis.

De speciebus superbiæ exterioris. Et primò de superbia in corpore.

CAPVT IX.

DIctum est de superbia interiori, consequenter dicendum est de superbia exteriori. Vocatur autem superbia exterior aliquid extrinsecus, quòd à superbia interiore procedit, & eam ostendit. Et potest distingui ista superbia secundum diuersitatem rerum, in quibus superbia hominum potest apparere. Potest autem apparere superbia hominum vel in ipso corpore, vel in lectis, vel in equis, vel ornatu, vel amplitudine familiæ, in conuiuiis, in ædificiis, in deauratis libris, & in cantu. Et primo prosequamur de superbia illa quæ in ipso corpore apparet. Quæ potest distingui secundum diuersitatem membrorum quæ sunt in corpore: scili-

cet oris,oculorum,narium, colli,& sic de cæteris mẽbris. Ad superbiã oris pertinet illud Psal. Disperdat dominus vniuersa labia dolosa. Et illud Pro.14. In ore stulti virga superbiæ. Stultus enim verbis superbis quasi quadam virga homines cedit. De superbia narium, Esa.2. Quiescit ab homine cuius spiritus est in naribus eius. De superbia oculorum Eccle.23. Extollentiam oculorum ne dederis mihi. Et Prou.6. Oculos sublimes detestatur dominus. Et Psalm. Neque elati sunt oculi mei. De superbia colli vel cernicis, Iob 15. Currit aduersus Deum erecto collo. Et Psalm. Dominus iustus concidet ceruices. De superbia aliorum membrorum, Esa.3. Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extenso, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant,& ambulant pedibus suis, & composito gradu incedebant,decalua-bit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus ceruicem earum nudabit. Contra Ezech.1. Pedes eorum pedes recti, &c. Et loquitur de quatuor animalibus, quatuor Euangelistas præfigurantibus. Doctores enim veteris legis habuerunt pedes seruorum,dum pro terrenis Deo seruiebant. Sed doctores nouæ legis habent pedes rectos, qui cælestia promittunt. Vnde, beati pauperes spiritu. Item, agite pœniteniam, &c. Vnde de eis dicitur Esa.52. Quàm specioſi pedes euangelizantis pacem, annuntiantis bona. In veteri lege annuntiantur verba bona, scilicet æterna. Similiter doctores nouæ legis pedes habent rectos. Cantic.7. Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamẽtis. Ecclesia filia principis, id est, cælestis regis, cuius ancilla fuit synagoga. Ecclesia etiam recipit spiritum adoptionis filiorum, synagoga verò spiritum seruitutis. In calceamentis autem sunt pulchri gressus ecclesiæ, quia calceati sunt exemplo Christi & Apostolorũ. Nota quòd sponsus ecclesiæ volens totam ecclesiam pulchram esse, lauit pedes eius, & de quorum inquinatione præcipuè timebat. Vnde diligenter debet pedes, id est, affectus custodire. Canticor.5. Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Non debet iam ecclesiã vel fidelis anima pedes suos ponere, nisi vbi sunt florida & viridia. Florida sunt merita. In floridis enim est spes fructus. Viridia sunt æterna præmia. In virore enim intelligitur æternitas. Vnde pedes sanctorum suorum seruat: pedes enim custodiendi sunt ne calore adurantur,quod malo exemplo frequenter accidit & ideo discalceãdi sunt. Exod.3. Solue calceamẽta de pedibus,&c. Qui tempore negligentiæ frigescunt, exemplis sanctorum calceandi sunt. Exo.12. Calceamenta in pedibus habebitis. Qui agnũ paschalem comedit, Dominicã imitatur passionẽ, ad quod multum

tum valent exempla sanctorum. Si pedes collisi sunt per iram vel odiũ ad proximum,tunc butyro diuinæ misericordiæ sunt vngẽdi & cõsiderationis misericordiæ quã nobis Deus exhibuit,& est exhibiturus si misericordiam proximo impendamus. Iob 29. Lauabam pedes meos butyro,& petra fundebat mihi riuos olei. Hec petra Christus est, qui riuos misericordiæ multiplicis nobis fundit. Si luto voluptatis inquinati sunt pedes,lauandi sunt aqua lachrymarum vel tribulationis pœnitentialis. Io.13. Vos debetis alter alterius pedes lauare. Si pedes aspersi fuerint puluere inanis glorię,excutiẽdi sunt. Matt.10. Excutite puluerẽ de pedibus. Legitur etiã de Iacob Genc.49. quòd collegit pedes suos super lectulũ.

De superbia ornatus, & his quibus vti possumus contra eam.

CAPVT X.

CVm ornatus possit esse diuersarum rerum decor, vt hominũ vel locorum,& multorum aliorũ: Primò ponemus, ea quibus possumus vti contra superbiam ornatus humani,& virorum, & mulierum. Contra hanc superbiam primò possumus vti verbis sanctorum & sapientum. De quibus pauca ponere sufficiat. Eccles.11. In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris. Et 1.Tim.2. Volo mulieres orare in habitu ornato,cum verecundia, & sobrietate ornantes se,non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veste pretiosa, sed quod decet mulieres promittẽtes pietatem per opera bona. Habitum ornatum,in quo vult Apostolus mulieres orare,vocat gl. religionem earum ornãtem eas. Vult etiam eas ornatas esse aliis virtutibus,cum verecũdia vultus,vt nõ sint attritę frontis vt meretrices. Vult eas esse sobriæ mentis. Vult etiam eas esse ornatas non in crinibus tortis, id est crispis,&c. Vel non ornantes se auro,&c. scilicet vt semper hæc crinibus intorqueantur. Item 1.Petr.3. Mulieres subditæ sint viris suis. Et subditur: Quarum tamen non sit exterius capillatura,aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est, homo cordis in corruptibilitate modesti & quieti spiritus. Super quem locum talis glo. habetur, sicut Cyprianus ait: Serico & purpura indutæ Christum induere nõ possunt. Auro & margaritis & monilibus adornare,ornamenta cordis & pectoris crediderunt. Quod de illis indubitanter verum est,quæ ad capiendas animas ornant se. Et subditur in glos. quòd si Petrus etiam mulieres admonet coërcendas, & ad ecclesiasticam disciplinam religiosa obseruatione moderandas, quæ excusare possunt cultus suos per maritos: quanto magis id obseruare fas est virginem, cui nulla ornatus sui competat venia? Item 1.ad

Timot.

Timot. 6. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus. Contenti debemus esse tegumento, non querere ornamentum. Item Apoc. 18. Væ væ ciuitas illa magna, quæ amicta erat purpura, & byssо, & cocco, & deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis? quoniam vna hora destitutæ sunt tantæ diuitiæ. Item Augustinus: Tibi vestis purpurea circundetur non ad pulchritudinem, sed propter necessarium tegumentum, ne dum exquisitis vestieris, alteram turpitudinem assumas. Ideo dicitur, Vestis purpurea, &c. quia sordes potest homo in vestimentis vitare. Vnde dicitur de Augustin. Vestimenta eius & calceamenta nec nitida nimium, nec abiecta plurimum. Hieron. Ornatus & sordes pari modo fugienda sunt: quia alterum delicias, alterum gloriam redolet. Sen. Non splendeat tota, nec sordeat quidem. Hieron. Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt. Si tamen vestē sordidam pro Christi amore quandoque oporteat ferre, non est curandum, cùm propheta viderit Iesum sacerdotem magnum indutum sordidis vestimentis. Et cum dominus immunditiam corporalem non reputet immunditiam, Matt. 15. Non quod intrat in os coinquinat hominem. Et iterum: Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Et in veritate immunditia corporis vera immunditia esse non videtur: consputum quasi mundum iudicatur, dum est in ore: quàm citò est extra, immundum iudicatur. Sen. Argumentum bonæ voluntatis grabatus & pannus, vbi apparuerit aliquem non necessitate hoc pati, sed velle. Idem: Nemo nascitur dives: quisquis exit in lucem, visus est lacte & panno esse contentus.

De exemplis quæ dissuadent ornatum superbum, & humilem suadent.

CAPVT II.

SEcundo possumus vti contra superbiam ornatus exemplis. Multa autem sunt quæ exemplo suo dissuadent nobis superbum ornatum, & suadent humilem habitum. Primo suadet nobis hoc ipse Deus. Et hoc dupliciter. ¶ Primo in plasmatione hominis. Voluit enim Deus pretiosum spiritum vili sacco carnis abscōdere. Nec est verisimile quòd voluerit corpus quod vile est, pretiosum tegumentum habere, quòd pretioso spiritui vile tegumentum voluit dare. ¶ Secūdo in hoc quòd parētibus nostris post peccatum tunicas pelliceas fecit, vt legitur Gen. 3. Ad idem etiam monemur diuersis exemplis hominum. De quibus licet sint multa, pauca ponere sufficiat. vnde Augu. de ipso dicit: Fateor, de pretiosa veste erubesco. Esther 14. Domine, tu scis quòd abominer signum superbiæ & gloriæ, quod est super caput meum in diebus

diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentij mei. Meritò abominabatur Esther signum superbiæ, quia signum est diabolicæ subiectionis. Diabolus enim est rex super omnes filios superbiæ: vt dicitur Iob 41. Et sic dicit Gregorius: Euidentissimum signum reproborum est superbia, humilitas electorum. Sicut ergo aliqua nobilis persona merito dedignaretur, si vilis persona signum seruitutis poneret in capite eius, & sic duceret eam per ciuitatem: Sic regina Esther, quæ cor nobile habebat, abominabatur signum superbiæ quod in capite suo erat. Notanter dicit quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ: ornatum enim suum non ferebat, nisi quando regi marito suo se ostendebat. In quo mulieres nostri temporis multum sunt ei dissimiles, quæ cum sunt cum maritis, non curant de ornatu: quando verò in publico volūt procedere, volunt esse ornatæ, & tamen dicunt quòd ornant se propter maritos suos. Detestabatur etiam Esther ornatum capitis sui, quasi pannum menstrui. Et merito: melius enim esset ferre peplum sanguine alicuius animalis cruentatum, quàm ad vanam gloriam, vel superbiam croceatum, excepto scandalo. Vitta enim ad vanam gloriam crocea ta, peccati sanguine quodammodo intincta est, qui sanguis deterior est quocunque sanguine animalis. Item Iob 15. Saccum consui super cutem meam. Talis deberet esse vestis ad minus pœnitentium. Vnde Ionæ 3. Vestiti sunt Niniuitæ saccis à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum vsque ad regem Niniue. Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco. Item Matthæi 3. Ipse Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Antiqui etiam tegebantur vel sacco vel cilicio. Maria etiam Ægyptiaca nuda in nemore latitabat. Si obiiciatur de pellibus tabernaculi rubricatis & hyacynthinis: ad hoc respondet Hieronymus sic: Olim ista approbabantur, quando sanguis pecudis remissio fuit peccatorum. Nunc autem pauper dominus suam paupertatem & simplicitatem in ecclesia consecrauit. Et subdit: Si hoc iudaizando reuocas in templo, reuocemus cruorem immolatorum. Ad idem etiam monemur exemplo mercatorum, qui quando torsellum est de panno pretioso, faciunt ipsi cooperturam de burello. Quis fatuū non iudicet illum, qui velit torsello pretiosam facere cooperturam? Ad idem etiam monemur exēplo ipsius Sapientiæ, quæ in personis contēptibilibus sæpe se abscondit. Vnde Sapiens: Sæpe enim sub pallio sordido latet sapientia. Vade, & tu fac similiter,

vt

vt sub humili habitu abscondas te. Ad hoc etiam monet nos ipsa natura, quæ sub terræ vilitate aurum & alia pretiosa abscondit, & sub vilitate corticis dulcedinem nuclei habet.

De duodecim stultitijs se ornantium. CAP. XII.

TErtio valet contra superbiam ornatus, si ostendantur multiplices stultitiæ ornantium se. ¶ Prima est, quòd exteriora sua vilia interioribus, quæ pretiosa sunt, præponunt: vnde quasi paraturam pomi ipsi pomo præeligunt. Quando vnum pomum datur duobus, & alter parat, nónne stultus esset si paraturam detineret, alij verò daret totum? Item si paraturam daret socio, & sibi retineret totum residuum, fatuus esset qui portionem acceptaret. Sed portionem à diabolo factam isti similem multi acceptant. Ornatum enim exteriorem, qui paraturæ pomi similis est, quæ quodammodo est depicta (habet enim candorem & ruborem) multi præponunt animæ suæ: & sic quasi vilem cooperturam pretioso torsello præponunt. Diabolus enim non curat nisi de torsellis: id est, de animabus. Genes. 14. dicit rex Sodomorum, qui figurã tenet diaboli, ad Abraham: Da mihi animas, cætera tolle tibi. Istam stultitiam superbiæ innuit glo. super illud Ioannis sexto: Eum, qui venit ad me, non eiiciam foras. Superbi est foras eiici, qui nihil habet in interiori bono, nec hic, nec in futuro. ¶ Secunda est, quod ipsi ordinem Dei peruertunt in seipsis. Volunt enim quòd ancilla habeat ea quæ domine sunt, & econtrario. Carnem enim quæ ancilla est, ornant, & deliciis pascunt, & oportet, vt fiat quod ab ea imperatur, licet mors animæ inde debeat sequi. Econtrario anima quæ domina fame & siti affligitur, & male induta est, & ad præceptum carnis operatur: quod est valde magna peruersitas. vnde Bern. Dominam ancillari, & ancillam dominari, magna abusio & nimis magna est. Si quis assereret se fuisse in terra aliqua, in qua dominæ omnino se haberent vt ancillæ, quum diceret, vix crederetur sibi. Sed in veritate terra illa patria ista est. In ea enim ferè per totum annum sit festum ancillarum, quod alicubi consuetum est fieri in festo beati Vincentij. Tunc enim accipiunt ancillæ vestes dominarum suarum. Ista peruersitas similis est illi, quam ponit Salomon Eccle. 10. seruos in equis, & principes quasi seruos ambulantes super terram. & peruersitas ista est valde magna & nociua ecclesiæ Dei. Vnde Prouerb. 30 Per tria mouetur terra, & quartum quod sustinere non potest, per seruum cum regere cœperit. ¶ Tertia, quòd ipsi valde carè emunt quod nihil valere sciunt scilicet vanam gloriam, quæ non valet eis, nec quo ad animas, quum animabus sit valde nociua, nec quo ad corpora. Ioan. 8. Si glorifico meipsum, gloria mea nihil est: nihil, inquam, in valore. ¶ Quarta est, quòd ipsi plus expendunt vt pascant oculos aliorum, quàm vt pascant ventrem suum. Seneca: Non sunt homines ad pompam dentibus, & ore, & ventre contenti, oculis quoque gulosi sunt. Si quis eat per aliquam ciuitatem, plures artifices inueniet operantes, vt pascant oculos, quàm qui pascant ventrem. Vnde dixit quidam, mundum esse animal mirabile, qui maiores habet oculos, quàm ventrem. Potius volunt homines bona sua perdere, & diuitibus hominibus quasi per oculos ponere, quàm os Dei in pauperibus famelicum pascere. Vnde Bern. Inueniunt curiosi quo delectentur, & non inueniunt miseri quo sustententur: cum periculo animæ suæ acquirunt, vnde oculos hominum delectant. Mira fatuitas est, quum videns in pulchritudine rei visæ habeat delectari naturaliter potius quàm res visa, eò quòd videtur melius pertinere ad inspicientes pulchritudinem eorum quæ inspiciunt prouidere, quàm ad eos qui inspiciuntur. Debet ergo homo pulchritudinem exteriorem negligere: procuret autem eam, si voluerit, qui habet eam inspicere. ¶ Quinta stultitia ornantium se est, quòd ipsi similes sunt illi, qui ex decore sellæ & fræni equum æstimat, vnde Sen. Quemadmodum stultus est qui equum empturus non ipsum aspicit, sed stratum & frænos: sic stultissimus est qui hominem ex veste circundata æstimat. Idem: Cum voles æstimationem in re scire qualis sit, nudam inspice. Et sicut quidam ait: Ex auro frænum non meliorat equum. ¶ Sexta est, quòd omnia sua volunt habere pulchra, & se turpes, vnde Augustin. Ecce omnia pulchra sunt cum iniquis, & ipsi sunt turpes. Ita accidit peccatoribus ornantibus se extrinsecus, sicut accidit cuidam regi qui conuocatis magnatibus terræ suæ, fecit conuiuium magnum, & non erat locus in domo qui non esset opertus purpura, & aliis pretiosis. Et affuit quidam philosophus, qui volens spuere, spuit in faciem regis. Et cum ministri propter hoc vellent eum suspendere, non permisit rex: sed quæsiuit ab eo quare hoc fecisset. Qui ait: Vidi alia loca plena argento & auro, gemmis, & purpura, & ideo in barbam regis quæ incrassata est ciborum pinguedine, quam immundam vidi, expui. Non enim vidi locum minus mundum. Et compunctus est rex. Sic diabolus videns hominem qui deberet esse dominus aliarum creaturarum, minus pulchrum cæteris creaturis, in faciem eius spuit, vel eum contemnendo vel ani-

mam eius maculando. Quòd figuratum est ex spuitione facta in faciem domini. Et in illa quæ fiebat ei, qui nolebat suscitare semen fratris defuncti, Deuteronom.25. Frater hominis defuncti sine semine, diabolus est, qui sine spe damnatus est. Cui homo debet suscitare semen: quia ex hominibus angelica ruina est reparanda. Erubescat ergo homo videns se malum & turpem inter suas res bonas & pulchras: sicut dominæ habentes ancillas pulchras, cum ipsæ sint turpes, erubescunt. vnde Augustin. Nónne vides debere erubescere te de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, & te habet malum? ¶Septima est, quòd eum morte damnati sint, & iam ducuntur ad illam, potius tamen cogitant de ornatu, quàm quomodo liberent animas suas. Senec. Omnes capitis supplicio condemnati sumus, & incessanter ad mortem tendimus. vnde Augusti. Nihil aliud est tempus præsentis vitæ, quàm cursus ad mortem, in quo nemo vel paululum vel tardius ire permittitur, sed pari motu omnes vrgentur. Vnde cum ornatus superborum, sit ornatus hominum mortui adiudicatorum, potius est illusio, quàm honor. Sicut purpuratio Christi postquam adiudicatus fuerat morti, illusio fuit. vnde Bernardus: Omnis purpura illusio est, postquam domino Iesu in purpura illusum fuit. ¶Octaua est, quia inde gloriantur, vnde deberent erubescere. ¶Triplici ratione potest ostendi, quòd homo de veste debet erubescere. ¶Primo, quia vestis signum est peccati parentum nostrorum. vnde Bernardus: Qui gloriatur de veste, similis est furi glorianti de cauterio: quia propter peccatum Adæ introductus est vsus vestium. Quis latrocinem non irrideat, si videat eum gloriari de signo sibi ta?o pro latrocinio suo, quod in fronte portat? ¶Secundo, quia vestis remedium est turpitudinis erubescentiæ, quam per peccatum cõtraximus. Ante peccatum sufficiebat homini pulchritudo sua nec habebat aliquam causam erubescentiæ, vnde non oportebat quòd absconderet se sub veste. Sicut sol veste non egens sufficit enim sibi pulchritudo suæ lucis pro vestimento. Similiter rosa non eget ornatu: sufficit enim sibi pulchritudo coloris ad vestiendum, & sic de cæteris floribus. Matth.6. Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis quoniam Salomon in omni gloria sua coopertus non est sicut vnum ex istis. Sed si per peccatum incurrit homo turpitudinem & erubescentiam, necessarium est vestimentum, quod est remedium turpitudinis & erubescentiæ. Sicut ergo ad gloriam loripedis non cedit, quòd habet pedem lig-

ligneum, quum sit remedium infirmitatis: nec ad gloriam scabiosi, quòd scabiem velat: sic nec ad gloriam hominis ornatus, etsi alicui videatur. Vnde Augustin. Qui superbit ex abundantia temporalium, est tanquam ægrotus qui superbit ex superabundantia medicamentorum vel emplastrorum. Quis non irrideat aliquem, si videat eum depingere domum, quæ minatur ruinam? Domus talis est corpus hominis. Vix enim staret per quinque dies, nisi cibis & potibus fulciretur. Vnde irridendi sunt qui variis ornatibus illud depingunt. A simili possumus dicere, quòd ille qui superbit ex pulchritudine vestium, est tanquam ægrotus, qui superbit ex pulchritudine emplastrorum. Et sicut ridiculum esset, si loripes pedem ligneum depingeret, vel deauraret: sic ridiculum est, cum homines se ornant. ¶Tertio ostenditur per hoc, quòd ornantes se mendicant pulchritudinem suam à creaturis vilioribus quàm ipsi sunt. Nobilis homo erubesceret à vilibus hominibus mendicare, & potius indigentiam sustineret, quàm mendicaret ab eis: sic debet homo erubescere à vermibus, & muribus suum mendicare decorem. Vnde frater Guido Carthusiens. Quomodo non gloriabitur de pulchritudine, qui gloriatur de turpitudine? Vestes te ornant, pulchritudo esset si tu eas ornares. ¶Nona stultitia est, quòd ipsi credunt se bene indutos & ornatos, cum equus eorum, scilicet corpus, bene ornatus est, cum tamen omnino nudi sint. Vnde Apocalyp.16. Beatus qui custodit vestimenta sua ne nudus ambulet, & videant homines turpitudinem eius. Et Ezechie.18. Denudabunt te vestimentis suis. Et ibidem: Dimittant te nudam, & ignominia plenam. Ipsi sunt similes cuidam clerico, qui in festo stultorum induit equum suum scarleto, & ipse indutus erat ma:ta vna. ¶Decima stultitia est, quòd ipsi turpitudinem suam detegunt, quando tegere debuerunt: quia qui vident superbum ornatum eorum, malè suspicantur de eis. Vnde super illud 1.Timo.2. Non in tortis crinibus. dicit glo. Superbus habitus non resta facit de se credi. Et Eccleiast.19. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. Si nux relinquat corticem exteriorem ante tempus, signum est interioris corruptionis. Sic si Christianus non habet exterius habitum, quem Christiana religio requirit, signum est quòd vermis alicuius peccati intus lateat: magis erubescibilis culpa est, quàm nuditas hominis, quum nuditas hominis à culpa habeat quod est erubescendum. Vnde magis erubescere deberent illi, quorum peccata apparent hominibus, quàm si ipsi nudi hominibus

appararent. Illi ornantes se dum volunt vitare turpitudinem corporis, turpitudinem assumunt mentis, & dum se ornare volunt, inquinant se ad minus quo ad vitia superbiæ, quæ inquinant omnia bona quæ sunt in homine. Vnde illud, Si tibi gratia, si sapientia formáque detur: Inquinat omnia sola superbia si comitetur. ¶Vndecima stultitia est, quòd mulieres volunt videri fatuæ, licet nolint esse, & potius volunt similari statuis, quàm matronis. Si equus venalis non est, quare signa venalitatis portat in fronte? Quare circulus est ante domum, si ibi non est vinum venale? Quis Dei quare vult habere signum quis diaboli? Nunquid non meritò dicet ei pastor ecclesiæ, Non noui te, & rapietur à lupo infernali. Signo crucis debent esse signati omnes fideles, id est, signo pœnitentiæ. Vnde Apostolus ad Galatas 6. Stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Præcipuè enim deberent habere in capite signa pœnitentiæ & humilitatis. Et ideo illis, qui baptizantur vel confirmantur, imprimitur signum crucis in fronte. In capite enim ieiunij asperguntur cinere capita fidelium. De signatione ista legitur Apocal. 7. Nolite nocere terræ & mari, quousque signemus seruos Dei in frontibus eorum. Et Ezech. 9. Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem, & signa thau super frontes virorum gementium. Thau figura fuit crucis. Crux enim tria brachia habuit ad figuram thau, postea addita est quædam tabula à parte superiori ad scribendum titulum. Crucem ergo quæ per thau intelligitur, vult dominus figi in frontibus fidelium: sed mulieres abiecto signo domini, posuerunt signum diaboli in frontibus suis. Vnde Psal. Posuerunt signa sua. Et Apoc. 17. Mulier circundata est purpura, & coccino, & inaurata auro & lapide pretioso. Et subditur: Et in fronte eius nomen scriptum, Mysterium. Vnde timendũ est eis illud quod legitur Ezech. 9. de non habentibus thau: Percutite, & non parcat oculus vester, neque misereamini. Et subditur: Omnem, super quem videritis thau, ne occidatis, & à sanctuario meo incipite. ¶Duodecima stultitia ornantium se est, quòd ipsi habent charam pulchritudinem corporis, quæ adeò parua est, vt pellibus murium & stercoribus vermium adiuuetur. Decorem autem animæ qui similis est diuino, sic vilipendunt, quòd etiam non reputant, cum demones eis aures & nasum præcidunt: iuxta illud Ezech. 23. Nasum tuum & aures tuas præcident, &c. Quod non fit sine magna cõtumelia Dei, cum homo potius velit esse similis in decore muribus, quàm Deo. Pulchritudinem etiam sotularium suorum bene custodiunt homines, singulis diebus eos tergendo: de pulchritudine

dine autem animæ (quæ Dei imago est) vix semel in anno cogitant, imò quòd plus est, peccatorum facies quæ sunt facies dæmonum superinduunt. Psal. Facies peccatorum sumitis. Non attendentes illud Eccles. 4. Non accipies faciem aduersus faciem tuam. Nec offenditur parum Deus in hoc contemptu imaginis suæ. Vnde super illud Psalm. In ciuitate tua imaginem ipsorum, &c. dicit gloss. Merito imaginem ipsorum ad nihilum rediget Deus in cælesti ciuitate: quia ipsi in sua terrestri ciuitate imaginem ipsius ad nihilum redegerunt.

De aliis quæ deberent homines cohibere ab amore superbi ornatus.

CAPVT XIII.

PRæter ista sunt alia multa quæ deberent homines cohibere ab amore superbi ornatus. ¶Primum est Dei ordinatio, quæ vult vt in præsenti tempore intendatur reformationi animarum: & ad hoc specialiter fuit primus aduentus filij Dei in mundum. In futuro vero vult vt fiat reformatio corporum, & ad hoc erit secundus aduentus. Tunc enim resurgent corpora sanctorum, & gloriam suam habebunt, qui hic sine gloria fuerunt. Vnde Bernard. Noli, ô corpus, præripere tempora. Potes enim impedire animæ tuæ, salutem suam operari non potes. Omnia tempus habent: patere vt nunc anima pro se laboret: magis autem collabora ei, quia & si compateris, & conregnabis. ¶Secundum est, quòd ornatus iste tunc deficiet, quando magis esset necessarius, quando scilicet anima venire debebit ad illam magnam curiam, in quâ congregata erunt quæ in terra, & quæ sub terra, & quæ in cælo sunt. Vnde Esa. 3. Decaluabit dominus verticem filiarum Sion. Et ibidem: In illâ die auferet dominus ornatum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoria, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & vittas, & theristra, &c. Armillas vocat gloss. ornamenta brachiorum. Periscelidas vocat ornamenta talorum similia armillis. Murenulæ sunt catenæ circa collum. Olfactoria vocat illa, in quibus continebant muscum, & similia. Theristra vocat vestes æstiuales valde subtiles, visui pervias, quæ dicuntur à theron, quod est æstas. Tunc enim mulieres quæ se alienis plumis quasi cornix pulchras faciebant, amittent plumas, & turpissimæ apparebunt: & non solùm deficiet gloria ornatus tunc, sed etiam mutabitur in ignominiam, & quæ plus habuit de gloria, plus habebit de ignominia. Ose. 4. Gloriam

eorum in ignominiam commutabo. & Esa. 3. Et erit pro suauis odore fœtor, & pro zona funiculus, pro crispanti crine caluitiũ, & pro fascia pectorali cilicium. Tertiũ est hoc, q̃ corpora quæ hic fuerunt superbè ornata, à domino tunc nõ ornabuntur. Vnde Bernard. Nunc eant, nunc rideant qui corpora suã pellibus murium & stercoribus vermium informant: quia cum dominus ad iudicandum venerit, non reformabit nisi quod abiectionis & humilitatis inuenerit. Vnde Apost. ad Philip. 3. Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. Super quod verbum dicit Bern. Requiesce in hac spe misera caro: qui propter animam venit, propter te quoque venturus est: qui reformauit illam, tui quoque non obliuiscetur. ¶ Quartum est, magnus contẽptus æternæ gloriæ in eis qui se ornant. Multũ enim contẽnunt æternã gloriã, qui ei præponũt gloriam & laudẽ hominum. Charius enim habẽt vt pulchri dicãtur, quàm q̃ regnum æternum consequantur. Nec etiã laudem semper habent, quam habere intendũt. In arca enim nõ serata thesaurũ suũ faciunt, & ideo leuiter illũ amittunt. Vnde Bernard. Insipiens tu, qui congregas merces in saccũ pertusum, qui thesaurum tuum in alieno ore constituis, ignoras, quòd arca ista non clauditur, nec seras habet. ¶ Quintum est, ingratitudo magna quæ est in eis qui superbè se ornant. Valde enim ingrati sunt, qui Deũ inhonorant in hoc, in quo ipse, voluit eos præ cæteris creaturis honorare. In hoc specialiter Deus honorauit præ cæteris hominem, q̃ eum ad imaginem & similitudinem suam creauit. vnde multũ ingratus est ei qui in imagine sua contumeliam facit. Quis enim non timeat irreuerentiam aliquam facere imagini beatæ Virginis, vel imagini Christi hominis, scilicet Crucifixo? Quomodo ergo non timent homines imaginem beatæ Trinitatis irreuerenter seruare? illi, qui se ornant exterius, similes sunt sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt omni spurcitia & ossibus mortuorum. Corpus enim peccatoris animæ mortuæ est sepulchrum: vt dicit Aug. vnde dominus Matthæi 23. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus pretiosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia. Ad quod potest induci quoddam exemplum: Barlaam rex quidam magnus habuit in itinere duos viros obuiam in veste attrita & sordida, & facie attenuata, & psallebant domino. Rex autem de curru exiliens amplexatus est eos. quod videntes principes eius, indignè tulerunt, & cum per se non auderent corripere eum, rogauerunt fratrem eius vt quæreret ab eo quare tantam reuerentiam exhibuisset talibus vilibus personis. Rex autem volens ostendere illis errorem suũ, præcepit fieri quatuor arcas. Duas deauratas, in quibus posuit ossa mortuorum, obfirmans eas aureis seris. Alias duas de pice & bitumine, in quibus posuit pretiosas margaritas, & vnguenta optima, ligans eas funibus cilicinis, & posuit eas ante magnates, vt æstimarent quid singulę valerẽt. At illi deauratas magni pretij iudicauerunt. Quibus rex ait: Erratis, omnia oportet inspici interioribus oculis, nõ exterioribus, siue honorem, siue cõtumeliam. Apertis ergo deauratis arcis, ait rex: Iste est typus eorum qui exterius sunt glorioſi, intus repleti mortuis & fœtentibus operibus. Deinde apertis aliis duabus, ait: Iste est typus eorum, qui extra sunt sordidis vestibus operti, intus pretiosi bene redolentes apud Deum, quales fuerunt illi, de quorum veneratione me reprehendi fecistis. Et sic confudit eos. Item ornantes se similes sunt fimo cooperto.

Quòd superbus habitus potest esse culpabilis, multis de causis.

CAP. XIIII.

NOtandum ergo quòd superbus habitus potest esse culpabilis multis de causis. ¶ Prima causa est, pretiositas. Vnde super Lucam 16. de diuite qui induebatur purpura & byssio, dicit glos. Si culpa pretiosarum vestium culpa non esset, sermo Dei non ita vulgariter exprimeret, quòd diues purpura & byssio indutus apud inferos torqueretur. Vnde Gregor. Nemo pretiosa vestimenta, nisi ad inanem gloriam quærit: videlicet vt honorabilior cæteris videatur. Nemo vult pretiosis vestibus ibi indui, vbi à nemine potest videri. ¶ Secunda causa est mollities vestium. Vnde Matthæi 11. Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt. Et super illud Matthæi 3. Ipse Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum. dicit glo. Seruus Dei non debet habere vestimentum ad decorem, vel ad delectationem, sed tantum ad tegendũ nuditatem. vnde Grego. Nemo æstimet in fluxu ac studio pretiosarum vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo dominus Ioannem de vestimenti sui asperitate laudasset. ¶ Tertia causa est, extraneitas: quando scilicet aliquis vult habere vestes aliis dissimiles. Vnde Sophoniæ 1. Visitabo super omnes, qui induti sunt veste peregrina. ¶ Quarta causa est superfluitas. Potest autem ista superfluitas esse duplex, vel quo ad multitudinem, vel quo ad magnitudinem. ¶ Primo modo est superfluitas in illis qui volunt habere vestes longas, vt maiores esse videantur: quod vitium

multum abundat in quibusdã prælatis, qui pileos longos deferunt in capitibus, calopodia in pedibus, & vestes longas per terram trahunt, volentes sic adiicere ad staturam suã cubitũ vnum. Vnde Lucæ 20. Attendite Scribis, qui volunt ambulare in stolis. Stola vestis est longa. Illi qui vel magnitudine vel altitudine corporis sui dignitatem volunt honorare, non videntur attendere quod legitur de Saul, quòd rex malus fuit, & altior vniuerso populo ab humero & sursum, 1. Reg. 10. & illud, quod dicit Dauid in Psalm. Nec in tibiis viri beneplacitum erit ei. Et illud Prouer. 16. Spirituũ ponderator est dominus. Fatui corpora ponderant, & iudicant hominem ex ea parte, ex qua non est homo: dominus vero spiritum põderat. Vnde 1. Reg. 16. dicit dominus ad Samuelẽ, quũ præcepisset ei de vnctione Dauid in regem: Ne respicias vultum eius, nec altitudinem staturæ eius: quoniã abieci eum, nec iuxta intuitũ hominis iudico. Homo enim videt quæ apparent: dominus autem intuetur cor. Pretiosiores species aromaticæ in minoribus saccis solent reponi, vt garyophilli, & similia.

¶ *De caudis mulierum.*

Hoc vitio laborant dominæ, quæ longas caudas trahunt post se terram pretiosis vestibus induentes, & de nuditate Christi in pauperibus non curante caudis suis pulices colligunt, & puluerem mouent hominibus: Christum verò, quẽ in tot pauperibus nudũ respiciunt, & nõ operiunt. timendũ est eis ne in caudis earum diabolus quiescat. Vnde legitur de quodã sancto, qui vidit diabolũ quẽdam ridentem: & quærens ab eo causam risus, dixit: Vidi sociũ meum equitãtem super caudã cuiusdã mulieris, quæ dũ retraheret caudã, cecidit socius meus in lutũ, & inde risi. ¶ Secundo modo est superfluitas in illis qui volunt habere diuersa paria vestiũ, & potius volunt vestimenta sua à tinea comedi, quàm inde Christum in pauperibus indui. Iac. 5. Agite nunc diuites, plorate vlulãtes in miseriis quæ euenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Et Bern. Clamant nudi, clamãt famelici, & conquerũtur: Nobis fame & frigore miserabiliter laborãtibus, quid cõferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? ¶ Quinto potest esse reprehensibilis habitus propter materiam, vt si est serica, vel aurea, vel argentea. Et notandum, q̃ circa materiã vestium multũ proficit, vel potius deficit curiositas humana. ¶ Primo enim fuit materia vestiũ pellis cũ lana. Vnde Geneſis 3. Fecit quoque Deus Adã & vxori eius tunicas pelliceas. ¶ Deinde processum est vsque ad lanam puram, quæ est leuior quàm pellis.

¶ Tertio

¶ Tertio processum est ad cortices arborum vel herbarum, scilicet ad linum, & huiusmodi. ¶ Quarto ad stercora vermiũ, scilicet ad sericum. Deinde ad aurifrigium, & ad lapides pretiosos.

¶ *De Superbia corrigiarum.*

Inter ornatus verò qui propter materiam reprehensibiles sunt, specialiter videntur esse reprehensibiles corrigiæ sericæ deauratæ vel deargentatæ. Et hoc multiplici ratione. ¶ Primo, quia superbia taliũ corrigiarum in loco humiliationis est. Vnde Michææ 6. Humiliatio tua in medio tui. Vnde sicut superbia in paupere amplius displicet Deo, quàm in diuite, quia pauper habet materiam humiliationis & quoddam represſiuum superbiæ: sic potius Deo displicet superbia circa ventrẽ, vbi tanta materia est humilitatis, quàm in alia parte hominis. ¶ Præterea sicut ignis vehemens est qui ardet cum aqua quæ cõtraria est ei: sic valde magna est superbia quę durat vbi tãta est materia humilitatis. Bern. Non est magnũ humilem esse in abiectione: magna prorsus & rara virtus, humilitas honorata. Sic contrario potest dici q̃ magnum prorsus vitium est superbia cum humilitate magna. Ideo humilitas beatæ Virginis omnem humilitatem puræ creaturæ superauit, quia maiorem materiam superbiendi habuit, cum Dei mater fuerit. Sic superbia ventris superbiam aliorum membrorum superat, quum maiorem materiã humilitatis habeat. Item saccus bono tritico plenus bene ligatur fune vnius oboli. Non modica fatuitas est ad ligandum saccũ immunditia plenum, quærere corrigiam sericam deauratam, vel deargentatam, & vasis vnum pretiosum continentibus circuli lignei sufficiunt. ¶ Ridiculum ergo est circulis deauratis vel argentatis ligare saccũ ventris abominatione plenũ. Præterea quis non irrideat, si videat ornatũ templi poni circa fimũ, vel aliquem loſe cum continentem immunditias? Sic faciũt mulieres quæ ornant se circa medium corporis. Vnde Psalmi. Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. ¶ Est etiam magna stultitia mulierum, q̃ corrigiæ illæ carẽ constant eis, & nõ prosunt animæ, nec corpori, imò Deus in eis offenditur, & proximus scandalizatur. Ipsæ etiam mulieres ex pondere grauantur, quum interdũ magis ponderosæ sint, quàm circuli ferrei quos pœnitentes deferunt. Multæ mulieres sunt, si iniungeretur eis pro pœnitentia vt ita ponderosas ferrent corrigias, non acquiescerent iniungenti. Mira insania mulierum, quòd tantis expensis diabolo se ligant, & quòd tam carẽ emunt vnde à diabolo liggentur. ¶ Diabolus enim bene scit ligare aliquem suo proprio

cingulo. ¶ Sexto reprehensibilis est propter colorem, vt in vestibus clericorum color viridis, rubeus, & varius. Cuius rei ratio esse potest, quòd talis color in lana ouium naturaliter non inuenitur. Si enim Deus voluisset lanam ouium talium colorum esse, ipse potuisset depingere sicut & aues. Et forte in principio nó fuit facta tinctura huiusmodi absque culpa & curiositate. Audiui quandam virginem quam conscientia remordebat, quia habebat vestem alterius coloris quàm naturalem, allegantem contra se, quòd ouis quæ nunquam peccauit, contenta esset naturali colore: ipsa verò, quæ multum peccauerat, pretiosiori colore vteretur. Et in veritate cum homo mendicet vestem ab oue, iuxta illud Augustini: Ouis mandatum Euangelicum implens, de duabus tunicis, dat vnam non habenti. Sufficere deberet homini mendicanti color ille, qui sufficit oui lanam largienti. Supernus mendicus est, cui non sufficit illud, quod sufficit illi, à quo mendicat.

¶ *De peplis & vittis croceatis mulierum.*

INTER ornatus verò, qui propter colorem reprehensibiles sunt, specialiter videntur esse reprehensibilia pepla, siue vittæ mulierum croceatæ. Quod multipliciter potest ostendi.

¶ Primo, quia displicet alicui principi, quando videt vexillum inimici in terra sua. Sed plus displicet ei, si videt in aliqua de villis suis. Multo plus si in aliquo de castris suis, & præcipuè si videat illud in superiori parte castri sui. Sic Deo multum displicet quando videt superbiæ vexillum (quod est diaboli signum) in superiori parte castri sui, scilicet in capite mulieris, & videt vexillum suum remotum à loco, in quo potius volebat illud esse. Humilitatem enim pœnitentiæ potius voluit dominus esse in capite. Ezechie. 9. Signa thau super frontes virorum gementium. In signum huius rei fit crucis signum in illis qui baptizantur, & in illis qui confirmantur in fronte. Et in capite ieiunij capita cinere asperguntur. ¶ Secundo per hoc, quòd velum, quod est in capite mulieris, signum est subiectionis. In hoc ostenditur, quòd superiorem habet, scilicet virum suum. In hoc enim ostenditur, quòd ab ea prævaricatio incepit, & ideo potius mulieres velamina deferùt, quàm viri, & præcipuè quando à viris suis cognitæ sunt. ¶ Vnde super illud 1. ad Corinth. 11. Capilli mulieri pro velamine dati sunt. dicit glossa, Ad hoc habet mulier velamen, et se ream agnoscat, & subdatam. Et iterum in eodem capite super illud, Non est vir creatus propter mulierem, sed mulier propter virum. dicit gloss. Ideo

Ideo debet mulier super caput suum habere velamen propter angelos, vt dicit Ambros. vt scilicet ostendatur subiecta viro, & quia per eam prævaricatio cœpit. Vnde cum peplum debeat esse signum humilitatis, multum Deo displicet si superbiant inde mulieres. Irridendus esset fur, cui in signum furti bursa suspendi debet ad collum, si peteret vt illa bursa purpurea esset. Sic irridendæ sunt mulieres quæ volunt habere pepla croceata. In opprobrio enim suo quærunt gloriam, vbi esse non potest. Non cedit ad gloriam furis, si bursa ad collum suspensa sit deaurata. ¶ Tertio per hoc quòd mulieres quæ croceum colorem in peplis deferunt, colorem decentem, amabilem Deo & angelis, & hominibus mundi cordis vilipendunt: colorem vero minus decentem contra doctrinam ecclesiæ deferunt, scilicet croceum. Color decens & amabilis Deo & angelis est color albus. Quòd croceus color minus sit decens, quàm candidus, patet ex hoc quòd nulla est quæ non velit habere faciem suam candidam potius, quàm crocei coloris. Quod autem color iste placeat Deo, patet per hoc quod dicitur Cantic. 5. Dilectus meus candidus. Non dicit, croceus. Sapient. 7. de ipso: Candor est lucis æternæ. Et Bernardus loquens de sapientia increata, dicit: Candor est lucis sapientia, & candidam oportet esse animam, in qua ipsa sedem elegerit. ¶ Sic etiam placet Deo candidus color in ornatu corporis, potius quàm croceus. Quod patet per illud Matthæi 17. quòd in transfiguratione Domini vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Magisterio enim Spiritus sancti institutum est, quòd sanctissimum corpus Domini panno candido inuoluatur, non croceo, vel alterius coloris. Vnde bene debet sufficere immundo corpori color ille ad inuoluendum se, qui sufficit Dominico corpori. Quòd etiam color iste placeat angelis, patet per hoc quod legitur Marci vltimo, angelum apparuisse stola candida. & Matthæi vltimo legitur, vestimenta angeli alba fuisse sicut nix. Et Ioannis 20. Et vidit duos angelos in albis sedentes. Quòd autem hominibus mundi cordis placeat color iste, patet: quia si quis occurrat duabus mulieribus, quarum vna habeat peplum candidum, & altera croceum, statim illam quæ defert candidum honestiorem iudicabit, & ita magis ei placebit, nisi iniquitas propria cor eius subuerterit. ¶ Quarto potest idem ostendi per hoc, quòd cùm ornatus propter vanitatem reprehensibilis sit, quod vanius & mutabilius erit in ornatu, magis reprehensibile erit. Vnde cum croceus color in peplis valde mutabilis sit, reprehensibilis est. Si aliqua mulier tunicam suam

qual

qualibet ſeptimana tingeret & lauaret, ſatis fatua diceretur: tales ſunt quæ ſingulis ſeptimanis pepla ſua & tingunt & abluunt.

¶ *De peccato illarum, quæ præſumunt ponere alienum colorem in vultibus ſuis.*

SEPTIMO eſt reprehenſibilis habitus vel ornatus propter præſumptionem, quãdo ſcilicet aliqua præſumit facere quod ſpecialiter Ad Deum pertinet, ſicut faciunt illæ quæ alienos crines apponunt capiti, vel colorem innaturalem ſuper faciem: huiuſmodi enim proprium eſt Dei. Vnde tales cum Lucifero ſimiles volunt Altiſſimo eſſe. Ipſæ ſunt veluti ſimiæ, quæ dum volunt ſe decorare, ſpecialiter ſe iugulant. Sunt etiam angeli tenebrarum transfigurati in angelos lucis, nõ attendentes illud Eccleſiaſtic. 4. Ne accipias faciem aduerſus faciem tuam. Quam mulier aſſumit contra faciem interioré animæ, quia eã deturpat. Dum enim mulier exterius vult habere pulchram faciẽ, interius aſſumit faciem diabolicã, iuxta illud Pſal. Facies peccatorũ ſumitis. Facies enim aſſumpta, contraria eſt faciei naturali, quia ante debitum tempus facit eam ſeneſcere, & in futuro pro ea punietur. Ioelis 2. Omnes vultus redigentur in ollam. Multum offendirur aliquis artifex, quando alius præſumit meliorare opus eius: ſic Deus in iſtis. Præterea magnam contumeliã facit Deo talis perſona, quæ potius vult talem faciem habere qualem pictor facit, quàm qualem eius Deus fecit. De tali muliere dicit Hieronym. Quã fiducia erigit ad cælos vultus, quos conditor non agnoſcit?

¶ *Quòd ſex deberent cohibere mulieres à portando alienos crines.*

SEX vero ſunt quę poſsũt cohibere mulieres ab alienis crinibus, ſi eis diligẽter oſtẽdantur. ¶ Primũ eſt, pœna quã ſcriptura cõminatur eis. Vnde Eſaiæ 2. Decalũabit Dominus verticẽ filiarum Sion, & Dominus crines earum nudabit. Et in preſenti etiã quandoque crines earũ nudãtur. Vnde Pariſiis accidit in quadã proceſſione, quòd quædã ſimia cuidã domi nę peplũ cũ alienis crinibus abſtulit coram populo, & turpis & depilata ſicut cornicula depoſitis plumis alienis remanſit: quod iuſto Dei iudicio accidit, iuxta illud Eſaiæ 33. Vę qui prædaris: nónne tu prædaberis? Prædata fuerat illa mulier mulierem mortuam crinibus ſuis: & ideo merito eam ſimia deprædauit. vnde Poëta: Non eſt lex æquior vlla, Quam necis artifices arte perire ſua. ¶ Secundo facit pulchritudo criniũ. Accidit enim eis ſicut legitur Abſaloni accidiſſe de pulchritudine crinium eius, ſicut legitur 2. Regum 14. Porrò ſicut Abſalon vir non erat pulchrior in omni Iſrael. Et

nes ſuos augent, licet in bello periculoſiſſimo ſint, quaſi nolint de manibus diaboli euadere. Non de facili euadit mulier de manu diaboli, ex quo tenet eam per crines, quando ſcilicet mulier habet nimium amorem ad decorem crinium. Item tales mulieres materiam periculoſæ infirmitatis quam habent, augent, cum potius deberent eam minuere, quaſi nolint à ſua infirmitate curari. Infirmitas autem valde periculoſa eſt, ſicut prius oſtenſum eſt, ſuperbia: quæ materia augetur, quando crines alieni propriis crinibus adduntur. Satis ſunt iſtæ ſuperbæ quæ parum habent de crinibus. ¶ Tertio, peruerſitas magna. Faciunt enim tales ad contumeliam Dei, ac damnum animarum ſuarum, quod nullo modo facerent propter amorem Dei & ſalutem propriam. Si iniungeretur alicui mulieri pro pœnitentia quòd haberet per noctem ad caput ſuum manum mulieris mortuæ, nullo modo vellet habere. Diceret enim terrore ſe amentem fieri. Crines autem mortuæ mulieris vult habere in nocte ad caput ſuum in contumeliam, Dei, & contra voluntatem eccleſiæ. Nec terretur inde neſcio quo diabolico miraculo. ¶ Quarto deberet cohiberet mulieres à vitio iſto, magna ingratitudo quæ eſt ibi, quando ſcilicet ipſæ volunt habere in loco iſto crines ad Dei contumeliam, vbi Chriſtus pro amore earum tulit ſpineam coronam. ¶ Quinto contemptus Dei qui eſt in vitio iſto. Valde enim Deum contemnunt qui capillos Deo præponunt, cum capilli videantur eſſe ſuperfluitates hominis, ſicut & vngues. De receptaculo lendium & pediculorum faciunt mulieres theſaurum ſuum, imò Deum ſuũ: quia hoc ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur: ſicut dicit gl. ſuper illud ad Philip. 3. Quorum Deus venter eſt. De Maria Magdalena legitur Lucæ 7. quòd capillis capitis ſui terſit pedes Domini ſui. Non enim eos amabat tantum, quantum amant dominæ noſtræ. ¶ Sexto deberet cohibere mulieres à vitio iſto, multiplex malum, quod inde prouenit tam eis quàm proximis earum. Proximis de facili malum prouenit ex pulchritudine crinium. Crines enim velut quidam laquei ſunt, quibus fatui capiũtur. Vnde legitur Iudith 14. quòd ipſa colligauit cincinnos ſuos ad capiendum Holofernem. Cincinni ſunt capilli dependentes à capite mulieris. Sicut pueri laqueos faciunt de pilis caudæ equi ad capiendum aues: ſic diabolus laqueos facit de pilis mulierum, ad capiendum viros. Ipſis etiam mulieribus multiplex malum

subditur: A vestigio pedis vsque ad verticem non erat in eo vlla macula. Et quanto magis tondebat capillos, tanto plus crescebant (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico. Quid autem ei acciderit, legitur 2. Regum 28. scilicet quòd caput eius quercui adhæsit, & illo suspenso inter cælum & terram, inimicus cui insidebat pertransiit, & veniens Ioab tres lanceas infixit in corde ipsius. Sic per pulchritudinem crinium adhæret fatua mulier alicui viro luxurioso, qui per quercum designatur. Quercus enim fructum defert quo porci pascuntur: sic luxuriosi opera faciunt in quibus infernales porci delectantur: & veniens Pirab, id est diabolus, infigit tres lanceas in cor fatuæ mulieris. Prima lancea est vitium superbiæ. Secunda, vitium luxuriæ. Tertium vitium discordiæ propter ipsam inter mulierem & virum suum. De hoc require in tractatu de Luxuria, in capitulo de Choreis, vbi ponitur illud verbum Apocal. 9. Et similitudines locustarum, &c.

¶ *De habitu reprehensibili propter formam vel compositionem.*

OCTAVO potest esse reprehensibilis habitus vel ornatus propter formá vel cõpositionem. In forma verò reprehẽsibilia sunt ista, incisio ex parte inferiori: sicut fit in vestibus ioculatorũ, corrugatio ex parte superiori. Vtinam, si Deo placeret, facies earum corrugare facerent, quo vestes corrugatæ fieri ẽt. Reprehẽsibile etiã est quòd caudæ ibi assumãtur. Natura caudã negauit hominibus, sed miseri homines eã sibi assumũt. Præcipuè autẽ videtur reprehẽsibiles quo ad formã & cõpositionem, sotulares rostrati, & perforati, & stricti. Rostrum in sotularibus diabolica videtur esse inuentio, cum nõ inueniatur simile in rerum natura. Nullũ enim animal est quod in pede rostrum habeat, etsi habeat aliquod in capite. Mulieres verò quæ nusquam rostrum deberent habere, volunt habere in pedibus. Perforatio etiam in sotularibus magna videtur fatuitas, cum sotulares integri meliores sint quàm perforati. Similiter strictura in sotularibus magna fatuitas est, cum etiam Deus inde offendatur, pedes grauentur. Non enim ita constringerentur pedes, si essent in compedibus, sicut constringuntur quandoque à sotularibus. Multi sunt qui non reciperent pro pecuniæ tale grauamen, si sacerdos eorum vellet hoc eis iniungere. Magna etiam ingratitudo est, velle deferre sotulares perforatos in contumeliã Dei in pedibus suis, cum Deus pro amore eius pedes suos voluerit perforari. Magna etiam fatuitas est, quærere pulchritudinem in sotularibus, cũ ad hoc inuenti sint vt inquinẽtur,

tur, & per hoc pedes ab inquinatione seruentur. Nec enim in radicibus arborum vel fundamentis domorum pulchritudo solet requiri: sic nec in sotularibus deberet requiri pulchritudo.

¶ *De superbia ornatus raptorum & vsurariorum.*

NONO potest esse reprehensibilis habitus vel ornatus, quia est dere iniustè acquisita: sicut accidit in vxoribus vsuriariorum vel raptorum quę vestes pretiosas deferunt de lacrymis pauperum. Vestes tales sanguinolentæ sunt. Iere. 2. In alis tuis inuenitus est sanguis animarum pauperum. Alæ sunt extremitates superborũ pallíorum. Alis istis volatur in infernum, non in cælum. In alis istis inuenitur duplex sanguis, scilicet sanguis pauperum. Spolia enim pauperum ex quibus est vestis illa, iudicio scripturæ sunt sanguis pauperũ, & vita eorum. Vnde Eccl. 34. Panis egentiũ vita pauperũ est. Qui defraudat illum, homo sanguinis est. Alius sanguis qui in alis istis inuenitur, est sanguis ipsius mulieris, quę defert pallium quod emptum est de re iniustè acquisita. Mors enim latet ibi cũ ad dãnationẽ suã illud deferat. Cruentatio ista quę est in vestibus diuitum figurata est per chlamydem coccineã, in qua illusus est Dominus. Illusione autem illa ostensus est status principũ huius mũdi. ¶ Decimo potest esse reprehẽsibilis ornatus vel habitus, propter amorẽ nimium, quem habẽt mulieres ad pulchritudinẽ. Tãtus enim potest esse amor ille quod est mortale peccatũ, & quasi idololatria, vt quando amor ille amorem Dei superat. Hoc enim ab homine colitur, quod præ cæteris diligitur, sicut prius dictum est.

¶ *De quinque quæ debent cohibere mulieres ab amore pulchritudinis.*

QVINQVE autẽ sunt quę debent cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis. ¶ Primum est vanitas ipsius pulchritudinis. De qua legitur Prouerbio. vltimo: Fallax gratia, & vana est pulchritudo: mulier timens Deum, ipsa laudabitur. Pulchritudo vana est, quia ad nihil valet ei qui eam habet: potius videtur valere illis qui vident eam, & in ea visa delectantur. Potest etiam dici vana, quia vadit in nihilum. propter quod flori comparatur, Esaiæ 40. vbi sic legitur: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius tanquam flos agri. Licet flores sint magni decoris, tamen parum amantur, quia citò tranfit decor eorũ. Sic parũ amanda esset pulchritudo corporis, quia citò perditur: ad minus in morte quãdo maximè necessaria esset cùm Deo debeat præsentari, & angelis eius, cũ ituri sunt ad curiã cælestis regis. ¶ Secũdo deberet mulieres cohibere ab amore nimiæ pulchritudinis hoc, quòd pulchritudo talis frequenter maledicta est. Vnde Iob 5. Vidi stultũ firma

rad

radice,& maledixi pulchritudini eius statim. Vnde dicit glo. super hoc verbum, statim: Infirmus, cum inæqualitate rerum variatur: dum videt prospera, laudat: cum mutantur, nihil esse iudicat: sed sanus cum gloria ipsam pœnam sequentem cõsiderat, & statim damnat. Malè fuerunt pulchræ illæ mulieres, quę propter pulchritudinem suam damnabuntur. ¶ Maledicta est talis pulchritudo mulieris. Multis re vera potius expediisset ꝙ fuisset leprosæ, vel naso, vel auribus mutilatæ, quàm ꝙ essent pulchræ. ¶ Tertio deberet cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis, turpitudo & immunditia quæ frequenter comitatur pulchritudinẽ corporis. Vnde dicitur Ezechielis 16. ad fatuam mulierem: Abominabilem feci sti decorem tuum. Hoc est vnum, de quo multũ dolendũ est, ꝙ pulchrę mulieres quæ plus deberẽt abhorrere immunditiam, amplius se inquinãt per peccatum. Propter hoc pulchritudinem fatuæ mulieris cõparat Salomon circulo aureo in naribus suis. Prouer. 11. Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua, id est, pulchritudo mulieris fatuæ. Sus si circulũ aureum haberet in naribus, distraheret illũ per quodcunque volutabrum luti. Similiter mulieres fatuæ pulchritudinem suã distrahunt per quodcunque volutabrum luxuriæ. Sus non parcit ori, sicut nec pedi, quin illud in lutum infigat. Sic nec mulier fatua parcit faciei suæ, imò illam præ cæteris mẽbris operit iniquitate & impietate sua. Vel aureus circulus potest intelligi mulier pulchra & fatua, quã diabolus trahit per omnem immunditiam, quia habet eã in potestate sua, sicut sus circulũ aureum traheret per immunditiam, quę haberet in naribus suis. ¶ Quarto deberet cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis hoc, ꝙ pulchritudo earum valde nociua est. Est enim pulchritudo illa pulchritudo exurens, qualis est pulchritudo carbonis viui. Et est etiam pulchritudo vulnerãs, qualis est pulchritudo splendentis gladij. Vnde Hierony. Gladius ignitus est species mulieris. Et prouerbiorum 5. legitur de fatua muliere, quòd nouissima illius amara sunt velut absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Sicut puer in gladio fulgenti primò solam aduertit pulchritudinem, & ideo gladium amplectitur, sed nouissimè sentit læsionẽ: Sic fatui homines in specie mulieb ri primò solam aduertunt pulchritudinem: sed postquam eam tetigerint per amorem, ex vulnere cordis perpendunt pulchritudinem illam esse gladium acutum. Biceps autem gladius potest dici pulchritudo illa: quia ipsam mulierem, in qua est, lædit per superbiam, & ipsos aspicientes per luxuriam. Vel

potest dici gladius biceps, quia corpori & animæ occasio est mortis æternæ. Et verè gladius igneus est pulchritudo mulieris. Multum enim potens ad exurendum cor humanum. Vnde Barlaã rex quidã habuit filiũ, de quo dictũ est ei à medicis, quòd cęcus fieret, si infra decem annos solem videret. Vnde rex ipsum fecit includi decem annis in spelunca. Quibus finitis fecit eum egredi de spelunca. Et ostensa sunt ei aurum & argentum, & multa alia pretiosa & concupiscibilia. Et ad interrogationem eius nominata sunt singula. Cum autem inquireret anxiè de mulieribus, quæ præsentes erant, quæ res essent, dixit ei quidam idcoſe, Eas esse dæmones qui seducunt homines. Et cum reductus ad regem requireretur ab eo quid magis ipse desideraret. Respondit, se super omnia quæ viderat desiderare dæmones qui seducũt homines. Et miratus est rex quòd tam tyrãnica res esset species mulieris. ¶ Quinto debet cohibere mulieres à nimio amore pulchritudinis hoc quod pulchritudo aduersatur bonitati. Non enim de facili habetur bonitas cũ pulchritudine. Poëta: Lis est cũ forma magna pudicitiæ. Vnde cùm pulchritudo aufert bonitatem, quæ longè melior est quàm pulchritudo, ipsa nõ est multũ desiderãda, imò valde timenda. In magno periculo est pulchritudo mulieris. Est enim quasi thesaurus in aperto, qui à multis cõcupiscitur. Vnde Greg. Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè in via portat. Fatuæ sunt quæ neglecta bonitate pulchritudinem quærunt. Similes sunt pueris qui pyra vel poma vermes habentia (quia pulchriora aliis sunt) præeligunt. Præcipuè autem fatuæ sunt illæ, quæ nuturaliter deformes sunt, & tamen laborant ad hoc quòd sint pulchræ, ad quod nullo modo pertingere possunt. Ad hoc autem quòd sint bonæ, laborare nolunt, quod tamen melius & de facili obtinere possunt. Mulier quæ laborat amplius ad hoc quòd sit pulchra quàm bona, videtur plus amare alterius vtilitatem, quàm suam. Si enim pulchra fuerit, aliis pulchra erit. Pulchritudo enim eius alienos oculos pascit. Si autẽ bona fuerit, sibi bona erit. Prouerb. 9. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris.

¶ *Quantis, & quot personis noceat superbus habitus.*

VNDECIMO potest esse culpabilis ornatus mulieris: quia multis nocet. ¶ Primo nocet viro suo quem interficit spiritualiter, dans ei occasionem, quòd vsurarius sit vel raptor. ¶ Secundo nocet illis quibus debuit restitui, quòd præcipuè verum est in vxoribus vsuriariorum & raptorum. ¶ Tertio nocet ipsi mulieri. Et hoc multis modis. ¶ Primo, quia ei materia est infirmitatis

magnæ,scilicet superbiæ. ¶Secũdo, quia aufert sibi illud vnde debuit redimere animam suã morti æternæ cõdẽnatam. ¶Tertio,quia aufert ei tempus quod debuit expendere in seruitio Dei. Nec est paruũ damnũ, cũ tẽpus res pretiosissima sit.vnde Ber.Nihil pretiosius tẽpore:sed heu nihil hodie vilius reputatur. ¶Quarto, aufert ei orationes quas facit in ecclesia. Non enim exaudit Deus orationes,quas facit mulier ipsa superbè ornata, cùm ipsa filios Dei occidat ex alia parte ostensione incautæ suæ pulchritudinis.vnde super illud 1.ad Tim.2.Nó in tortis crinibus &c.dicit Gl.Superbus habitus nõ impetrat. Nõ est paruũ damnũ mulieri,quæ pauper est spiritualiter,si orationes, quas in ecclesia facit, amittat. Orationes enim sunt magna pars bonorũ quæ ipsa facit : frequenter potius vtile esset eis humiliter esse in domo, quàm superbè in ecclesia. Si aliqua mulier esset quæ in nulla sẽnitate iret ad ecclesiam, ipsa raputaretur hæretica. Quid ergo est de ea quæ facit quod deterius est? Quomodo talis mulier remissionẽ peccatorũ suorum consequetur, quæ in ecclesia Deum offendit,vbi eũ placare debuit? ¶Quinto,nocet ei superbus habitus,quia bonam famam aufert ei.vnde super illud 1.ad Tim.2. Non in tortis crinibus,&c.dicit glo. Superbus habitus non recta facit de se credi. ¶Sexto, nocet ei, quia facit eam solicitari sicut equus. Ex quo enim equus habet signum venalitatis in fronte, non quæritur vtrũ sit venalis,sed pro constanti habetur,&de pretio quæritur.Sic mulier habens ornatum meretriciũ,solicitatur, & solicitata , nisi valde fortis sit, facilè labitur : quia çalita est quã nemo rogauit,vt ait poëta. ¶Quarto nocet superbus ornatus aliis mulieribus,quia ministrat eis exemplum superbiæ.Dat etiã eis occasionem inuidiæ & discordiæ ad viros earũ,& quandoq; occasionẽ adulterij:quia quando nõ possunt habere humiles ornatus à viris suis, rixantur cum eis, & quandoque eos habere volunt ab aliis viris, & sic adulterium committunt. ¶Quinto nocet maritis aliarum mulierũ. Reddit enim eis vxores eorum molestas,& quandoque aufert eas illis. ¶Sexto nocet domino, cuius templum exurit.Templum Dei est vnusquisq; fidelis. Plus diligit Deus vnum templũ spirituale, quàm omnia tẽpla materialia mundi:vnde magna Dei offensio est, incẽdere huiusmodi templa.Septimo nocet sanctis: quia festa eorum non obseruant mulieres quæ sic se ornant,quia tũc magis peccant quàm in aliis diebus,cũ magis superbè se habeant. Tũc etiã quãdoque violant festa,præparando ornatus suos. ¶Octauo,nocet angelis,quia filios Dei in eorum positos custodia occidunt. Ideo dicitur 1. ad Cor.11.Quòd mulier debet habere velamẽ super caput suum propter angelos:ne scilicet offendat angelos, occidendo homines, quos ipsi custodiunt. Et vt breuiter dicam, Deo & angelis eius non timent contumeliam facere etiam in ecclesia, quando corpus Christi præsens est,& angeli assunt, & populus ibi est congregatus,scilicet quando missa celebratur. Quòd angeli ibi assint, patet ex verbis Gregorij sic dicentis : Quis fidelium dubium habere possit in ipsa immolationis hora , ad vocem sacerdotis cælos aperiri,atque in illo Christi mysterio choros angelorum adesse, summis ima sociari , terrena cælestibus iungi? Et super illud 1.ad Cor.11. Vbi dicit Apostolus, ꝙ mulier debet habere velamen super caput:dicit glossa: Angelici spiritus nobis adesse credendi sunt, maximè cũ diuinis obsequiis mãcipemur: id est, cũ ecclesiã ingressi lectionibus sacris aurẽ accõmodamus, vel psalmodiæ operã damus,vel orationi incumbimus , vel missarũ solẽnia celebramus. ¶Ideo monet Apostolus velamẽ habere propter angelos. Nec dubitari debet vbi Dominici corporis & sanguinis mysteria gerũtur,supernorum ciuiũ cõuentus adesse,qui monumentum,quo venerabile corpus positum fuerat, & vnde resurgendo abscesserat , tam sedulis excubiis seruabant.

¶*Quòd habitus mulierum se ornantium est culpabilis propter intentionem multiplicem.*

VLTIMO potest esse culpabilis ornatus propter intentionem. Multiplex potest esse intentio mulierum ornantium se. Quædam enim ornant se vt concupiscantur ab aliis, quàm à viris suis:quod constat esse mortale peccatum , licet non habeant voluntatẽ consentiendi illis qui eas concupiscunt:quia secũdum Augustinum,non solum appetere,sed etiam appeti velle, crimi-nosum est. Aliæ verò ornant se ex superbia , vt pulchriores sint aliis,vel saltem non excedantur ab aliis,vel ex amore vanæ gloriæ & laudis,vt dicatur quòd ipsæ sint pulchræ.Istæ videtur multum impiæ esse,non curantes de morte fratrũ suorũ , dum solũ habeant ventum vanitatis vt pulchræ reputentur. Non videtur quòd tales mulieres charitatem habeant : quia verba vanæ laudis chariora habent , quàm fratres suos. aliæ verò ideo se ornant,vt viris suis placeant, vt sic contineant ab aliis mulieribus. Sed de talibus accidit , quòd sic quandoque occidunt eos spiritualiter,dum dant eis occasionẽ quòd nimis ament eas: quia nimius amator vxoris propriæ, adulter est , sicut dicit Ambr. Ex quo amor iste non sit citra Deũ, iam iudicatur peccatũ mortale. ¶Præterea si ornatu suo velut quodam rete vult capere virum

suum,ne capiatur ab aliis mulieribus, quare, illud rete expandit,vbi non est vir eius? Multæ enim potius ornant se quando prodeunt in publicum, quàm quando sunt cum viris suis in domo. Tales similes sunt illis qui dicunt se velle capere aues syluestres,& capiunt domesticas. ¶ Præterea sicut mulier cauet ne perdat virum suum, sic vir debet cauere vxorem suam. Vnde debet cauere ne ipsa immoderatè ornata sicut murilegus syluestris efficiatur & fugiat. Sicut enim murilegus syluestris fugit quãdo habet pulchram pellem,& quandoque hac de causa amittitur. Aliquis enim propter pulchram pellem vellet eum habere. Sic mulier ornata libentius vadit ad spectacula, vt ab aliquo concupiscatur, & à viro quandoque amittitur. Potius deberet velle vir eam habere minus pulchram, quàm aliis pulchriorem. Item si nõ placet viro quòd vultures,id est luxuriosi,sequantur vxorem suã,quare vult eam esse absque pelle conuersationis honestæ? Item cum non vult vxorem suam meretricem esse, quare vult eam similem meretrici esse,& in habitu meretricio? De hoc habitu legitur Prouerbio. 7. Ecce occurrit ei mulier in ornatu meretricio,præparata ad capiendas animas. Et cum ex hoc verbo constet aliquem ornatum meretricium esse, non video quid sit meretricius habitus, nisi croceus sit, & similia. Ezechi .16. Habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es. Ad omne caput viæ ædificasti signum prostitutionis tuæ. Solent caupones in domibus suis ex diuersis partibus circulos ponere, quando diuersæ viæ sunt circa domum, vt transeuntes per quancunque viam sciant ibi vinum esse venale. Sic faciunt mulieres signa venalitatis ponunt in capite, in pedibus, & in brachiis,& tamen se dicunt esse castas,castitatem amare, volentes quòd magis credatur vni testi assueto mendaciis,quàm multis testibus veris qui mentiri non nouerunt. Testis assuetus mendaciis, lingua est earum. Testes veri sunt cætera membra quæ impudicitiam ostendunt. Hieronymus: Aut loquendum nobis est vt vestiti sumus,aut vestiendũ vt loquimur. Quod autem pollicemur & aliud ostendimus, lingua personat castitatem, & totum corpus profert impudicitiam. Deberet esse mulier viro suo adiutorium salutis. Genesis 2. Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Similiter & vir debet vxorem iuuare, vt saluari possit. Et cum mulieres, vt sæpius pronæ sint ad nimium amorem pulchritudinis, & gloriam ornatus, vir debet iuuare in hac parte & cohibere eam ab ornatu inhonesto. Pronitas ista mulierum ad gloriam

riam ornatus in sinuatur Matthæi 25. De decem virginibus, quarum quinque quæ laudem quesierunt, cælestem ianuam clausam inuenerunt. Similiter cum viri proni sint ad nimium amorem diuitiarum,quia habent prouidere familiis suis,vxores debent iuuare eos & prohibere à cupiditatibus suis, & dicere eis se contentas esse paruo victu & humili vestitu, si ipsi cessa uerint ab vsuris & aliis generibus cupiditatum. Sed heu hodie remedium versum est in venenum. Vxores enim impellunt viros ad infernum,dando eis occasionem male acquirendi, dum superfluas expensas ab eis requirunt. Viri etiam impellunt vxores ad infernum, dum eas consentire faciunt vsuris suis, & dum non permittunt eas facere bonum quod ipsę possunt. Vnde hodie quantum ad personas multas, societas coniugalis est quasi complexus spinarum, quæ simul in ignem mittentur, quia non possunt separari. Est etiam velut complexus aliquorum simul se inuicem submergentium.

¶ *De mulieribus se ostentantibus.*

MVLIERES pulchritudinem suam per vicos in ecclesia ostendentes, sunt incendiariæ sacrorum locorum, scilicet virorum: quilibet enim fidelis est templum opere Spiritus sancti in baptismo dedicatum: sicut dicit glossa super illud 1. ad Corin. 3. Templum Dei sanctũ est, quod estis vos. Ipsæ etiã sunt homicidę fratrum suorum & filiorum Dei. Sunt etiã venatrices diaboli in filios Dei ad mortem. Diabolus etiã vtitur eis tanquam esca ad capiendos viros, sicut cum catis & aliis vilibus animalibus excoriatis vultures solent capi. Vtitur etiã eis tanquã laqueis. vnde Ecc. 7. Inueni amariorem morte mulierẽ, quę laqueus venatorum est. vnde legitur q̃ beatus Bernardus cum quædam soror eius venisset cum superbo habitu ad abbatiam, in qua ipse erat, noluit exire ad eam asserens eam esse rete diaboli. Quæ confusa & compuncta mandauit ei vt non despiceret animam eius, etsi carnem despiciebat, parata tamen erat in omnibus facere voluntatem eius. Quo audito vir sanctus gaudens venit ad eam præcipiens ei vt illum superbum habitum de cætero non portaret. Quæ illi acquiescens ita mutata est, vt homines eius mutationem mirarentur. Vtitur etiam diabolus eis tanquam gladio ad occidendum filios Dei. Etiam si dicat aliqua se nõ habere malam intentionem: Respondeo, quòd neque gladius malam intentionem habet quando ab illo aliquis occiditur, sed vtens illo habet ibi malam intentionem. Sic diabolus qui vtitur his mulieribus ornatis tanquam gladio, ibi malam habet intentio-

nem. Et licet etiam nullus haberet malam intentionem, nihilominus tamen mortuus esset qui occisus esset: & secundum leges, qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. Dicitur etiam Exo. 21. Si quis aperuerit cisternã, & foderit, & nõ operuerit eam, ceciderit que bos vel asinus in eam, reddet dominus cisternę pretium iumentorũ. Cisterna quæ habet aquã ad remediũ sitis, incautis tamen potest esse occasio mortis vel præcipitij. Sic vxor etiã alicuius, quæ viro suo est remedium fornicationis, aliis potest esse occasio mortis. Sic etiã vocat Salomon vxorem, Prouerb. 5. vbi sic legitur: Bibe aquam de cisterna tua, id est, de propria vxore. Hæc cisterna aperitur, quando mulier nimium ornatur. In eam verò non coopertam bos vel asinus cadit, quando ostensione pulchritudinis, quam mulier incautè ostendit, aliquis perit. In hoc casu anima pereuntis de manu mulieris requiritur. Si quis incautè deferendo ignem domum aliquam incendat, nónne tenebitur ad emendam? Quomodo ergo innocẽs erit, quæ pulchritudinem suã incaute ostẽdẽdo, domos spirituales exurit? Quędam etiã ideo se ornãt, quia erubescũt nõ deferre ornatus, quos deferre cõsueuerũt, vel quos aliæ mulieres deferũt vel quia timẽt ab hominib' derideri, si ornatus tales dimiserint.

De bona erubescentia & eius commendatione. Et quòd peccatum sit valde erubescibile. CAP. XV.

ET quia verecundia hæc multum nocet ecclesiæ Dei, ideo tractabimus hic de verecundia. Et quia quædam verecundia bona est, & quædam mala est, iuxta illud Ecclesiast. 4. Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam. ¶ Primo de bona erubescentia dicemus. ¶ Secundo de mala. ¶ Tertio tangemus de irridentibus eos, qui bene faciunt. ¶ Notandum ergo quòd erubescentia bona est quoddam frænum, quo aliquis regitur in viam paradisi. Dum aliquis habet frænum istud, sperari potest de eius correctione. Vnde Sapiens: Erubuit, salua res est. Ad commendationem huius erubescentiæ facit illud Eccles. 22. Ante grandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia. Præcipuè verecundia placet in mulieribus. Ecclesiast. 7. Gratia verecundiæ mulieris sensatæ super aurum. Verecundia etiam specialiter placet Deo in pœnitentibus. vnde Bernardus: Quantum displicet Deo impudentia peccatoris, tantum placet erubescentia pœnitentis. De non habente erubescentiam legitur Ieremiæ 3. Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. & Esa. 3. dicitur de non habentibus erubescentiam

tiam istam: Peccatum suum quasi Sodoma predicauerunt, nec absconderunt. Legitur etiam Ier. 6. Confusi sunt, quia abominationem fecerunt: quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere nescierunt. Verè erubescere nescit, qui de peccato non erubescit. Peccatum enim valde erubescibile est. ¶ Magis erubescibile est peccatũ, quàm nuditas totius corporis: quod patet, quia peccatum nuditatem fecit erubescibilem. Parentes enim nostri non erubescebant ante peccatũ, licet essent nudi. Vnde cum illud, propter quod aliquid est tale, magis erit tale: magis erubescibile videtur esse peccatũ, quàm nuditas. Præterea quum erubescẽtia sit fuga rei indecentis, peccatum autẽ indecentius sit quàm aliquid aliud, quod sit in mundo, cum sit opus diaboli, & ipso amoto omnia decentia essent, constat magis erubescibile esse, imò comparatione ipsius alia non sunt erubescibilia. vnde dicit Greg. de Maria Magdalena, Quia semetipsam graniter erubescebat intus, nihil esse credidit, quod verecundaretur foris. ¶ Præterea, peccatum est immunditia, & comparatione ipsius immunditia corporalis non reputatur immunditia. Matth. 15. Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. Et quibusdam interpositis subditur: Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Est etiam peccatum abominatio magna. vnde Psal. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt. Vnde patet peccatum valde erubescibile esse. Multis autem aliis modis ostẽdi potest, quòd peccatum sit valde erubescibile. Et quia hominem proditorem reddit apud Deum, & quia facit eum valde vilem: facit etiam inferiorem brutis animalibus, quæ tantum vnam mortem soluunt: sed peccator debitor est duplicis mortis, & quia peccatum finis est, quo quis in inferno suspendatur: non habet diabolus vnde hominem suspẽdat, nisi ipsemet funem istum ei attulerit. Est etiam peccatum illud cum quo fustigabitur homo in die iudicij coram toto mundo. Thren. 1. Vigilauit iugum iniquitatum mearum: in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo.

¶ *De XVI. erubescibilibus.*

ILLA de quibus erubescendum est, enumerantur nobis Ecclesiast. 41. Erubescite à patre & à matre de fornicatione, &c. ¶ Et sunt XVI. quæ ibi tanguntur, de quibus multum erubescere debemus. ¶ Et ponitur primo fornicatio, quæ quadruplici ratione valde erubescibilis est, quia tam vilium membrorum, & quia anima & corpus in ea maculantur, & quia mulier ibi venditur, dat animam suam quandoque pro duobus denariis diabolo, & corpus lecatori: non faceret tale forum de sotularibus suis. ¶ No-

tabiliter etiam dicit, Erubescite à patre & matre. Pater est Deus, & Ecclesia est mater, de quibus debet multum erubescere fornicans. Potest multum erubescere filia diuitis dum fornicatur, quia pater suus poterat eam honorificè maritare. Nónne erubescere debet filia Dei de tanto patre, si fornicetur, cum ipse possit eam optimè maritare? A præsidente & à potente demum erubescere debet homo de mendacio: quia potior est fur, quàm assiduitas viri mendacis, vt legitur Eccl.20. & quia mentiens non seruat fidem, licet velit sibi fidem adhiberi, & fallit eum qui confidit in eo: erubescendum est enim propter Deum præsidentem: id est, præsentem, & potentem vindictam sumere de mentiente. & potest illud intelligi specialiter de mendacio promissionis in baptismate factæ. ¶ Tertio erubescendum est de delicto: id est, de negligentia & pigritia. Senec. Turpissima iactura est, quæ per negligentiam fit. Eccle.22. In lapide luteo lapidabitur piger. A principe autem ideo erubescendum est de delicto, quia multum displicet ei pigritia serui, sicut velocitas multum placet. & Prouerb.22. Vidisti virum velocem in opere suo? coram rege stabit. Præcipuè tamen à summo principe erubescendum est de delicto, & ab illo iudice cui cuncta aperta sunt. Et cuncta quæ fiunt adducet in iudicium, & de quolibet momento temporis negligenter expenso exiget rationem. ¶ Quarto erubescendum est de iniquitate à synagoga & plebe. Et primo de hoc, quòd homo sibi iniquè appropriat, quod debet esse commune: vt faciunt vsurarij, qui tempus omnibus commune sibi appropriant, quod dominus voluit ab omnibus æqualiter possideri. Et mali dispensatores qui sibi retinent, quod pauperibus debent diuidere, quibus dicitur Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, id est, de pecunia iniquè vel inæqualiter detenta. ¶ Quinto erubescendum est à socio & amico, de iniustitia: id est, hoc quod iniustè agit erga socium & amicum. Hoc valde iniquum est. Prouerb.3. Ne moliaris amico tuo malum, cum in te habeat fiduciam. ¶ Sexto erubescendum est de furto. Tob.2. Non licet nobis aliquid edere de furto, aut contingere. Et præcipuè erubescendum est, si quis furtum fecerit, vel sustinuerit fieri in loco in quo ipse habitat. ¶ Septimo, erubescendum est, de veritate Dei & testimonio: id est, de veritate quam Deus docuit, & tot testimoniis confirmauit, si aliquis illi fidem non adhibuit. ¶ Octauo erubescendum est de discubitu in panibus, si quis se inhoneste habuerit, vel si ei, ad cuius mensam comedit, fidem postea non seruauerit. Sicut faciunt illi, qui postquam ad mensam domini sederunt, vel spiritualiter vel temporaliter

poraliter, non timent ei contumeliam inferre. ¶ Nono, erubescendum est, ab obfuscatione dati & accepti. Datum obfuscat, qui cum tristitia dat. Eccl. 35. In omni dato hilarem fac vultum. Vel qui dat cum dilatione: Prouer.3. Ne dicas amico tuo, Vade & reuertere, Cras enim tibi dabo: cum statim possis dare. Datum etiam obfuscat, qui illud extollit. Potius enim debet qui dat donum diminuere, quàm extollere. vnde Genes. 33. dixit Iacob ab Esau, Si inueni gratiam in oculis tuis, accipe munusculum de manu mea. Acceptum etiam obfuscat qui de beneficio est ingratus, vel ipsum attennando vel obliuioni tradendo. Senec. Lex beneficij est, quòd alter obliuiscì debet dati, alter debet memor esse accepti. Cato: Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus, Accipito placidè, plenè & laudare memento. ¶ Decimo, erubescendum est, à salutantibus de silentio. Quod in duobus casibus præcipuè intelligendum est, scilicet quando aliquis non vult reddere salutem alicui causa superbiæ, vel causa odij. Sapiens: Salutа libenter. Eccle.22. Amicum salutare non confundaris, & à facie illius non te abscondas. Nec obstat illud Luc. 10. Neminem per viam salutaueritis. Et illud 4. Reg. 4. quod dixit Eliseus ad Giezi: Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si salutauerit te, ne respondeas ei. Per hoc enim prohibetur prolixitas vel curiositas salutationis. Quod autem bonum sit salutare, patet per illud Matth. 10. Intrantes autem domum, salutate eam. ¶ Vndecimo, erubescendum est à respectu mulieris fornicariæ. Quia secundum August. Impudicus oculus impudici cordis est nuntius. ¶ Duodecimo, erubescendum est ab auersione vultus cognati: quia sicut legitur 1. ad Tim. 5. Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Nec solum erubescendum est ab auersione vultus cognati, sed etiam proximi, præcipuè pauperis. Vnde Tob. 4. Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere. Ita enim fiet vt nec à te auertatur facies domini. Vnde sequitur in verbo proposito Eccles. 4. Ne auertas faciem à proximo tuo. ¶ Tertiodecimo, erubescendum est, ab auferendo partem & non restituendo. Sicut enim valde honorabile est dare, sic erubescibile valde est auferre, & præcipuè fratri suo fideli: scilicet partem quam pater cælestis dedit ei de rebus huius mundi. Specialiter autem non restituere ablata, videtur esse erubescibile vsuratis & raptoribus, qui cum sint iam condemnati suspendio inferni pro male acquisitis, potius volunt retinere & suspendi, quàm reddere & liberari. In quo sunt peiores latronibus, qui omnia libenter restituerent, si scirent se per hoc posse liberari.

¶ Quartodecimo à respectu mulieris alieni viri. Periculosus est enim valde respectus talis. Ipse respectus fuit occasio Dauid adulterij, & homicidij, vt dicitur 2. Reg. 11. Nec solum à respectu isto erubescendum est, sed etiam à quacunque familiaritate, vel ad ipsam vel ad ancillam eius, vnde possit oriri mala suspicio. Vnde sequitur: Ne scruteris ancillam eius, & ne steteris ad lectum eius. ¶ Quintodecimo, erubescendum est ab amicis de sermonibus improperij. Et si amicus debet arguere amicum, tamen absque improperio. Tullius in tractatu de Amicitia: Monere & moneri est officium veræ amicitiæ, ita tamen, quòd adulatione careat admonitio, & contumelia careat obiurgatio. ¶ Sextodecimo, erubescendum est ab improperatione dati. Imitari debet illum qui dat omnibus affluenter, & non improperat, vt legitur Iacob. 1. ¶ De fatuo verò legitur Eccles. 20. Exigua dabit, & multum improperabit. Qui enim non erubescit male agere, est sicut equus absque fræno, qui de facili regi non potest. ¶ Duo solebant homines cohibere à malo, scilicet timor Dei, & pudor mundi. Sed timor Dei multos iam parum cohibet à malo. Benignitate enim Dei & misericordia abutuntur homines male agentes, quia Deus benigne eos ad pœnitentiam expectat. Ecclesiast. 8. Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. Non attendentes, quòd misericordia ista superexaltat iudicium: iuxta verbum Iacob. 2. Quia quanto misericordius hic parcit, tanto iustitia in futuro durius ferit, vt dicit Hieronym. Quanto amplius malleus eleuatur, tanto postea durius percutit: & quanto arcus plus curuatur, tanto vehementius sagittam emittit. Similiter se habet iustitia Dei. Augustin. Lento gradu diuina procedit seueritas, sed tarditatem compensat grauitas. Pudor etiam iam potius impellit homines ad malum, quàm cohibeat à malo: quia qui solebant erubescere male agere, iam erubescunt bene facere.

De mala erubescentia, & eius detestatione. CAP. XVI.

DE erubescentia mala, hoc modo dicemus. ¶ Primo ponemus ea quę possunt valere ad detestationem erubescentiæ malæ. Secundo ponemus remedia quibus vti possumus contra eam. ¶ Primo, valere potest ad detestationem eius. si ostendatur quanta sit timiditas eorum, & ignorantia qui propter erubescentiam non audent benefacere. Ipsi sunt sicut equi vmbram timentes. Vera mala non sunt præsentis vitæ, sed futuræ. Præsentia enim mala sunt sicut vmbra futurorum. Vnde qui erubescentiam præsentem timent, & non futuram, ipsi timent vmbram, non rem

tem. Trepidauerunt, ait Dauid, timore, vbi non erat timor. Ipsi etiam sunt sicut paruuli qui terrētur latratu catulorum, qui mordere non possunt. Sen. Authoritatem habemus senum & vitia puerorum. Non puerorum tantum, sed etiam infantium. Illi leuia formidant, hi falsa, nos vtraque. Leuia formidant, qui verba irrisorum formidant. Falsa formidant, qui reputant dedecus quod in veritate est honor. Mundus iste est velut catulus latrans irrisionibus contra eos qui bene agunt: sed mordere nescit, quia non eos percutit, & cum satis latrauerit, tacebit. O quàm strenui milites sunt, qui propter latratum relinquunt domum suam: sed bene relinquerent eam, si viderent milites armatos insequentes se. Si aliquis de militibus regis Franciæ ipso petente debitum seruitium ab eo, diceret se non audere ei seruire: quia homines inde loquerentur: friuola & ridiculosa reputaretur eius excusatio. Sic friuola est excusatio illorum, qui propter verba hominum dimittunt seruire Deo. Ipsi etiam sunt timidi vt lepores. Vtinam tamen essent leporibus in aliis similes. Lepusculus plebs inualida collocat in petra cubile suum, vt legitur Prouer. 30. Labia habet in motu, aures longas, pedes veloces. Timor enim addit alas pedibus. Sic facere debet qui debilem se nouit. In petra cubile collocat, qui in petra Christo fiduciam habet. Labia habet in motu, qui sępe orat. Longas habet aures, qui iuxta verbum Iac. 1. velox est ad audiendum, & tardus ad loquendum, ad respondendum scilicet opprobriis quæ sibi dicuntur. Pedes veloces habet, quem timor Dei occupat. Quia qui timet Deum, nihil negligit: vt legitur Ecc. 7. Causa huius timoris est duplex. ¶ Prima est amor placēdi mūdo. Sen. Desines timere, si desperare desieris. Contra tales qui volunt placere mundo, dicitur Iac. 4. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mūndi, inimica est Deo. Quicunque ergo voluerit amicus huius seculi esse, inimicus constituitur Dei. Psal. Confusi sunt qui hominibus placent, quoniam Deus spernit eos. Et Apost. ad Gal. 1. Si hominibus placerē, Christi seruus non essem. ¶ Secūda causa potest esse hæc, quòd Deus fortitan recesserit ab eis. Vix enim posset esse tanta timiditas in eo, cum quo esset Deus. Psal. Si ambulauero in medio vmbræ mortis, nō timebo mala, quoniā tu mecū es. Quòd autē aliquis timidus fiat, post quā Dominus recesserit ab eo, patet ex eo, quòd Cain caput tremulum habuit, & adeò timidus fuit, vt Domino diceret: Omnis qui inuenerit me, occidet me. Genes. 4. Ad idem facit illud Leuiti 26. Si spreueritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, vt non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis

vobis, Corruetis coram hostibus vestris, & subiiciemini his qui oderunt vos. fugietis nomine persequente. Tanta timiditas est erubescentium, quòd ex hoc, quòd sunt corã hostibus suis corruunt. Non enim possunt sustinere aspectum irridentium. Imò sicut fluit cera à facie ignis, & nix à facie solis, sic corda erubescentium defluunt à facie irridentiũ. Ipsi etiam subditi sunt hostibus suis. Cùm enim irrisores sint hostes eorum, ipsi facere non auderent, quod eis displiceat: quod tamen deberent libentius facere, quàm quod eis placeret. Erubescentes etiã fugiunt nemine persequente. Irrisor enim non persequitur, sed obsequitur. Ministrat enim materiam, vnde corona æterna fabricetur. Irrisiones enim sunt velut aurum & argentum, & lapides pretiosi, ex quibus fit corona paradisi. Prou. 33. Fugit impius nemine persequente. Malæ quidam succursus sunt à Deo missi contra mala culpę. Mira fatuitas, quòd homines fugiunt mala pœnæ, & sequuntur mala culpæ. Succursum à Deo missum timent & fugiũt, & mortem suam sequuntur, scilicet peccatum. Eccl. 21. Quasi à facie colubri fuge peccatum. Et subditur: Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Item de timore eorum quos deseruit dominus, dicitur Leui. 26. Terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient quasi gladium. Cadent nullo persequẽte, & corruent singuli super fratres suos. Folium volans est verbum irrisionis, quod terret homines erubescẽtes. Folium illud plus timent, quàm Dei gladium, qui paratus est interficere eos. Deut. 33. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis. Et Iob 19. Fugite à facie gladij, quia vltor iniquitatis est gladius. Exo. 15. Euaginabo gladium meum, & interficiet eos manus mea. Dicunt erubescentes, quid dicerent de me si hoc facerem? tamen non attendunt, quid fiet de eis si hoc non fecerint. Plus dicta hominum timent, quàm facta Dei: & plus timent verba hominum, quàm gladium Dei euaginatum. Dicit erubescens: Non possum pati vt hoc de me dicatur: non erubescit confiteri tãtam ignauiam de se, quòd tam facilè sibi lis hominum deiiciatur, verè de illis est, quibus dicit de Psal. Non sic impij, nõ sic, sed tanquam puluis quem proiicit ventus, &c.

¶ *De triplici fatuitate erubescentium bene agere.*

SECVNDO potest valere ad detestationem erubescentię malæ, si ostendatur quanta sit fatuitas eorum qui erubescũt bene agere: quæ fatuitas primo potest ostendi per hoc, quòd ipsi permittunt se vinci ab irrisoribus, quos tam facilè vincere possint, quia solum taciturnitate vincerentur irrisores. Esa. 30. In silentio & spe

spe erit fortitudo tua. Si enim qui irridentur, tacerent, & animum haberent ad mercedem quã expectant pro tollerantia irrisorum cõfusi essent irrisores. Sidonius: Garrulo non respondere, cõuitiũ est. Sicut enim garrulus vincitur à non respondente, atque cõtra ignem pugnandũ est aqua, cùm sit ei contraria: sic taciturnitate pugnandum est contra garrulitatẽ. Cogitare debet erubescens, quando irridetur, quòd plus potest audire duabus auribus, quàm irrisor loqui vno ore. Sapiens: Vnum os à natura, & duas aures accepimus. Ac si diceret: Plus debemus audire, quàm loqui. Poëta: Quis labor est, inquam, quàm tacuisse minor? ¶ Secundo, quia timent ab eis irrideri, qui irrisione sunt digni. Quando mali irridebunt bonos de bonis operibus quæ agunt, idẽ est ac si cæci irriderent videntes de hoc quòd ipsi vident, & claudi rectè incedentes. Ideo ipsa irrisio irridenda est. Sene. Æquo animo audienda sunt impetitorum conuicia. Contẽnendus est ipse contemptus. Quis sanæ mentis nõ contẽnat claudicantẽ, si videat se irrideri ab ipso, eò quòd rectè incedat? Et quis talem non iudicet fatuum, si ideo claudicanti velit assimilari, quòd ab eo deridetur? Deridẽdi sunt ergo derisores, non imitandi. Quidam senex in vitis patrum ait: Aut fuge homines, aut irrideas mundum, aut quę in mundo sunt. Stultum teipsum facito in pluribus. Si dicat aliquis quòd derisio malorum prævalebit, quia plures sunt: Respondeo, quia Deus & sancti sui iuuabunt bonos, irridendo malos. Psal. Qui habitat in cælis, irridebit eos. Et iterum: Videbunt iusti, & timebunt, & super eum ridebunt, &c. Non est vituperium Solis quòd noctua nõ appretiat vel aspiciat eũ: nec vituperium auri & argenti, quòd iumenta non appretiant ea. Iumenta enim nesciunt æstimare nisi fœnũ & similia. Et porci nisi furfur, & similia. Sic non est vituperium bonorũ, si à malis deridentur. Mali enim sunt velut noctuę, vnde Boëtius de eis dicit: Hi sunt similes auibus, quarum oculos nox illuminat, & lux cæcat. Non est curandũ de vituperio eorũ qui dicunt malũ bonum, & bonũ malum. Esa. 5. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum &c. Ipsi etiã sunt sicut iumenta, qui viros sanctos, qui sunt velut aurum & argentũ, & lapides pretiosi, despiciunt. Vnde Prou. 14. Ambulans recto itinere, & timẽs Deum, despicitur ab eo qui infami graditur via. Et 29. Abominatur impij eos qui in recta via sunt. Aristippus, cùm quidam ei diceret, Homines te contẽnunt, inquit, Et illos asini. Sed nec illi asinos, nec illos ego curo. Vituperiũ talium laus est, & laus vituperium. De primo dicit Sene. Malis displicere, laudari est. Non potest sententia vllam authoritatem habere, vbi qui damnatus est, damnat.

damnat. De secundo etiam dicit Senec. Tam turpe sit tibi laudari à turpibus, quàm si laudaris ob turpia. ¶ Tertio potest ostendi fatuitas erubescentiũ per hoc, quòd ipsi erubescũt de hoc, vnde gloriari deberẽt; dum erubescunt bene agere, eò quòd cõsueuerunt male agere, vel quia vident alios male agere. Hoc enim valde gloriosum est, quum aliquis bene agit inter male agentes: vel vtat illum, qui male agere consueuit. Tales sunt similes illi qui erubesceret de hoc quòd de naufragio euasisset, vel de hoc quòd non fecisset sicut facere solitus esset, vel de hoc quòd sanus esset aliis existentibus leprosis, vel mundus aliis inquinatis. Tales derisiones non solũ non sunt timendæ, sed etiam appetendæ. Sene. Nondum felix es, si nondũ turba deridet te. Et dominus Matt. 5. Beati eritis cũ maledixerint vobis homines, & persecuti fuerint, & dixerint omne malũ aduersum vos mẽtiẽtes, propter me. Quãdo quis vituperatur vel laudatur, primo debet attendere quis est qui eum laudat vel vituperat, & tũc placeat ei laus, vel displiceat vituperium. Sen. Non quàm multis, sed quibus placeas cogitato.

¶ Quòd erubescentes de bono, se male habeant ad Deum.

TERTIO valere potest ad detestationem erubescentiæ, si ostendatur quàm male & iniquè se habeant erubescentes ad Deũ & ad ea quæ Dei sunt. ¶ Ad Deũ male se habẽt tripliciter, & inquantũ Dominus est, & inquantũ Pater est, & inquantum sponsus animæ est. ¶ Inquantum dominus est, dum ipse erubescit dominum confiteri: diabolum autem non erubescit confiteri dominum, seruitiũ diaboli manifeste faciẽdo. Nulla enim certior domini confessio, quàm seruitij redditio. Si autem Deum dominum habet nõ tamẽ vt primũ vel maiorem, sed vt secũdum. Solũ enim seruitiũ vult ei reddere in quo mũdus præbet assensum, non attẽdés quòd Deus rex est, & regaliter & libere vult dominari. Erubescentes adeo negauerũt Christũ, quòd nec etiã leui signo volũt videri eius discipuli. Erubescentes, signa diaboli libere portãt, vexillum verò Christi non volunt portare nisi occultè, non attendentes illud Ier. 4. Leuate signum in Sion, & confortamini, & eiusd. 6. Leuate vexillum, &c. ¶ Inquantum Pater se male habet erubescens ad Deum, dum eum negat. Vix aliquis negat patrem suum, licet pauperem. Quantam ergo contumeliam facit tanto patri qui eũ negat? Merito ipse negabitur ab eo. vnde Matto. Qui autem me negauerit corã hominibus, & negabo eum &c. Ita accidit fatuo erubescenti, sicut accidit cuidã scholari, qui cum esset indutus pretiosis vestibus, & à sociis suis honoratus, cùm vitasset eum pater suus in humili habitu, timens ne socij contẽnerent eum, si scirent eum habere talem patrem, rogauit patrem vt nullo modo se indicaret eis: & simulans ipsum esse vnum de seruientibus patris sui, fecit eũ comedere cũ gartione domus. Quod pater patienter sustinuit. Sed cum finito prandio scholaris duxisset eum in cameram suam secretò, & quęsisset ab eo quid ei attulisset, ostendit ei pater denarios quos attulerat, asserens, quòd nec vllum de illis haberet. Tu negasti me fili, ait pater, & ego nego te. de cætero non comedes vel bibes de eo quod tibi mittã. ¶ Erubescens etiam male se habet ad Deum, inquantum Deus sponsus est animæ, dum de tanto sponso erubescit. O anima, non est ita ignobilis iste sponsus, vt de eius ignobilitate erubescas. De nobilitate eius legitur Prou. vlti. Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ. Non est etiam ita deformis, quòd anima eius deformitatem debeat erubescere. Psal. Speciosus forma præ filiis hominum, & candor est lucis æternę: vt legitur Sap. 7. Splendor gloriæ. & ad Hebr. 1. Legitimus etiam sponsus est, non adulter, vt de eo debeat anima erubescere. Sed mira insania, legitimum sponsum confiteri dedecus creditur, adulterum verò mundum scilicet absque verecundia confitentur, scilicet quando dicunt quòd ideo se ornant vt mundo placeant. vnde Iere. 3. Sed quomodo si cõtemnat mulier amatorem suum, sic contẽpsit, me domus Israël, dicit Dominus. Hunc sponsum nõ erubescebat illa quę dicebat: Ipsi sum desponsata cui angeli seruiũt, cuius pulchritudinem sol & luna mirantur. O anima, sponsus iste te singulari pugna acquisiuit. Ipse est quem nec mors ab amore tuo separauit. ¶ Male etiã se habet erubescens ad opera bona, dũ ea cõtemnit, & ea facere erubescit. Iniquum est valde bona opera inhonorare, à quibus homo sic honoratur. Eccle. 13. Omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo: quando gloria huius mundi deficiet, tunc gloria dabitur pro bonis operibus. De defectu præsentis gloriæ dicit Psal. Quoniã cũ interierit, non sumet omnia: nec descendet cum eo gloria domus eius.

¶ Quòd bona opera tripliciter glorificent hominem.

BONA opera tripliciter glorificant hominẽ. ¶ Primo, faciẽdo ei societatem in morte, quãdo relinquitur ab amicis carnalibus. vnde in Apoc. 14. Opera enim illorum sequũtur illos. ¶ Secundo ministrando materiã coronæ æternæ. Ber. Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur, paulatim gemmis corona nostra priuatur. ¶ Tertio verò ad modũ vestimenti hominem decorando. Psal. Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato circũdata varietate. Vestis deaurata sunt bona opera ex charitate facta.

Hæc

Hæc tria sunt quæ solent hominem facere glorioſum, Honorabilis ſocietas, decor veſtiũ, & nobilitas. Hæc tria, vt oſtẽſum eſt vir iuſtus ex bonis operibus conſequetur. Ad hunc ſtatum peruenit Chriſtiana religio, quòd hodie inter Chriſtianos Chriſtianè viuere opprobrium eſt: & facilius poſſet Chriſtianus viuere inter aliquos paganos, quàm inter multos Chriſtianos. Mira inſania. Ipſi pagani fidẽ Chriſtianam honorabilẽ reputãt: ipſi verò Chriſtiani vitã Chriſtianã, à qua fides habet valorẽ ſuũ, opprobrio habent. Ber. Quid diuidis opus à fide? Iniquius diuidis, fidem tuam perimens. Nam ſi fides ſine operibus mortua eſt, munus mortuũ offers Deo. Idem: Quid fides quæ nõ operatur ex dilectione, niſi cadauer exanime? Bene honoras Deũ munere fœtido? Bene placas Deum fidei tuæ interfector? Iacob. 2. Sicut corpus ſine ſpiritu mortuũ eſt, &c. Veritas Chriſtianę religionis adeò oditur à multis, etiam qui dicũt ſe Chriſtianos, vt ſcilicet ſigna eius videre nõ poſſint: quam tamen veritatem deberent amare ſuper omnẽ theſaurũ terrenũ: imò etiam adoranda eſſet eis veritas iſta, quãtumcunque fatuis contẽptibilis eſſet. vnde frater Guido Carthuſienſis: Sine aſpectu & decore cruci affixa adoranda eſt veritas. In ſigni huius oſculantur fideles & adorant crucem: multi tamen adorãtes crucem exterius, crucem ſpiritualem interius per contẽptum conculcant, & in eã expuũt, & magnum odiũ videntur habere ad veritatẽ Chriſtianæ religionis, qui etiã ſignis ei bellũ indixerũt.

¶De quatuor remedijs contra malam erubeſcentiam.

Positis his quæ poſſunt valere ad deteſtationem erubeſcentiæ malæ, conſequenter tangemus aliquid de remedijs quibus poſſumus vti contra erubeſcentiam malam. ¶Et ſunt quatuor meditationes valentes contra erubeſcentiam malam. ¶Prima meditatio eſt erubeſcentiæ, ſiue opprobrij, quod Chriſtus pro nobis ſuſtinuit: quod opprobrium prædixerat Ieremias Thren. 3. Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. Si quis bene attenderet opprobrium illud, quod filius Dei pro eo ſuſtinuit, quando poſitus fuit in cruce, paruam reputaret verecundiam, quam pro Chriſto ſuſtineret. Solennitas enim paſchæ erat tunc, propter quam de diuerſis partibus mundi Iudæi conuenerant in Ieruſalem, qui viderũt eum pendentẽ in cruce. Bernar. Grata ignominia crucis, ſed ei qui Crucifixo ingratus non eſt. Et ad Hebræos 12. Per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem cõfuſione contempta, atque in dextra ſedis Dei ſedet. ¶Secunda medi

meditatio eſt erubeſcentiæ ſeu opprobrij quod ſancti ſuſtinuerunt. Vnde ad Hebræos 11. Fide Moyſes grandis factus, negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti. Et Actuum 5. Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. ¶Tertia meditatio eſt illius erubeſcentiæ, quam patientur in futuro illi, qui hic fugiũt eam. Prouerbiorum 10. Quod timet impius, veniet ſuper eum. Et Iob 6. Qui timet pruinam, irruet ſuper eum nix. Gregorius dicit de illis qui voluut repugnare voluntati Dei: Hinc Dei voluntatem peragunt, vnde eum irritare contendunt, & conſilio Dei reſiſtentes obſequuntur: quia hoc diſpoſitioni eius militat, quod per humanum ſtudium reluctatur: qui verecũdiam, vel egeſtatem, vel aliam tribulationem à Deo miſſam nolunt recipere modo, habebunt in futuro eam longe maiorem. Tunc veniet quaſi viator egeſtas, & pauperies quaſi vir armatus. Prouer. 6. Tunc non poterit homo effugere, nec ei reſiſtere. De verecundia quam mali in futuro patientur, legitur Ier. 20. Confundentur vehementer, qui non intellexerunt opprobrium ſempiternum, quod nunquam delebitur. & viceſimotertio: Dabo vos in opprobrium ſempiternum, & in ignominiam æternã, quę nunquam obliuione delebitur. ¶Quarta eſt meditatio illius verecundiæ, de qua Luc. 9. dicit dominus, Qui me erubuerit, & ſermones meos, hunc filius hominis erubeſcet cum venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum angelorum. Tunc illi qui contemnunt modo alios, contemnentur à Deo, vt mors eorum non reputetur ſicut nec mors vnius canis. Ipſe enim Deus ridebit de morte eorum. Prouer. 1. Ego quoque in interitu veſtro ridebo.

De malitia irriſorum quàm nociua ſit eccleſiæ Dei.

CAPVT XVII.

VLtimo loco in tractatu de erubeſcentia, tangẽdum eſt aliquid de malitia irriſorum quæ multum nociua eſt eccleſię Dei, etiam pluſquam hæreſis. Cuius ratio hæc eſt: quia diabolus per irriſores filios Dei ſuffocat, dum paruuli ſunt. Hæc enim eſt vna de aſtutiis diaboli ſuffocare bonum incœptum in germine. Vnde per ſerpentem religionem inchoatam in paradiſo ſuffocauit. Et per Pharaonem populum Iſraëliticũ deſtruere voluit ſubmerſione paruulorum: vt legitur Exo. 2. Et per Herodem Chriſtum paruulũ occidere voluit: & vt eũ occideret, paruulos innocẽtes occidit. Mat. 2. Vnde malitia irriſorũ malitia Herodiana eſt,

quæ filios Dei paruulos occidit. Bern. Malitia Herodiana est, nascentem persequi religionem. Imò maior quàm Herodiana videtur esse malitia irrisorum, quo ad hoc, q̃ Herodes occidit paruulos iam natos: irrisores verò occidunt filios matris propriæ, id est, ecclesiæ, in vtero adhuc existentes. Non enim expectãt q̃ ecclesia pariat eos in sacramento pœnitentiæ, imò quàm citò apparent in eis signa bonæ voluntatis, ipsi suffocant eos, verecũdiam eis faciendo. ¶ Irrisores peiores sunt, quàm draco. De quo draco-ne legitur Apoc. 12. q̃ stetit ante mulierem quæ erat paritura, vt cum peperisset, filium eius deuoraret. Ipsi autem partum matris ecclesiæ non expectant, sicut dictum est. ¶ Derisores sunt vulpeculæ vineam Domini demolientes. Ad modum enim vulpecularũ fraudulenti sunt & dolosi. Cant. 2. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. ¶ Irrisores sunt, vt bufones venenati, qui pati nequeunt odorem vineæ domini florentis. Ipsi videntur esse socij dæmonum, & in lucro & in damno. Si diabolus aliquem amittit, dolet tanquam de proprio damno. Si autem diabolus lucratur aliquem, sicut fit cum aliquis vadit ad prostibulum vel ad tabernam, gaudent tanquam de proprio lucro. ¶ Irrisores sunt aduersarij Saluatoris: quia qui summè Saluatori placent, ipsi odio habent: scilicet salutem animarum. Greg. Nullum sacrificium ita placet Deo, sicut zelus animarum. Ergo sic Deo nihil displicet, sicut impedire salutem animarum. Beatũ Petrum vocauit dominus satanam, quia salutem animarum volebat impedire: vt habetur Matt. 16. Vade, inquit, post me satana. Iudicio ergo Dei irrisor satanas fit, quando irrisionibus suis impedit salutem animarum. Maius damnum videtur facere irrisor Deo, quãdo aufert ei vnam animam, quàm si auferret ei mille corporã cùm vna anima præualeat mille corporibus hominum. Itẽ cum Deus, & tota curia cælestis gaudeant de conuersione vnius peccatoris, irrisores domino suo diabolo se conformantes de illa tristantur. Ipsi videntur esse Christiani, & potius sunt antichristi, id est, Christo contrarij & inimici. 1. Ioan. 2. Nunc antichristi multi facti sunt. Et subditur: Hic est antichristus qui negat Patrem & Filium. ¶ Irrisores apostatæ sunt, vexillum Christi habeates odio. Nunquid apostata iudicaretur, qui non permitteret crucem esse in templo materiali: quanto magis apostata iudicandus est, qui non permittit crucem pœnitentiæ esse in templo spirituali. ¶ Irrisores facti sunt proditores, eodem ore Christum persequentes, quo ad mensam eius comedunt. Ipsi sunt noctuæ lucẽ odientes, & videntes. Sunt etiam lupi agnos Dei, & oues clamoribus exterrentes. ¶ Item ipsi sunt impij in Deum, & matrem ecclesiã, in proximum & in seipsos. In Deum, dum filios eius occidunt: in matrem ecclesiam tam militantem, quàm triumphantem, dum defraudant eam gaudio quod habere debuit de cõuersione peccatorum. Nónne impius esset in matrem suam, qui post quam peperisset filium cum magno cruciatu, quando deberet consolari in filio suo nato, occideret ei illum? Sic facit irrisor matri ecclesiæ. 1o. an. 16. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerũ, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo. ¶ Item impij sunt irrisores in Deum, quia rursum crucifigunt filium Dei, ad Hebr. 6. Et in Psal. Super dolorem vulnerum eius addiderunt, dum animas, pro quibus mortem sustinuit, ei auferunt. ¶ Irrisores etiam sunt impij in proximum, dum vulnus spirituale ipsius iam per pœnitentiam sanatum iterũ concidunt. Iob 16. Concidit me vulnere super vulnus. ¶ Derisores fratres suos à diaboli carcere liberatos iterũ capi faciunt. Non reputaretur Christianus ille qui Christianos liberatos à carceribus paganorum iterum capi faceret: quid ergo dicendum est de his qui liberatos à carcere diaboli iterum capi faciunt? Hi retrogradè diaboli videntur esse. Maiorem compassionem haberent derisores de cane vno, vel de asino suo, quàm de fratribus suis. Si enim canis portaretur à lupo, liberarent eum, si possent. Et si asinus alicuius cecidisset in lutum, ipsi iuuarent ad leuandum eum: fratres verò suos impediunt, ne à lutis infernalibus liberentur, vel ne à luto peccati subleuẽtur. Fratres suos à naufragio liberatos iterum submergi faciunt. Impij etiam sunt in seipsos: quia cum in mari huius mundi naufragentur, tamen pœnitentiam, quæ secundum Hiero. est secunda tabula post naufragium, sine qua euadere nequeunt, odio habent. Ex quo aliquis est in mortali peccato, si omnes angeli, & sancti rogarent pro eo, non posset saluari nisi pœnitentia pro eo intercedat. Vnde mirabiliter esset pœnitentia amanda peccatoribus, tanquam singulare remedium ipsorum. Irrisores ad paradisum transire volunt: tamen pontem, per quem solum trãsire possunt, scilicet pœnitentiam, odiunt. Ipsi propitiatione indigẽt, cum rei sint æternæ damnationis: tamen propitiatorium odiunt, scilicet pœnitentiam, per quam solam Deum possint habere propitium. De propitiatione legitur Exodi 25.

De superbia ornatus lectorum. CAP. XVIII.

Post superbiam ornatus humani, dicendum est de superbo

ornatu lectorum. Notandum ergo quòd tria possunt esse reprehensibilia in lectis: scilicet nimia mollities, nimia pretiositas, & magnitudo. Aliqui enim tam magnos lectos faciunt, ꝙ diabolus bene posset quiescere ibi cum eis. In paruo lecto pauperis, non inuenit diabolus, vbi quiescat. Esa. 28. Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrunque operire nō potest. Et Mat. 12. Cū immūdus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quærens requiē, & non inuenit. Loca arida sunt pauper lectus, & pauper domus pauperis, vbi diabolus nō inuenit requiē.

¶ De sex quæ debent cohibere homines ab ornatu lectorum.

SEX verò sunt quæ possent & deberent cohibere homines à lectis superbis. ¶ Primum est, maledictio quæ fit eis. Amos 6. Væ vobis qui dormitis in lectis eburneis, & lasciuitis in stratis vestris. Pauper intrans lectū suum, benedictione præmissa, facit signum crucis super lectum suum: superbus intrat lectum suū superbū, maledictione Dei præmissa. ¶ Secundū est cōsideratio lecti Dominici, scilicet crucis. De quo lecto Aug. Lectum suum dimisit Christus discipulis suis. Quicunque vult cum illo quiescere in cælo, cum illo in isto iaceat lecto. Moriatur in cruce, si vult Crucifixum placatum videre. Crucem Christi intelligo totā vitam eius cruciatu plenam. Superbus minister est, cui non sufficit lectus domini sui. Bern. Circuire possum cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, & nō inuenio te nisi in cruce. O bone Iesu, ibi iaces, ibi dormis in meridie. Idem: Omnem reuolue vitam Saluatoris, ab vtero virginis vsque ad patibulum crucis, non inuenies in eo nisi stigmata paupertatis. ¶ Tertium est, timor lecti infernalis. De quo lecto Esa. 14. Detracta est ad infernum superbia tua, concidit cadauer tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erūt vermes. Interlin. Cui prius palia auro gemmisque distincta. Satis molestè tustinebunt superbi, qui nunc nullo modo iacerent in lecto, in quo alius iacuisset. qui nunc pati non possunt, ꝙ in lecto eorū esset pulex, quando in lectis eorum erunt tineæ sub eis, & vermes super eos. Ad augmentum verò molestiæ erit, quòd nunquam consueti fuerunt talibus. Ad augmentum etiam pœnæ erit, quòd lecti illi nunquam mutabuntur. Non est ita pulcher lectus in mūdo in quo aliquis non grauaretur iacere per octo dies continuè: quàm graue erit iacere in tam horribili lecto homini delicato pluribus annis, quàm sint aquæ guttæ in mari? ¶ Quartum est, amor lecti interioris. Amore enim illius lecti deberent negligere lectum exteriorem. In lecto conscientiæ quiescerēt ipsi de nocte & de die, & etiam Deus cum illis, si diligentiam debitam haberent circa illum. Ideo laudandus esset per singulas noctes, exemplo Dauid, sicut viri delicati volunt habere candida linteamina quasi singulis noctibus. De lecto isto legitur Cant. 1. Lectus noster floridus. Ecōtrario lectus aliquorum per negligentiam eorū non floridus est, sed sordidus: & vbi quiescere debuerunt cum Deo, ibi inquinantur & cruciantur cum diabolo. ¶ Quintum est, cōsideratio lecti in quo corpus ponetur in morte: scilicet consideratio sepulchri in quo à vermibus corrodetur. Eccl. 10. Cum moritur homo, hæreditabit serpentes, bestias, & vermes. Incōgruum est cadauer poni in tam superbo lecto, quòd ponendum est in tam vili sepulchro. ¶ Sextum est, consideratio illius lecti in quo nobilior pars hominis iacet, scilicet cor: velit nolit superbus, cor illius iacet super lectum immunditia plenum, scilicet stomachum.

De superbia quæ apparet in equitaturis. CAP. XIX.

SEquitur de superbia quæ apparet in equitaturis. Quæ quadrupliciter apparet. ¶ Primo, in multiplicatione equorū, quę prohibita est etiam regi, Deute. 17. Cum fuerit rex constitutus, non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptū equitatus numero subleuatus. ¶ Secundo, in non necessario vsu equorum. Sicut accidit illis, qui per modicam leucam nolunt ire nisi equitent, qui pro nihilo videntur pedes habere, cū non ambulent ex illis. Dauid: Pedes habent & non ambulabunt. Impotentiores videntur esse tales homines paralyticis, cum ire non possunt nisi habeant multos equos. ¶ Tertio, in nimia exquisitione equorum, sicut accidit illis qui equos volunt habere impinguatos ad pascēdum oculos hominum. ¶ Quarto, in superbo ornatu equorū: sicut accidit illis qui Christū dimittunt in pauperibus nudū & famelicū, & equos suos phaleris deauratis, & deargentatis ornant.

¶ De his quæ debent homines cohibere à tali superbia.

MVLTA sunt quæ possent & debent homines cohibere à superbia ista. ¶ Primum est multiplex comminatio, quam facit sacra scriptura equitantibus. Vnde Zach. 10. Cōfundantur ascēsores equorum. & 12. eiusdem: In die illa, dicit dominus, percutiam omnem equū in stupore, & ascensorē eius in amētia. In stupore, dicit glos. ita vt qui viderint percussos stupeant, & ascensores eorum pressi magnitudine periculi vertantur in demētiam. Et Esa. 31. Væ qui descendunt in Ægyptum in equis sperantes. ¶ Secundum est exemplum Christi, qui non legitur equitasse, sed semel tantum asinasse, & tunc ibat ad mortē suam, in signū quòd multi equitādo tendunt ad mortem æternam. Multū deberet mouere

homines exemplum istud Zachar.9.Ecce rex tuus veniet tibi iustus & Saluator: ipse pauper & ascendens super asinam & super pullum filiũ asinæ.Et disperdam quadrigã Ephraim, & equũ de Ierusalem.Dispergere deberet exemplum istud de ecclesia Dei equum.Mirum est, q; non erubescit seruus ire equester, ex quo dominus vadit pedes. Bern. Intolerabilis impudẽtiæ est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, infletur vermiculus, & tumescat. ¶ Tertium, exempla sanctorum.Indecens enim est ex quo filij Dei, sci licet viri iusti pedites incedunt, seruos diaboli equites incedere. Hanc peruersitatem dicit Salomon se vidisse, Eccle.10. Vidi seruos in equis, & principes quasi seruos ambulãtes super terram. ¶ Quartum, est hoc, quòd cum equitaturæ habeantur à superbis ad gloriã, tamen diligenter aspicienti potius cedunt ad ignominiam.vnde frater Guido Carthusiensis: Quomodo nõ gloriatur de fortitudine, qui gloriatur de infirmitate ? Equus qui te ferr, infirmitas tua est, fortitudo esset si eũ ferres. ¶ Quintũ, est hoc, quòd superbia ista apostasia est infidelibus. Abrenuntiauerunt enim põpæ diaboli in baptismo.vnde pompaticè incedere, apostasia est ipsis.Amos 6.Væ vobis qui opulenti estis in Sion, & cõfiditis in monte Samariæ: optimates capita populorũ, ingredientes pompaticè domum Israël. ¶ Sextum est hoc, quòd superbia ista multum constat, & parum habet vtilitatis, quantũ cõstet hęc superbia, multi apertius legunt in libro experientiæ, quàm in libris scripturæ: multi enim depauperati sunt hac de causa, & merito depauperãtur: quia carè emũt equos, & volũtarie equi comedunt super eos.Hic est enim vnus de velocioribus modis depaperãdi aliquẽ, quãdo equi comedũt super eũ: nec solũ superborũ equi comedunt super eos, imò etiam comedunt eos, quando illi equi comedũt de rapina.Comedunt enim super animas pauperum. Vnde hoc modo loquendi, quo aliquis dicitur comedere palliũ suũ, quando comedit illud pro quo palliũ suum impignoratũ est, possumus dicere, q; superborũ raptorũ equi comedunt eos.Nõ multũ etiam vtiles sunt huiusmodi equi, cũ facilius sine equo perueniatur ad cælestẽ patriã, quàm in equo.Facilius enim fugit aliquis, & effugit manus hostiũ infernaliũ sine equo, quàm cum equo.Vnde Esaiæ 30.dicunt mali: Super equos ascẽdemus. Et subditur: Ideo velociores erunt qui persequentur vos. Nec sõlũ parũ vtiles sunt equi superbis, imò etiam valde nociui sunt eis: cùm enim illis sint alligati vinculo vani amoris, ipsi trahunt eos ad patibulũ infernale. Merito in inferno punietur, qui proprijs expensis equos pascit à quibus illuc trahitur. ¶ Septimũ est, amor

amor pauperũ. Timendum est ne Deus multũ offendatur, quoniam subtrahitur ori suo in pauperibus, vnde equi impinguãtur.

De superbia quæ apparet in familia. CAP. XX.

NOtandum quòd tria possunt esse reprehensibilia in familia alicuius potentis. ¶ Primum est, multitudo. vnde Eccles.5. Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedũt eas, & quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis? ¶ Secundum est, vita inhonesta.vnde Bernardus: Nec te dixeris sanum dolentem latera: hoc est, ne te dixeris bonum malis innitentem. Non tuta est bonitas tua obsessa malis, non magis quàm sanitas vicino serpenti.& Dauid in Psalm. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat. Nõ habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, &c. ¶ Tertium est, inutilitas. Fatuum enim est habere familiam sibi inutilem.Prouerbiorum 14.Iracundiam regis seruus inutilis sustinebit.Matth.25.Seruum inutilem proijcite in tenebras exteriores. & sicut diximus prius, Christianos qui pompatici sunt, quantum ad multitudinem equorum, apostatas esse & transgressores baptismatis, quo promiserunt abrenuntiare pompis diaboli: sic possum dicere de illis qui pompatici sunt, quantum ad magnam familiam, qui gaudent de multitudine familiæ sequentis eos.Tali fatuitate laborant quasi laborat ille qui deferens mel, gauderet eò quòd multæ muscæ sequerentur eum. Senec. Multi aliquem comitantur, mel muscę sequuntur, cadauera lupi, frumenta formicæ, prædam sequitur turba ista, non hominẽ. Quandoque familia quam credit superbus esse suam, potius est familia diaboli, custodiens eã diabolo. vendit etiam eam diabolo, dum procurat, quòd ipsa corrumpatur in iudicio vel alio modo: quãdoque etiã viuum sepelit eum, dum ei adulatur.Vnde Greg. loquens de illo verbo Matth.8.Sinite mortuos sepelire mortuos suos, dicit: Mortuus mortuum sepelit, cum peccator peccatorem aggere adulationis premit.Familia etiam superbi eũ comedit, dum temporalia quæ illi vnita sunt per amorem consumit. vnde Augustin. Nimij amatores temporaliũ fecerũt ea mẽbra sua.Vnde vsualiter solent dicere auari cũ bona eorum comeduntur, se comedi.

De superbia conuiuiorum. CAP. XXI.

SVperbia cõuiuiorũ apparet, ¶ Primo in hoc, q; magni & diuites inuitãtur qui nõ indigẽt, & pauperes relinquũtur: cõtra illud Luc.14.Cũ facis cõuiuiũ, voca pauperes, debiles, claudos, cęcos, & beatus eris, quia nõ habẽt vnde retribuãt tibi: retribuetur eũ tibi in retributione iustorũ. ¶ Secũ.in hoc, q; sunt multi mini

stri ibi in superbo apparatu. Qui autem gaudent de multitudine superborũ ministrorum, adhuc veniet hora quòd vellent habere vnum ministrũ leprosum, nec poterunt habere. vnde Luc. 16. dicit diues qui erat in inferno: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum &c. Lazarus plenus fuit hulceribus, & tamen diues eius ministerium desiderabat, pro superbis ministris quos habuerat hic. Non gaudebat Dauid de talibus ministris, cum diceret: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. ¶ Tertio, apparet superbia in varietate ferculorum, & deauratione, & splendore eorundem ad vanam gloriam. Senec. Non magno constat nobis fames, sed ambitio. Idem: Iam non sunt homines dentibus, & ore, & ventre ad pompam contenti: oculis quoque gulosi sunt. ¶ Quarto, apparet superbia in vasis aureis & argenteis. Mira fatuitas, quòd homines volunt habere vasa aurea, & argentea ad replendum ventrem, qui est vas immunditiæ, cũ ad replendum vasa vinaria, quæ munda sunt, sufficiant medio-cria seu vasa lignea. ¶ Quinto, apparet superbia in multitudine muficorum instrumentorum. Iob. 21. Tenent tympanũ, & citharam, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Esaiæ 5. Cithara, & lyra & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis vestris: & opus Domini non respicitis, scilicet iustitiam quam faciet in die iudicij.

De superbia ædificiorum. CAP. XXII.

NOtandum quòd circa ædificia sex possunt esse reprehensibilia. ¶ Primum est multitudo. Esa. 5. Væ qui coniungitis domum ad domum. Item reprehensibilia sunt in ædificiis magnitudo, sumptuositas, & delectabilitas. Delectabilitas verò attenditur circa colores picturarum, & quantum ad caliditatem in hyeme, & frigiditatem in æstate. Ierem. 22. Væ qui dicit, Aedificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa, ecce magnitudo. Quaperit sibi fenestras, ecce delectabilitas. Et facit laquearia cedrina, ecce sumptuositas. Pingítque sinopide. Interlin. id est, Christi sanguine. Item reprehensibile est in ædificiis, quando de rebus iniustè acquisitis fiunt. Ierem. 22. Væ qui ædificat domum suam in iniustitia. Item reprehensibile est in ædificiis intentio mala: quando scilicet fiunt ad vanitatem, non ad necessitatem. Senec. Domus munimentum sit aduersus infesta corpori: hanc vtrum sepes erexerit, an varius lapis gentis alienæ, nihil interest: Scitote homines tam bene culmo, quàm auro tegi. ¶ Contemnite cætera quæ superuacuus labor velut ornamentum ac decus ponit: mementote nihil præter animum esse mirabile, cui

cui magno nihil est magnum.

¶ *De his quæ deberent cohibere homines à superbia ædificiorum.*

ITEM notandum q̃ sex sunt quæ debent homines cohibere ab amore superborũ ædificiorum. ¶ Primũ est hoc, q̃ illi qui amant ea, maledicti sunt, vt patet ex illo verbo Esa. 5. Væ qui coniungitis, &c. & ex illo verbo Ierc. 22. Væ qui dicit, Aedificabo mihi domum latã. Multũ esset maledictio Dei timenda in scripturis sacris, cum tantũ timeatur maledictio facta ab aliquo sancto viro, & cũ dominus dicturus sit maledictis, Ite maledicti in ignẽ æternũ. Matt. 25. Secundũ est hoc, q̃ ædificia superba Deo sunt exosa. Vnde Amos 6. Iurauit dominus Deus in anima sua, dicit dominus Deus exercituũ: Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi. Magna peruersitas est, q̃ homo superba ædificia amet, quæ Deus odit. ¶ Tertiũ verò sunt exẽpla, & præcipuè exẽplũ Christi, qui in natiuitate sua pro domo habuit diuersoriũ. In morte pro domo habuit sepulchrũ. In vita sua non habuit vbi caput reclinaret. Mat. 8. Vulpes foueas habẽt, & volucres cæli in ædificiis nidos: filius autẽ hominis non habet vbi caput suum reclinet. Ber. Intolerabilis impudentiæ est, vt vbi sese exinaniuit maiestas, infleturvermiculus, & tumescat. Ad idẽ valere possunt exẽpla sanctorũ, qui in casulis habitauerunt. Vnde ad Hebr. 11. Fide Abrahã demoratus est in terra repromissionis tanquã in aliena, in casulis habitando cũ Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & cõditor est Deus. Item Paulus primus eremita visitatus est à beato Antonio, qui quæsiuit ab eo, an adhuc Christiana religio ritus gentium in ædificiis sumptuosis imitaretur: & audito quòd sic, ipse flens deplanxit hanc superfluitatem, conquestus homines tãtæ vanitati deditos: cum Christianorum deberet esse cohortatio, dicentium: Non habemus hic permanentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. Quidam etiam antiquorum habitabant in cauernis petrarum, alij in concauitatibus arborum. Legitur etiam de quodam eremita, qui habebat hospitiũ ad modũ sui sepulchri. Cum imperator eũ interrogasset, cur fecit hoc homini morituro: sic præueni sepulchrum. & addidit idem: Melius profilitur de tugurio in cælum, quàm de palatio.

¶ Quartũ est, quia superba ædificia sæpe fiunt de iniuriis pauperum. Ibi enim ponunt quæ deberent dari pauperibus. Hier. loquẽs de Paulo: Nolebat, inquit, in his lapidibus pecuniam effundere, qui cũ terra & seculo transituri sunt: sed in viuis lapidibus,

qui voluuntur ſuper terram, ex quibus magni regis ciuitas extruitur. ¶ Quintum eſt, quia ſæpe ex rapinis & aliis iniuſtè acquiſitis fiunt, vnde lapides & huiuſmodi quæ ſunt, accuſabunt domum domus apud Deum. Habacuc 2. Lapis de pariete clamabit: lapis qui inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.

¶ *De fatuitate illius qui ſuperba ædificia conſtruit.*

SEXTVM eſt, fatuitas quæ eſt in extruendis huiuſmodi ædificiis: quod patet primo, quòd cum vita hominis breuior nũc ſit, quàm antiquorum, ipſi tamen magis ſumptuoſas domos volunt habere, quàm antiqui habuerint. Ipſi ſecundũ Hier. ſic ædificant, quaſi ſemper victuri ſint: ſic autem comedunt & bibũt, quaſi cras morituri, dicentes: comedamus & bibamus, cras enim moriemur. Secundo ex hoc quòd pulchrum ſtabulũ, ſcilicet habitaculum corporis, volunt habere: de domo verò conſcientiæ, in qua Deus debet habitare, non curant. Ipſi pulchras domos ædificant in via, cum potius deberent ædificare in patria. Ipſi domos ædificant, quas ſciunt ex neceſſitate ruituras. Matt. 23. dicit Dominus de ædificationibus tẽpli: Amen dico vobis, non relinquetur lapis ſuper lapidẽ, qui non deſtruatur. Et inter ſigna tẽporũ quæ præcedent diem iudicij enumerat Hier. iſtud, quòd omnia ædificia ruent. Amos 3. Percutiam domum hyemalem cum domo æſtiuã: & peribunt eburneæ domus, & diſſipabuntur ædes multæ.

¶ *De his quæ deberent cohibere clauſtrales à ſuperbis ædificiis.*

SPECIALITER autẽ deberent cohibere clauſtrales à ſuperbis ædificiis iſta quæ ſequũtur. Primo hoc, q̃ cũ ipſi ſint iam mortui mundo, neceſſaria ſunt eis ſepulchra, potius quàm palatia. Secũdo hoc q̃ ſolicitudinẽ circa huiuſmodi ſolet ſequi morũ negligẽtia. Ber. Video quod nõ ſine magno dolore videri debeo quoſdã poſt aggreſſam Chriſti militiã, rurſum ſecularibus implicari negotiis, rurſum terrenis cupiditatibus immergi, cũ magna cura erigere muros, negligere mores. Præterea negligentia exteriorũ ædificiorũ ſignũ eſt q̃ clauſtralis diligentiã habeat circa interiora. Ber. Animũ intentũ interioribus magis deceret incultа & neglecta exteriora, quibus incola domus ſæpius alibi eõuerſari dignoſcitur, qui circa exteriora ſibi viliſſimè denuntiat. Itẽ cõuerſatio clauſtraliũ in cælis debet eſſe: ideo non ita ſolicitè debent ædificare in terra, ſicut illi quorũ cõuerſatio eſt in terra. Præterea ſuperbia ædificiorũ eſt quædã inuitatio ſuperborum hoſpitũ à quibus clauſtrales ſuperbiã addiſcũt. Eccle. 13. Qui cõmunicauerit ſuperbo, induet ſuperbiã. Veriſimile eſt q̃ ſic oportet clauſtrales habere domos humiliores aliis, ſicut & humiliores veſtes aliis. Et ſicut color viridis, & rubeus, & varius, intolerabiles ſunt in veſtibus clauſtralium: ſic huiuſmodi colores intolerabiles videntur eſſe in domibus eorũ. Quòd ſi aliquis dicat, quòd in huiuſmodi condeſcenditur infirmitatibus hominũ: Reſpondeo, quòd tantũ condeſcenſum eſt in aliquibus clauſtris carnalibus hominibus & infirmis, vt pene omnes carnales facti ſint. vnde Bernard. Abiecta ſancta ſimplicitate, quaſi religioſas nobis quaſlã curamus habitationũ honeſtates, in quibus tantũ eſt, compaſſum animabus, vt penè in hoc omnes effecti ſimus animales. Idem, admittãtur animales, ſuſcipiãtur in omni beneuolẽtia charitatis, portẽtur in omni patiẽtia benignitatis: ſed qui eis compatiuntur, non eis conformentur, nec ſic quærant eorũ profectum, vt propter eos cogantur incurrere propoſiti rigoris in religione defectum. ¶ Item clauſtrales vt veri Iſraëlitę vel veri Hebræi debent eſſe, & reputare ſe peregrinos ſuper terram, vnde ædificare debent nõ domos ad habitandũ, ſed tabernacula ad deferendum. Vnde Bernard. Obſecro, in peregritione huius ſeculi, in militia ſuper terram non ædificemus nobis domos ad habitandum, ſed tabernacula ad deferendũ, vtpote citò euocandi & migraturi in patriam & ciuitatem. In caſtris quippe ſumus, in alieno militamus, in alieno laboratur, facile eſt quicquid naturale eſt. Nunquid nõ facile eſt ſolitario, & ſufficiens naturę, & congruũ cõſciẽtiæ, ipſum ſibi cellam de virgis cõtexere, de luto plaſmare, vndecunque operire, & decentiſſimè inhabitare? Quid amplius quærendũ? Et ſi vſu ſapiãt huiuſmodi delectationes, & ſint qui vtãtur tanquã non vtẽtes, tamẽ contemptu melius quàm vſu vincuntur huiuſmodi affectiones. Idẽ: Ipſi de quibus ſolicitudo ſuorum viciorũ inducit contemptũ, & negligentiam omnium exteriorum, ipſi ſibi ædificent formã paupertatis, & ſanctæ ſimplicitatis ſpeciẽ, nulla ſic arctabit artificiũ induſtria ſicut eorum negligentia. Debent etiam clauſtrales à ſuperbis ædificiis cauere propter bonorũ exemplum. Humiles enim domus eorũ, & pauperes, in aliis frænant concupiſcentiã, in aliis verò circa amorem paupertatis efficiunt conſcientiam. Præterea quando clauſtrales conſtruũt ſuperba ædificia, accidit frequenter vt ipſi eõſtruant ea de mẽdaciis. Mittunt enim quæſtuatios prædicatores. Conſtruunt etiã ea de donis male acceptis ab vſurariis & raptoribus: à quo periculo liberi ſunt, quando domus humiles coſtruere volunt. Si verò aliquis dicat, pulchritudines domorum neceſſarias eſſe clauſtralibus ad recreationem: Reſpõdeo, quòd viri ſpirituales potius debent delectari in aſpectu cæli, quàm in aſpectu tecti: & potius

debent

debent admirari opera Dei, quàm opera hominum. Legitur de beato Bernardo, quòd ipse fleuerit quum videret tuguriola pastorum tecta culmo, similia casulis pristinis Cistercien. tunc incipiebant habitare in magnis ædificiis. Pulchritudines istæ forenses, sicut dicit beatus Bernardus, cito propositum eneruant, & masculinum animum effœminant.

De superbia librorum, & de octo quæ valèt ad eius detestationem.

CAPVT XXIII.

SEquitur de superbia librorũ, qua specie laborant qui volunt habere libros deauratos. ¶ Octo verò sunt quę possunt valere cõtra hoc peccatũ. ¶ Primo possũt valere cõtra hoc peccatũ exẽpla, & præcipue exemplũ filij Dei, qui liber vitæ est, qui humiliari voluit vsque ad hoc quòd nouissimus esset. Intolerabile est, enim est superbia in aliis libris, ex quo Liber vitæ tàntum humiliatus est. Dicit enim Hieronym. in primo prologo super Iob: Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis, auro, argentóque descriptos, vel vncialibus, vt vulgò aiunt, literis, onera magis exarata quàm codices, dummodo mihi meisque permittant pauperes habere schedulas, & nõ tam pulchros codices, quàm emendatos. Et Paulus 2. ad Timoth. 4. Affer autem & tecum libros, maximè aurem membranas. ¶ Secundo verò hoc, quòd sapientia declamat cõtra humilia. vnde Matthæi 11. Abscondisti hęc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Amat etiam verba humilia, vt patet in verbis sacrę scripturę, quę valde humilia sunt. Amat etiam humilia corpora. Vnde sapientes homines frequenter parui sunt. vnde Sapiens: Sæpe est sub palliolo sordido sapientia. Prouerbiorum 11. Vbi humilitas, ibi sapientia. Eodem modo amat Sapientia humilẽ scripturam. ¶ Tertio hoc, quòd sacra scriptura humilitatem docet. Vnde humilitatem debet habere. Patre legem, ait Sapiens, quam tu ipse tuleris. Legem humilitatis præcepit secra scriptura, vnde eam debet seruare. ¶ Quarto verò hoc, quòd puerilitas est aureas & argenteas amare literas, & in his delectari. Senec. Plerunque est quòd non pueritia, sed, quod grauius est, puerilitas remanet. ¶ Quinto verò hoc, quòd quasi quoddam spirituale adulterium est, quando amore amplectuntur pulchritudinem scripturæ, quo deberent amplecti ipsam sapientiam. Vnde de illis potest exponi illud 2. Petr. 2. Habentes oculos plenos adulterij & incessabilis delicti. Sapientia sponsa est intellectus nostris. vnde Sapientiæ octauo: Hanc amaui, & exquisiui eam à iuuentute mea, & quæsiui eam mihi sponsam assumere, & amator factus sum formæ illius. Scriptura verò quædam ancilla est ipsius Sapientiæ. Vnde plus debet amari sponsa, quàm ancilla: id est, sapientia, quàm pulchritudo scripturæ. Vnde cauendum est ne ancilla tantæ pulchritudinis sit, quòd relicta pulchritudine sapientiæ animus fornicetur cum pulchritudine scripturæ. ¶ Sexto hoc, quòd valde impium est oculos suos pascere auro & argento, quando homo videt tot filios Dei famelicos. Visus plura habet vnde pasci potest, quàm gustus. Habet enim solem, & lunam, & stellas, & flores innumeros, & multa alia ex quibus pasci potest. Vnde valde impium videtur esse Christiano, ori Dei subtrahere in pauperibus, vnde oculi eius delectentur. Ad quid depingit aliquis homines vel flores in libro suo? Nõne sufficiunt ei, homines & flores quos Deus creauit? ¶ Septimo hoc, quòd tales contumeliam auferunt sapientiæ, cum non reputent dulcedinem eius sufficientem ad consolationem studentium: cum scriptum sit Ecclesiast. 23. Nihil dulcius, quàm respicere in mandatis domini. Et Sapient. 8. Intrans in domum meam conquiescam cum illa, scilicet Sapientia. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tædium conuictus illius, sed lætitiam & gaudiũ. ¶ Octauo hoc, quòd parum valet ista pulchritudo scripturæ: non enim hominem satiat. Vnde Ecclesiast. 1. Non satiatur oculus visu, nec auris auditu.

De superbia cantus, & his quæ sunt reprehensibilia circa cantum.

CAPVT XXIIII.

NOtandum ergo quòd circa cantum hęc sunt reprehẽsibilia. ¶ Primò reprehensibile est, cùm quis nimis blandã vocem quærit, vel ad gloriandum, vel ad delectãdum, vnde Gregor. Cũ blãda vox quæritur, sobria vita deseritur. Augu. Quoties plus me delectat cãtus, quàm res quæ cãtatur, toties me grauiter peccasse cõfiteor. Item reprehensibilis videtur esse in cantu vocis fractio. Vnde in legenda sancti Sebastiani: Putásne illum inter Christicolas numerandũ, qui tonsurã diligit, comam cõponit, sapores quærit, & vocem frangit? Fractio vocis signum est fracti animi. Sicut reprehensibilis est crispatio crinium in hominibus, corrugatio vestium in mulieribus: sic videtur esse reprehensibilis fractio vocis in cantantibus. Et sicut ventus solet facere in aqua crispationẽ quandam: sic ventus vanitatis hanc crispationem seu fractionem vocis frequenter facit. Talis cantus ob lasciuiam factus, similis videtur esse cantui illi de quo legitur Exod. 22. Vocem cantium ego audio, ait Moyses. Cúmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros. In vitulo, qui est animal lasciuum, lasciuia intelligitur. Vnde cantus adorantium vitulum, est cantus eorum qui

qui vocem frangunt ob lasciuiam. ¶ Reprehensibilis est etiam in cantu nimia exaltatio vocis. Sicut faciunt illi qui potius volunt cantare altè, quàm aptè, qui tantum volunt ascendere cantando, quòd quandoque frangunt sibi collum spiritualiter: vel quandoque, ad literam, rumpunt se, quod ex superbia prouenit. Superbia enim plus audet, quàm possit. Reprehensibilis est etiam in cantu additio pũctorum, vel subtractio: quasi enim quædam species barbarismi videtur esse hoc in cantu: sicut in dictione barbarismus fit ex additione vel subtractione literę, vel syllabę. In cantu etiam non videtur esse nimium approbanda vox falsa, præcipuè in cantu claustralium. Et mirum est quomodo vox talis tantum placet quibusdam, cùm ipsa videatur adeò deformis quòd oporteat eam abscondi inter alias voces: alioquin non esset decens vel decora.

Vnde & quomodo oritur superbia, & ex quibus bonis.

CAPVT XXV.

POsuimus primam diuisionem superbiæ, & prosecuti sumus membra eius. Nũc consequens est, vt ponamus secundam & prosequamur. Diuisio vero ista sumitur secũdũ ea ex quibus oritur superbia. ¶ Notandum ergo, quòd superbia quandoque oritur ex bonis naturæ, quandoque ex bonis fortunæ, quandoque ex bonis gratiæ. Bona verò naturæ quædam sunt corporis, quædam animæ. Corporis sunt ista, sanitas, fortitudo, agilitas, pulchritudo: nobilitas, libertas. Bona vero animæ naturalia sunt ista, rectitudo ingenij & velocitas, memoriæ bonitas, potestas tolerandi exercitium spirituale, naturalis dispositio ad virtutes, seu virtus naturalis. Bona vero fortunæ, sunt bona exteriora, quæ sunt in potestate hominum, quæ ab hominibus possunt auferri: vt sunt diuitiæ, deliciæ, dignitates, laus seu gloria, & gratia humana. Bona vero gratiæ sunt scientia & virtutes. Ex istis bonis potest superbia nasci. Superbia enim nascitur ex pulchritudine. Vnde poëta: Fastus inest pulchris, sequitúrque superbia formam. Item nascitur ex nobilitate. vnde Sallustius: Commune malum nobilitatis est superbia. Similiter nascitur ex aliis bonis naturæ. Item nascitur ex bonis fortunæ, sicut ex diuitiis. Vnde Augustin. Vermis diuitum est superbia. Ecclesia. 40. Facultates & virtutes exaltant cor. Item nascitur ex bonis gratię, vt ex scientia. Scientia enim inflat, secundum Apostolum 1. ad Corinth. 8.

Quòd fatuus sit & impius, qui de bonis suis superbit.

CAPVT XXVI.

PRimo generaliter ostendemus, quòd valde fatuus est & impius, qui de bonis suis superbit. Deinde ostendemus de vno

vnoquoque prędictorum bonorum, quòd valde fatuum sit inde superbire. ¶ Et possunt quinque rationes assignari, quare fatuus sit & impius, qui de bonis suis superbit. ¶ Primo, quia ipse quodãmodo inferior est etiã irrationabilibus creaturis in hoc, quòd illæ tantũ sint in miseria pœnæ, ipse vero homo in miseria pœnæ & culpæ. ¶ Præterea, creaturæ irrationabiles vnicam debẽt mortẽ, post quã nihil omnino mali sentiunt: homo verò impius debitor est duplicis mortis, quia post transitoriã habebit æternã: vnde non parũ fatuus est peccator, qui de bonis suis superbit, superiorẽ se aliis hominibus reputãdo, qui quodãmodo brutis inferior est. ¶ Secundò verò fatuus est qui de bonis illis superbit, in quibus eũ ipsa bruta excedunt: sicut est fortitudo corporis, & agilitas. Ipsi etiã Iudæi & Saraceni & alij pessimi homines plus habẽt de illis bonis, quàm ipse habeat. Et etiã ipsi dæmones de scientia, quę videtur esse vnum de maximis bonis quæ habent impij, plus videntur habere, quàm ipsi impij habeant. vnde valde fatuus est qui de bonis illis superbit, in quibus à dæmonibus superatur. ¶ Tertio fatuus est impius, qui de bonis suis superbit, cùm bona illa sint ei ad verecundiam verius, quàm ad gloriam. vnde Aug. loquens ad impium, inquit: Nónne vides te debere erubescere de bonis tuis, si domus tua plena est bonis, & te habeat malum. ¶ Quarto fatuus est impius, qui de bonis suis superbit, quia bona ipsius ei bona non sunt. Sen. Nihil est homini bonum sine se bono. Est ne bonũ homini, quod est ei materia infirmitatis & impedimentũ salutis? Sapiẽs: Omnia quæ extra nos sunt bona, quæcũque fortè hominibus cõtingũt, nõ ideo laudãtur, quia habuit quis ea, sed quia his honestè sit vsus. ¶ Ideò dicit Seneca, quòd stulto nulla re est opus, nulla enim re scit vti. ¶ Quinto fatuus est impius qui de bonis suis superbit: quia tantum habet dispensationem in eis, & periculum ei inde imminet duplex. Periculum enim est ei, si sortem amiserit: periculum etiã est ei, si lucrum non reportauerit. Et de vtroque districta ratio exigetur ab eo. Vnde qui de multitudine istorũ bonorũ superbit, ipse superbit de magnitudine oneris sui.

Quòd fatuum sit de bonis corporis sui superbire, videlicet sanitate, fortitudine, velocitate & pulchritudine, &c.

CAPVT XXVII.

SPecialiter verò fatuũ est superbire de sanitate corporis. ¶ Primo quia ista sanitas momentanea est. Hodie enim qui sanus est, cras infirmus vel mortuus est. Iac. 4. Quę est vita vestra? Vapor est ad modicũ parẽs, &c. ¶ Secũdo, quia corpus hostis familia tua est, & ideo multũ nociuus. Nulla enim pestis efficacior est ad

nocen

nocendum,quã familiaris inimicus, ait Sapiẽs:Non debet ergo aliquis ſuperbire propter ſanitatẽ corporis,ſed potius timere.In maiori enim periculo eſt homo,cũ hoſtis eius ſanus ſit. ¶Tertio fatuus eſt qui de hac ſanitate ſuperbit,quũ ipſa ſanitas vt frequẽtius occaſio ſit infirmitatis animæ,ſicut econtrario ſcripum eſt Eccleſiaſtic. 31.Infirmitas grauis ſobriã reddit animãt. Non eſt quare aliquis ſuperbiat de ſanitate pedis, ſi in capite infirmitatem habeat ad mortem:ſic non eſt ſuperbiẽdum de ſanitate corporis, ex quo in anima infirmitas eſt ad mortem. Homo ſanus corpore,infirmus mente,ſimilis eſt pomo exterius ſano,interius putrido. ¶De fortitudine etiam corporis fatuum eſt ſuperbire, quum ſcriptum ſit Sapientiæ 6. quòd fortioribus fortior inſtat cruciatio,& cum continua lucta ſit inter ſpiritum & corpus.Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.Vnde quanto corpus fortius, tanto magis ſpiritui timendum eſt.Et ad literam hoc videmus frequenter, quòd fortiores corpore,infirmiores ſunt mente. Minus enim reſiſtere poſſunt iræ & luxuriæ & cæteris vitiis. Fatuum etiam eſt ſuperbire de corporis velocitate, cum corpus ſit velut equus quidam, in quo hoſtes infernales vt frequenter ducunt ſpiritum ad mortem ipſius,& vt frequentius quanto iſte equus velocior eſt, tanto facilius ſpiritus ab hoſtibus ſuis capitur. Præterea in velocitate iſta etiã à canibus ſuperamur. Vnde fatuũ eſt quòd homo de hõc ſuperbiat,in quo canibus inferiorem ſe videt. ¶De pulchritudine etiam corporis eſt fatuum ſuperbire,quum corpus ſit velut quoddam ſepulchrum. Auguſt. Corpus peccatoris animæ mortuæ eſt ſepulchrum. Vnde cum peccator de pulchritudine corporis ſuperbiat, ſimile eſt ac ſi mortuus de pictura ſepulchri ſuperbiat:ſimile eſt etiam ac ſi aliquis ſuperbiat de pulchritudine ſterquilinij niue cooperto.

Quòd fatuum ſit de nobilitate generis ſuperbire. CAP. XXVIII.

DE nobilitate etiã carnis fatuum eſt ſuperbire,quum illa nobilitas valde contẽptibilis ſit. Multæ autem cauſæ poſſunt aſſignari quare iſta nobilitas ſit contemnenda. ¶Primo cõtẽnenda eſt,quiavt frequenter nobilitas carnis meliorẽ nobilitatẽ aufert,ſcilicet mentis nobilitatem.Sapiens:Non eſt quo ſibi aliquis de nobilitate corporis vel generis blandiatur,ſi ex meliori parte ſit famulus.¶Secũdo contemnẽda eſt,quia omnes ſumus ex eodem patre & ex eadem matre:non legitur dominũ feciſſe vnum Adam argenteum,vnde eſſent nobiles, & vnum luteum ex quo eſſent ignobiles:ſed vnicum,& illum de luto plaſmauit, ex quo omnes

omnes exiuimus.Vnde ſi aliquis ex hoc ſolo nobilis eſt, quia ex nobili patre, aut nobili matre: aut omnes erimus nobiles, aut omnes ignobiles: quia aut parentes primi fuerunt nobiles, aut ignobiles. ¶Si ipſi fuerunt nobiles, ergo & nos omnes nobiles ſumus,& etiam æquè nobiles ſumus, quũ geniti ex æquè nobilibus æquè nobiles iudicentur.Si verò ignobiles fuerunt, ergo nos omnes ignobiles ſumus,& æquè ignobiles, quam geniti ſumus ex æquè ignobilibus.Malach.ſecũdo:Nũquid nõ pater vnus omnium noſtrũm? Nunquid nõ Deus vnus creauit nos? quare ergo deſpicit fratrem ſuum vnuſquiſq; veſtrũm? ¶Tertio contemnenda eſt nobilitas carnis, quia ipſe Deus contempſit eam. Noluit enim ex nobilibus reges eligere in principio ſynagogæ, imò primum regem de poſt aſinas aſſumpſit, ſcilicet Saul. Secundum ſcilicet Dauid,de poſt fœtantes accepit. In tempore etiam gratiæ potius voluit ignobiles eligere,quàm nobiles. Vnde 1.ad Corinth. 1. ignobilia & contemptibilia mundi eligit Deus. ¶Quarto verò contemnenda eſt nobilitas carnis,quia nõ eſt illius qui de ea gloriatur,ſed potius illorum à quibus ipſe deſcendit. Vnde Seneca: Nemo in gloriam noſtrã vixit,ne quod ante nos fuit noſtrum eſt,animus nobilem facit.¶Quinto verò contemnenda eſt nobilitas carnis, quia materia quam à parentibus contrahit aliquis,ratione cuius nobilem ſe credit, vile quid eſt, & immundum, & erubeſcibile, & opere immundo & erubeſcibili procedit ab eis.¶Vnde quomodo ratione illius materiæ habebit quis nobilitatem, quum illa materia vilis fuerit? ¶Quomodo audet aliquis dicere ſe nobilem generatione, quum quilibet exemplo Iob poſſit dicere: Putredini dixi, Pater meus es, &c.Ideo merito nobilitas carnis contemnenda eſt.imò abominanda eſt.Vnde Lucæ decimoſexto: Quod altum eſt hominibus,abominatio eſt apud Deum. ¶Sexto contemnenda eſt nobilitas carnis,imò potius non eſt reputanda, quum in veritate nobilitas non ſit,ſicut etiam ipſi philoſophi reputauerunt. Seneca: Nemo altero nobilior,niſi cui rectius eſt ingenium,& bonis artibus aptius.Idem:Nihil aliud eſt nobilitas, quàm antiquatæ diuitiæ.Idem:Quid eſt eques,aut ſeruus,aut libertinus, niſi nomina ex ambitione vel iniuria nata? Item Plato ait:Neminem regem,niſi ex ſeruis oriundum eſſe:neminem ſeruum,niſi ex regibus.Omnia iſta longa miſcuit varietas,& ſurſum deorſum fortuna verſauit.

¶ *Quòd nullus ſit nobilis ex eo quòd ex nobilibus parentibus ſit generatus,rationibus oſtenditur.*

RATIONIBVS etiã ostendi potest, quòd aliquis nobilis non sit ex eo quòd ex nobilibus parentibus genitus. Ex eadem enim radice exeunt vile & nobile. ¶ Flos farinæ & furfur ex eadem radice exeunt: tamẽ furfur cibus vilis est quo porci pascũtur, flos autem farinæ cibus nobilis est. Item ex eadem radice procedit spina & rosa. Rosa creatura nobilis est, quia non cessat benefacere hominibus, qui sunt iuxta eam, suum gratum odorem vndique spargendo. Spina verò, quoddam vile est, quia pungit ea quæ iuxta eam sunt. Sic ex eodem patre, & ex eadem matre possunt nasci duo. Vnus tamen erit nobilis, alius ignobilis. Vnus ad modum rosæ non cessabit benefacere vicinis suis. Iste nobilis erit. Alius erit spina in ignem infernalem mittenda, qui non cessabit pungere vicinos suos, hic erit ignobilis. Multis aliis exemplis potest idem ostendi. Ex eadẽ arbore nata sunt duo poma, quorum vnum est sanum, aliud putridum, vel vermem habens. Item ex eodem libero arbitrio procedunt bonũ & malũ. Itẽ si nobile esset quicquid à nobilibus procederet, omnes nobiles essemus, quũ omnes simus à Deo, qui nobilissimus est. Malachiæ 2. Nunquid nõ Deus vnus creauit nos, &c. Item si omne quod ex nobili procedit nobile esset, ergo pediculi & aliæ superfluitates, quæ ex nobilibus procedunt, nobilia essent. ¶ Septimo contemnenda est nobilitas carnis propter onus magnũ quod ei est annexum. Nobilitas carnis quædã possessio est, quæ tãto cẽsu onerata est, quòd magni comitatus & archiepiscopatus nõ sufficiunt ad soluendã censum illum: imò præter hæc necesse est, sicut ipsi nobiles dicunt, quòd ipsi impignorent regnũ cælorum, & seipsos diabolo pro censu isto soluendo. Vnde multis nobilibus magis expediret, quòd ipsi essent leprosi, quàm q̃ essent in statu in quo sunt, sicut aliqui etiam ex eis recognoscunt. ¶ Octauo cõtemnenda est nobilitas carnis, quia est rei contẽptibilis, scilicet corporis, quod est quasi quidam saccus immunditiæ plenus, sicut ea ostenduntquæ exeunt de sacco isto per foramina quinque sensuũ. Origenes: Vilis nobilitas, quæ in locis tam turpibus generatur. ¶ Nono, contemnenda est nobilitas carnis, quia inferior videtur esse nobilitas ista quæ est in hominibus, nobilitate illa quæ in canibus: quum illa nobilitas quæ est in canibus, certa signa habeat exterius quibus agnoscitur, nobiles verò homines non habeant certa signa necessariò quibus ab aliis hominibus dignoscantur. ¶ Decimo, contemnenda est nobilitas ista, quia ridiculosa est. Ridiculum enim est vnũ seruũ aliis seruis nobiliorẽ dicere, vel vnum rusticum nobiliorem aliis rusticis. Sicut filio cuiusdam dimitis burgen. derisoriè dictũ est à quodam, quòd ipse esset de nobilioribus rusticis suæ ciuitatis. Sic cum corpus naturaliter seruus sit (datum est enim spiritui ad seruiendum) & naturaliter rusticum sit, quũ tot rusticitates ab eo quotidie exeant, ridiculũ est corpus vnum nobilius dicere altero, vel vnum nobiliorem altero ex parte corporis. Vnum tamen bonum habet nobilitas quæ carnis dicitur esse, quòd quasi frænum est quoddam quod hõmines debet cohibere ne male agant. Hieron. Nihil aliud video in nobilitate appetendum, nisi quòd nobiles quadam necessitate astringuntur, ne ab antiquorum probitate degenerent. Philosophus: Nobilitatis tantum ad hoc memineris, vt cũ claritate generis, morum sanctitate contendas, & cum nobilitate corpo. ris animi nobilitate proficias. Item: Laudatur in quibusdã, quòd geniti sint nobiles, in aliis quòd nobilitatem virtute sunt assecuti. Pulchrũ est respondisse nobilitati, pulchrũ etiã humilius genus factis illustrasse. Itẽ quidã vituperabat alium de genere suo, dicens: Tu es caput tui generis. Cui ille: Et tu es cauda generis tui. Item quidam sapiens, quum quidam ex patritio genere natus inferior factus ignobilitatem generis illi obiiceret, inquit: Gaudeo quòd ego ex me surrexi, tu ex te cecidisti: generis nostri vtrique sumus decus & dedecus. Et alius Philosophus similiter ali) obiurganti respondit: Mihi obiicis profecisse: crimen meum imputas gloriæ, dum tuum imputas ignauiæ. ¶ Et notandum est, quòd vera nobilitas animi est, vnde illud: Nobilitas sola est, animum quæ moribus ornat.

De animi nobilitate duplici. CAP. XXIX.

ANimi verò nobilitas duplex est. Quædam naturalis, de qua Sen. Quis est generosus ad virtutẽ? bene à natura cõpositus. Alia nobilitas est gratuita, quãdo aliquis gratiam Dei habet qua Dei filius est, quę custodit eũ, vt nulli turpitudini seruiat. Tullius: Liber æstimãdus est, qui nulli turpitudini seruit. Itẽ Sapiẽs, De illa nobilitate glorieris, quæ filios Dei, & coheredes facit. Tũc ille nobilitatẽ suã integrã seruare se putet, si dedignetur seruire vitiis, & ab illis superari. A quo enim quis superatur, eius & seruus est. Ber. An nõ seruus, cui dominatur iniquitas? Quantũcunque aliquis ex nobilibus ortus sit, tamen ignobilis est, si Deũ contemnat, & noluerit ei seruire. Et econtrario quantũcunque ignobilis ortus sit, nobilis tamen est, si Deo seruiat. Vnde 1. Regũ 2. dicit dominus ad Heli: Absit hoc à me, sed quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnũt me, erunt ignobiles.

¶ *Quòd sex sunt signa veræ nobilitatis.*

ET notandum est, quòd sex sunt signa veræ nobilitatis. ¶ Primum est, liberalitas. Vnde Deus, qui nobilissimus est, ipse est liberalissimus. Liberalitas eius tanta est vt non solum sua det, sed etiam seipsum: nec solũ seruientibus sibi dat, sed etiam hostibus suis. Ipse enim solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Matthæi 5. Ipse propter liberalitatẽ suam fecit quæcunque facta sunt. Ad dandũ enim fecit quæcunque fecit. Creaturas enim rationales fecit vt eis daret, alias autem creaturas, vt eas daret. Leo etiam, qui dicitur esse rex animaliũ, quod animal nobile est, liberale est. Vnde Aristo. dicit ipsum esse animal cõmunicatiuũ. Et sicuti liberalitas signum est nobilitatis: ita rapina signũ est rusticitatis. Vnde multi hodie qui nobiles reputantur, rusticissimi sunt, cùm nõ cessent auferre pauperibus, & illis, qui nõ possunt defendere se, sicut magister Alanus ostendit quibusdã militibus. Legebat Alanus apud Montẽ pessulanũ, & audierũt milites vicini q̃ tãtus clericus esset, & quòd ad omnia interrogata responderet: vnde accesserunt ad eum de communi consilio, & quæsierunt ab eo quæ esset maxima curialitas. Qui respõdit eis, quòd dare curialissimũ esset. quo audito, omnes consenserunt responsioni eius. Ideo dicit dominus, quòd beatius est dare, quàm recipere: quia dare facit similem Deo, qui omnibus dat, & à nemine recipit. Ipse verò dixit eis, vt habito consilio ad inuicẽ dicerent ei, quæ inter omnes rusticitates maior esset. Qui habuerunt consiliũ adinuicẽ, & non potuerũt conuenire in idem: vnde reuertentes ad eum, dixerunt quòd non poterant concordare. Quo audito ipse increpauit eos, dicẽs: Ego posueram vos in via per quã posseris quæstionis vobis propositæ solutionem cognoscere. Si enim dare curialissimum est: auferre, quod est ei contrariũ, rusticissimũ est. Vnde vos qui incessanter auferris pauperibus, rusticissimi estis. ¶ Secundum signũ nobilitatis est, gratitudo seu recognitio beneficij. Et per contrarium ingratitudo seu beneficiorũ nõ recognitio, signũ rusticitatis est. Vnde pãtet quòd illi qui nobiles reputantur, qui Deum, qui eos præ cæteris hominibus honorauit, præ cæteris hominibus inhonorãt, subditos etiã suos, qui multo sudore lucrãtur vnde ipsi viuunt, & propter quos ipsi sunt in honore, incessanter opprimunt, rusticissimi sunt. Feris etiam videntur tales deteriores esse: feræ enim officia siue beneficia sentiunt, sicut ait Sen. ¶ Tertium signũ nobilitatis est, mansuetudo & misericordia in ea quæ sunt eis subiecta. Et hoc est vnũ quod valde decens est in his qui potestatẽ habent. Vnde Sen. Nullũ ex omnibus magis clemẽtiã, quàm regem

regem & principem decet. Idem: Iracundissimæ ac pro captu pugnacissimæ sunt apes, & aculeum in vulnere relinquunt: sed ipse rex sine aculeo est. Noluit ipsum natura nec sæuũ esse, nec vltionẽ quæ magno constaret petere, & iram eius inermem reliquit, exemplar hoc omnibus regibus linquens. Pudeat ab exiguis animalibus nos trahere mores. In signum huius mansuetudinis vel misericordiæ inunguntur reges Christiani. Philosophus: Maximã potestatem habens, creatorẽ potestatis iuxta possibilitatem suã debet imitari. In hoc autem Deum maximè imitabitur, si nihil iudicauerit, quàm misereri, pretiosius. Et sicut mãsuetudo in subiectos, signum est nobilitatis: sic & crudelitas in subditos signũ rusticitatis est, & seruitutis. Vnde Pro. 30. Per tria mouetur terra, & quartum quod non potest sustinere. Per seruum, cũ regnare cœperit. Ouid. Asperius nihil est humili si surgit in altum: Cũcta ferit, dũ cuncta timet, desæuit in omnes, Vt se posse putet. nec bellua terrior vlla est, Quàm serui rabies in libera terga furẽtis. ¶ Quartum signũ nobilitatis est, virilitas seu strenuitas in eos qui repugnãt. In signũ huius datur ensis militibus nouis, quo gladio vti debent in hostes, non in subiectos. Multi verò ex istis gladio isto in subiectos vtuntur, quos deberent valde diligere. Hi enim sunt qui iuuant eos, qui etiã fratres eorũ proprios impugnãt, hostibus verò Dei & ecclesiæ peccatis, sed & dæmonibus, vel etiã ipsis persecutoribus ecclesiæ vniti sunt. Impietas talis, impietas diabolica est. Diabolus autem impius est in eos, qui sibi seruiunt. ¶ Quintũ signũ nobilitatis est, timere opprobrium vel seruitutis, vel proditionis, vel alterius cuiusque turpitudinis. Multos tamen ex illis qui nobiles reputantur, videmus, quòd nõ timent pessimam seruitutẽ vitiorum suorum, vel dæmonũ, qui nõ erubescũt confiteri se seruos vilissimorum membrorum illorũ, scilicet qui libidini deseruiunt, quæ seruitus indubitanter seruitute leprosorum peior est. Non erubescũt etiam proditiosè impugnare dominum illum à quo omnia possidẽt, cuius expensis viuunt & vestiuntur. Et non erubescunt etiã omni immunditię peccati se exponere. Ex quo patet eos non esse nobiles, sed valde rusticos. ¶ Sextum signum nobilitatis est, cordis magnitudo, qua quis modica contemnit, & magna appetit. Eõtrario verò signũ rusticitatis est, amorẽ suum ponere in modicis, magna verò negligere. Vnde patet dominas illas, quæ potius volunt amorem suum ponere in vno misero milite, quàm in rege glorię, quòd ipsæ verè nobiles non sunt. Milites etiam non videntur nobiles esse, qui amorẽ suum in terra ponunt, contempto regno

cęlorum, cum tamen tota terra, quasi punctum sit respectu cęli: & quia plus habent de terra, quàm alij, nolunt aliquid habere de cęlo. Si ad aliquem pertineret terra vnius pauperis militis ex parte matris, regnum verò ex parte patris: nunquid non infelix esset, si contempto regno adhæreret illi terræ quæ eum contingeret ex parte matris? Sic infelices sunt illi milites, qui de regno cęlorum non curant, quod ad eos pertinet ex parte patris cælestis, contenti terra ista paupertatis, quæ ad illos pertinet ex parte matris nostræ Heuæ. Pater noster Deus est, mater nostra Heua. Non sic faciebat Dauid in Psal. Quid est mihi esse in cælo, & à te volui, &c.

De consuetudine illarum Ecclesiarum quæ nolunt canonicare nisi nobiles. CAP. XXX.

OStenso quòd nobilitas carnis contemnenda sit, vel non reputanda, tangendum est aliquid de consuetudine illarum Ecclesiarum, quæ nolunt canonicare nisi nobiles. Vnde notandum est, quòd consuetudo illa videtur esse reprehensibilis. Et videntur posse assignari sex causæ huius reprehensibilitatis. ¶ Prima causa est, peruersitas quæ videtur esse in hac consuetudine, quæ peruersitas apparebit si respiciatur causa huius consuetudinis quam ipsi assignant. Dicunt enim quòd ipsi habent multa temporalia quę defensione indigent, nec habent regem, nec alium principem secularem qui eos defendat, ideo oportet nobiles canonicari qui possint ea defendere. Quibus respondeo, quòd sicut ecclesiæ eorum habent temporalia, ita habent & spiritualia, quæ in infinitũ meliora sunt. Vnde si oportet aliquos nobiles canonicari ad defensionem temporalium, multo fortius oportet aliquos literatos, & sanctos canonicari ad defensionem spiritualium. Si verò dicant quòd ibi sint aliqui ignobiles literati ad defensionem spiritualium, sed non canonici: ex hoc apparet quòd ipsi bona temporalia præponunt spiritualibus, ex quo defensores temporalium canonicos constituunt, & superiores aliis.

¶ *De quinque peruersitatibus huiusmodi ecclesiarum.*

ET possunt assignari quinque peruersitates in huiusmodi ecclesiis. ¶ Prima est, quòd ibi est terra sursum, & cælum deorsum. Cælestia enim contemnunt, terrena verò multum appretiant: contra illud Prouer. 25. Cælum sursum, & terra deorsum. ¶ Alia peruersitas est, quòd pedes sunt in loco vbi deberet esse caput, & caput in loco vbi deberent esse pedes. Velut pedes ecclesiæ sunt qui circa terrena soliciti sunt: velut caput sunt qui regere habent ecclesiam, viri scilicet literati. Sed in his ecclesiis pedes sunt in capite, imò ipsi hostes in capite ponuntur. Thren. 1. Facti sunt hostes in cap

in capite. ¶ Tertia peruersitas est, quòd ecclesiæ huiusmodi faciem habent ad posteriora, & dorsum ad anteriora: ipsi iuxta verbum Ieremiæ facti sunt in retro, & non in ante. ¶ Quarta autem peruersitas est quòd ipsi latitudinem scuti qui debebat esse ex parte superiori, posuerunt ex parte inferiori: & ideo contingit quòd ferè omne caput languidum est: iuxta verbum Esaiæ. ¶ Quinta peruersitas est, quòd sacerdores inferiores sunt subdiaconis & diaconis: quod ridiculum est, sicut beatus Bernard. dicit ad Eugenium papam: Ridiculum est, inquit, quòd ministri nostri nostris se presbyteris anteferre conantur. Non hoc ratio habet, non antiquitas habuit, non consensit authoritas: & si de sua consuetudine columna struitur, melius profecto illa quàm summus ordo contemnitur. ¶ Secunda causa reprehensibilitatis est, indiscretio, quæ videtur esse in huiusmodi consuetudine, quæ indiscretio primo consistit in hoc, quòd quando ipsi deberent quærere, quis sit idoneus ad hoc vt sit canonicus, id est, regulariter regens se, & ad regimen plebis episcopum iuuans: ipsi quærunt, quis sit idoneus ad militiam. ¶ Secundo in hoc, quòd quando quærere deberent, an persona sit idonea quæ canonicanda est: ipsi quærunt, quis pater eius fuerit. Vnde illis potest dici quod dicit angelus Tob. 5. Genus quæris mercenarij, an mercenarium? Indiscretio etiam eorum in hoc est, quòd ipsi credunt illud, qualis pater, talis filius: quod verũ est in personis increatis, ad personas creatas extendunt: ibi enim frequenter fallit: frequẽter enim est pater sapiens & filius fatuus, vt patet in Salomone, & Roboam filio eius. ¶ Tertio videtur hęc consuetudo reprehẽsibilis, quia valde nociua est ecclesiæ Dei. Canonici enim militares non bene custodiunt Christum, sicut figuratũ videtur esse in hoc, quòd milites male custodierũt Christum in sepulchro. Lapides sepulchri bene custodierũt milites, sed Christum perdiderunt. Vnde cantat ecclesia: dicant nũc Iudæi, &c. Sic militares canonici lapides castrorum bene custodiunt, sed Christum amittunt. Item ista consuetudo occasio ruinę est in ecclesiis illis, quantum ad spiritualia. Vnde Prouer. 17. Qui altam facit domum, quęrit ruinam. Ista etiam cõsuetudo in ecclesiis illis in magna parte exhæredat Christũ. Frequenter enim quando deberent institui ibi filij Dei, instituuntur ibi filij diaboli. ¶ Quarto videtur reprehensibilis consuetudo ista, quia Christo contraria est. Christus enim ignobiles elegit in ecclesia sua, vt essent humiles. 1. ad Cor. 1. Isti verò nobiles canonicant quasi velint ipsos esse superbos. Christus ex pastoribus & bubulcis elegit reges: isti verò ex regibus eligunt canonicos. Christus fundamentum ecclesiæ po-

fuit humilitatem: ipsi verò econtrario fundamentum ecclesiæ ponunt superbiam. Tale fundamentum poneret diabolus, si ædificaret. Quomodo implent tales illud verbum domini, Ioan. 12. Qui mihi ministrat, me sequatur. Non sunt imitatores Christi, sed sunt quasi antichristi. Et 1. Ioan. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Bern. Si omnis qui se dicit in Christo manere, debet sicut ille ambulauit & ipse ambulare: multo magis qui pro eo ambulare se dicit, qui pro eo legatione fungitur qui ei ministrat, si eum non sequitur, inexcusabilis est. Terrere potest tales illud Matth. 18. Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Paruulus quantumcunque nobilis sit, societatem pauperum non refugit: sic quantumcunque aliquis nobilis sit in ecclesia Dei, societatem ignobilium nõ debet refugere. De societate hominum diuersorum generum in ecclesia Dei, videtur esse dictum illud Esa. 11. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. ¶ Quinto videtur esse reprehensibilis illa consuetudo, quia videtur esse Deo abominabilis. Altitudo enim secularis non videtur Deo placere. Vnde Luc. 16. Quòd altum est hominibus, abominatio est apud Deum. Abominationes Deo offerunt, qui nobiles tantum canonicare volunt. Exo. 18. Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo nostro. ¶ Sexto videtur esse reprehensibilis hæc consuetudo, quia filios diaboli filiis Dei præponit, & generationem immundam generationi cælesti, & nobilitatem putredinis præponunt cuique gratiæ Dei. Nullam autem sapientiam, nullam aliam gratiam nobilitati carnis adæquant. Vnde consuetudo eorum non recipit dispensationem: quia secundum iudicium eorum non inuenit recompensationem, quod non est absque magna contumelia Dei. Sic porcus præponeret volutabrum luti, auro & lapidibus pretiosis. Ad sola temporalia videntur habere oculum ecclesiæ istæ, non solum in canonicorum institutione, sed etiam in prælatorum præfectione, quòd omnino intolerabile videtur, saltem in altero horum deberet respectus haberi ad spiritualia.

Quòd fatuum sit superbire generaliter de qualibet re temporali, scilicet libertate corporis, &c. & bonis naturalibus animæ. CAP. XXXI.

VIso quòd fatuum sit superbire de nobilitate carnis, consequens est videre quòd fatuum sit superbire de aliis bonis quę prius nominata sunt. ¶ Notandum est ergo, quòd fatuum est superbire de libertate corporis, cùm corpus sit seruus maleuolus, & ideo tortura & compedibus dignus: iuxta illud Eccl. 33. Seruo maleuolo

leuolo tortura, & compedes, &c. De bonis vero naturalibus animæ fatuum est superbire: quia bona illa potest homo habere ad malum suum sicut ad bonum. Vnde Bernar. Si in professione religionis nouus homo callidus est ingenio, si viget arte, si præeminet intellectu, instrumenta sunt hæc tam vitiorum quàm virtutum. Non ergo refugiat doceri vti eo in bono, quo & in malo vti potest. Fatuum est etiam superbire de diuitiis. Hoc enim est superbire de hoc, quòd habet maiorem molam ad collum quàm alij. Fatuum est etiam de potestate superbire, cum scriptum sit Sap. 6. quòd potentes potenter tormenta patientur. Ibidem legitur, quòd durissimum iudicium his, qui præsunt, fiet. Et August. dicit quòd quanto quis in loco superiori, tanto in periculo maiori versatur. Fatuum est etiam superbire de gratia humana, cum scriptum sit Prouerb. vlt. quòd fallax gratia, &c. Fatuum est etiam superbire de gloria huius mundi, cum gloria talis flos sit decidens. vnde Esa. 28. Erit flos decidens gloria exultationis. Puerorum est, flores colligere, quæ ex arboribus decidunt, & inde lætari. Sic pueriles sunt qui de gloria huius mundi lætantur. Fatuum est etiam superbire de scientia, cùm scriptum sit Ecclesiast. 1. Qui addit scientiam, addit & laborem. De scientia superbire, est de lumine excæcari. Fatuum etiam est de virtutibus superbire. Hoc enim est de medicamine vulnerari. Gregor. Qui de virtutibus habitis extollitur, quasi de medicamento vulneratur.

De diuisione superbiæ sumpta penes diuersitatem personarum. Et primò de superbia ministrorum ecclesiæ in communi. CAP. XXXII.

POsitis autem duabus diuisionibus superbiæ, consequenter ponenda est tertia, quæ sumpta est secundum diuersitatem personarum, in quibus est superbia. ¶ Notandum ergo quòd superbia diuidi potest in superbiam laicorum, & superbiam ministrorum ecclesiæ. Superbia verò ministrorum ecclesiæ potest sub diuidi in superbiam prælatorum, & superbiam subditorum: vel in superbiam clausralium, & superbiam secularium clericorum. Sed de superbia laicorum nihil specialiter hic dicemus. Sed de superbia ministrorum ecclesiæ hoc modo tractabimus. ¶ Primo, dicemus aliquid de ea in communi. Secundo verò aliqua dicemus specialiter de superbia prælatorum. Tertio verò dicemus aliquid specialiter de superbia clausralium.

¶ *Quòd superbia multum sit timenda ministris ecclesiæ.*

NOTANDVM ergo est, quòd superbia multum timenda est ministris ecclesiæ quinque de causis. ¶ Primo, quia multas occasiones habent superbiendi. Vna occasio est, quòd ipsi sunt exce-

pti à labore aliorum hominum. Vnde in Psalm. In labore hominum non sunt, &c. Ideo tenuit eos superbia. Alia occasio est, libertas quam habent, quæ libertas aliquibus eorum est velamen malitiæ, contra illud 1.Petr.2. Quasi liberi,& non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Tertia occasio est, reuerentia quæ exhibetur eis, eò quòd sunt ministri summi regis, & vicem eius gerunt in terris,& contemptum eorum Deus reputaret contemptum suum:iuxta illud Luc. 10. Qui vos spernit,me spernit. ¶ Secundo, timenda est superbia in ministris ecclesiæ, quia multum displicet Deo in eis.Vnde Prouer.6.Sex sunt quę odit Deus,& septimum detestatur anima eius,Oculos sublimes. Oculi sublimes clerici superbi sunt. Et Soph.1. Et erit in die hostiæ Domini, visitabo super omnem qui arroganter ingreditur super limen. Dies hostiæ Domini erit dies iudicij, quando Dominus mactabit incrassatos, impinguatos, dilatatos. Tunc dominus visitabit super clericos superbos. Nec mirum, si dominus odiat superbiam in ministris suis, cum proprium signum sit superbia ministrorum diaboli: iuxta illud Gregorij, Euidentissimum signum reprobatorum est,superbia,humilitas electorum.Non parum doleret princeps aliquis, si in castro suo vexillum inimici sui videret. ¶ Tertio,valde timenda est eis superbia,quia valde contraria est officio eorum. Ipsi enim sunt quasi custodes scientiæ & vasa gratiarum. Vnde Malach.2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam,& legem requirunt ex ore eius, quia angelus domini exercituum est. Propter hoc, quòd custodes sunt scientiæ, necessaria est eis magna humilitas. Aqua enim sapientiæ ad vallem humilitatis confluit. Prouer.11.Vbi humilitas,ibi sapientia.Propter hoc etiam quia vasa gratiarum sunt,necessaria est eis magna humilitas. Sicut enim vas non est idoneum aliquid recipere absque concauitate: sic aliquis non est susceptibilis gratiæ absque humilitate. 1. Petr. vltim. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Propterea oportet ministros ecclesiæ esse familiares Deo: ad quod etiam multum valet humilitas.vnde Glos.super illud Psal.Iuxta est dominus, his qui tribulato sunt corde. Altus quidem est dominus, sed vicinatur humili, & non se erigenti. Necessaria etiam est eis humilitas propter seruitium quod debent hominibus exhibere. Eorum enim est abluere sordes spirituales hominum: quod figuratum est Ioann.13. in ablutione pedum. Ideo summus inter ministros ecclesiæ, seruum seruorum se vocat humiliter. ¶ Ergo oportet quòd se habeant vt à pauperibus & humilibus non timeantur, sed audeant ad eos accedere confidenter,& vt solatium pau-

peres habeant in humilitate eorum:quia secundum verbum Augustini, Magnum solatium est membris ex capite. Magnum solatium est subditis, qui in humilitate sunt, si videant prælatos suos in simili vel maiori humilitate. ¶ Quarto, timenda est eis superbia, quia multi ex eis non habent vnde pascant superbiam, nisi hoc faciant de spoliis pauperum. Bona enim ecclesiæ, bona pauperum sunt. Præterea valde indecens est superbia in eis, cum ipsi de eleemosynis viuant,& eleemosynas pauperum & miserabilium personarum quotidie edant. ¶ Quinto,timenda est eis superbia,quia peccatum superbiæ in eis scandalizat populum, cum sit manifestum. Incontinentia & alia peccata possunt ipsi abscondere, sed superbiam exteriorem in vestibus, & similibus consistentem non possunt ipsi abscondere.

¶ *Persuasiones contra superbiam ministrorum ecclesiæ.*

Sed contra has & similes persuasiones quæ fiunt ministris ecclesiæ vt caueant superbiam exteriorem, dari solet quadruplex responsio. ¶ Prima est, quòd dominus intuetur cor, & humilitatem cordis requirit,& humilitatis interioris magistrum se profitetur. Matt.11.dicens.Discite à me,quia mitis sum & humilis corde.Et ideo videtur minimè quibusdam necessaria humilitas exterior. ¶ Secunda responsio solet esse, quòd licet homini pulchritudines istas exteriores habere secundum modum personæ suæ, & mores eorum inter quos viuitur: quod videtur sumptum esse ex Glos.super illud 1.ad Tim.2. Non in tortis crinibus. quæ dicit sic: Vt in his omnibus vltra modulum personæ suæ & mores ecclesiæ,monendæ ne concupiscentiæ studeant. ¶ Tertia responsio solet esse,quòd in huiusmodi honor ecclesiæ quæritur. ¶ Quarta est,quòd ipsi non faciant hoc amore vanæ gloriæ: sed vtantur talibus tanquam non vtentes.

¶ *A corde humilis personæ de facili non procedit superbia exterior.*

Sed contra primam responsionem primo videtur esse hoc, quòd non potest esse de facili, quòd à corde perfectè humili exterior superbia procedat. Sicut enim arbor bona non potest malos fructus facere, vt legitur Matth. 7. sic nec cor humile superbiam à se producit. Ex fructu siquidem arbor cognoscitur, vt legitur Matth.12. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic nec ex humilitate cordis procedit superbia operis: quia sicut vulgariter dicitur,Non potest exire de sacco,quod ibi non continetur. Quis credet mulieri,si asserat se castam mente, ex quo hoc ipso videt eam fornicari corpore?sic quomodo potest credi alicui de humilitate cordis,ex quo tanta superbia apparet exterius?

Quòd

¶ Quòd clericis non sola sufficit interior humilitas.

PRAETEREA nō videtur clericis sufficere interior humilitas multiplici ratione. ¶ Primo, quia oportet eos vitare scandala infirmorum. Et sicut tangit Apostolus de illo qui coram infirmo comedebat idolis immolatū, quòd peccaret scandalizando infirmum, qui credebat hoc fieri cum veneratione idoli: licet ille qui sciens erat idolum non veneraretur, sed contemneret. Sic ille qui vestes superbas coram illo defert, qui credit quòd ipse faciat propter vanam gloriam, licet ipse non faciat hoc tali causa, tamen ipse peccat, vt videtur ipsum scandalizando. 1. ad Corinth. 8. Si quis viderit eum qui habet scientiam, in idolo recumbentem, nónne conscientia eius quum sit infirma, ædificabitur ad comedendum idolothyta? Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic enim peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum. Sic minister ecclesiæ debet dicere: Si vestis pretiosa scandalizat fratrem meum, non deferam eam in æternum. ¶ Secundo sufficit humilitas interior clericis: quia ipsi debent Christum imitari, qui non solum habuit interiorem humilitatem, sed etiam exteriorem. Ipse enim, ad literam, pedes iuit, regnum fugit, vt legitur Io. 6. Pedes discipulorum lauit, Io. 13. Societatem pauperum elegit, vbi caput reclinaret non habuit, Matt. 8. Ad imitandum Christum monentur ministri Christi Io. 12. Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et 1. Io. 2. Qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. ¶ Tertio non sufficit clericis humilitas interior, quia oportet eos exemplum humilitatis dare aliis. vnde Ioan. 21. ter dictum est Petro, Pasce oues meas. Pasce verbo, pasce exemplo, pasce temporali subsidio. Exemplo autem humilitatis quomodo pascet, qui humilitatem exteriorem non habet? Ad humilitatem exteriorem monemur 1. Petr. 5. Omnes inuicem humilitatem insinuate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et ibidem paulo antè: Neque dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Exemplum superbiæ ostendere hominibus, hoc est pascere dæmones & nos oues. Bernardus ad Eugenium papam: Tu pastor procedis deauratus, tam multa circundatus varietate: oues quid capiunt? si auderem dicere, dæmonum magis quàm ouium pascua hæc. Sic faciebat Petrus? sic Paulus ludebat? Idem: Petrus nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, non tectus auro, nec vectus equo bo-

bo, nec stipatus milite, nec circunstrepentibus septus ministris: neque hic tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum, Pasce oues meas. ¶ Quarto non sufficit interior humilitas clericis: quia non solum à malo, sed ab omni specie mali eos abstinere oportet: iuxta monitionem Pauli 1. ad Thessalonicenses vltimo: Ab omni, inquit, specie mala abstinete vos. Ad hoc autem quod dominus dicit, Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, &c. Dicendum, quòd hoc dicitur ad ostendendum quòd humilitas cordis necessaria sit, & non ideo quòd sufficiat sola: sed dicitur hoc contra hypocritas, qui solam iustitiam exteriorē habere solebant. Matthæi 24. Væ vobis Pharisæi & hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & catini: intus autem pleni estis rapina & immunditia. Et ecclesiastici decimonono: Est qui nequiter se humiliat, interiora autem eius plena sunt dolo. Contra hoc verò quod dicitur quòd licet alicui habere has pulchritudines exteriores secundum modum suæ personæ, videtur esse illud Ecclesiasti. tertio: Quanto maior es, humilia te in omnibus. qui dixit in omnibus, nihil excepit. Et Lucæ decimoquarto: Cum inuitatus fueris, &c. recumbe in nouissimo loco. non dixit, in medio loco: sed in nouissimo. Præterea qui præeminet in dignitate, debet præeminere & virtutibus, vnde debet esse excellentioris humilitatis: virtutes enim sunt æquales. Contra hoc verò quod dicitur, quòd homo debet se conformare moribus hominum, inter quos viuit: est illud: Nolite conformari huic seculo. Præterea quando aliquis est in aliqua religione dissoluta, non debet respicere ad ea quæ ibi seruantur, sed ad ea quæ instituerunt antiqui patres, vt ibi seruarentur. Ordinauerunt enim Petrus & Paulus etiam de mulieribus, quòd cauerent à pretioso ornatu, primæ ad Timotheum secundo: Non in tortis crinibus, aut auro, vel margaritis, vel veste pretiosa. Et illud eiusdem sexto: Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. Non dicit, quibus ornemur, sed quibus tegamur. Et primæ Petri tertio: Quarum non sit exterior capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus. Ad ea ergo quæ secundum ordinationem eorum debent fieri respiciendum est, non ad ea quæ fiunt. Præterea, si quis episcopus vel presbyter in tali habitu in principio ecclesiæ fuisset, multum reprehenderetur, & haberetur pro magno peccato & magna superbia. Quomodo ergo desiit esse peccatum quod superbia erat? Nunquid consuetudo peccandi aufert vel minuit peccatum? Imò potius hominem magis peccatorem constituit. Nunquid

quod

quod tunc fuit superfluitas & vanitas, modo factum est necessitas? Præterea si viuendum est alicui secundum mores eorum inter quos viuit, secundum hoc si omnes superbi efficiuntur, omnes desinent esse superbi. Iam enim conformauit se moribus eorum inter quos viuit: & si omnes fœtidi fiunt, iam nullus fœtet, quod constat esse falsum. Sed hoc bene verum est, vbi omnes fœtidi sunt, minus fœtor sentitur, secundum verbum Bernard. Præterea si liceret etiam talibus vti, cauendum esset ei qui vtitur, ne licentia sua aliis offendiculum fieret. Vnde 1. ad Corinth. 8. dicit Apostolus illis qui immolata idolis comedebant sine veneratione idolorum: Videte, inquit, ne licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Et 1. ad Corinth. 6. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Bernard. Sapiens opus suum trina consideratione præuenit. Primo considerat an liceat. Secundo, an deceat. Tertio an expediat. Sed de hoc dictum est in tractatu de Auaritia, in cap. de pluralitate beneficiorum. Et in veritate non decent personas authenticas, quæ quasi quoddam speculum debent esse minoribus, vestes prætiosæ. Augustin. Fateor, de pretiosa veste erubesco: non enim decet hanc professionem, non decet admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Contra responsionem eorum qui dicunt se talibus vti propter honorem ecclesiæ, Primò esse videtur quod dicit Grego. Nemo pretiosa vestimenta nisi ad inanem gloriam quærit. Præterea, non cedit ad honorem ecclesiæ, quòd minister ipsius speciem superbiæ exterius ostendat hominibus, sed potius humilitatem Christi: cum scriptum sit Ecclesiast. 23. Magna gloria est sequi Dominum. Neque sponsus ecclesiæ decorem exteriorem in ecclesia requirit, sed potius interiorem. Vnde posquam Dauid dixit, regem concupiscere decorem ecclesiæ, ipse volens innuere de quo decore intelligatur, subdit: Omnis gloria eius, scilicet filiæ regis, est ab intus. Ecclesia etia dicit de se Canticorum primo: Nigra sum, sed formosa. Nigra est ecclesia exterius, formosa verò interius. Quod etiam habitus ministrorum ecclesiæ manifestè exprimit. Habent enim capas nigras exterius, superpellicium candidum deferentes sub capis: in quo ostendunt se contemnere gloriam, & pulchritudinem exteriorem, & amare pulchritudinem & gloriam interiorem. Sed multi si veritatem in habitu suo ostendere vellent, potius capam nigram sub candido superpellicio deferrent, quàm econtrario. ¶ Præterea qui dignitatem ecclesiasticam terreno honore volunt ornare, similes sunt illis qui aurum luto volunt ornare. Honor enim terrenus in

in comparatione ad dignitatem ecclesiasticam se habet vt lutum ad aurum. Contumeliam etiam videtur facere naturæ humanæ, & Deo, ad cuius similitudinem homo creatus est, qui talibus hominem ornare vult, vel honorare. Senec. Scitote tam bene homines culmo quàm auro tegi. Contemnite omnia quæ superuacuus labor vult, ornamentum aut decus poterit cogitare. Nihil præter animum est mirabile. Item cum aliquis non debeat sibi terrenam gloriam amare, videtur quòd similiter nō debeat eam amare proximo, cum debeat proximum diligere sicut seipsum. Igitur nec debet eam amare ecclesiæ, cum ecclesia nihil aliud sit, quàm collectio fidelium. Præterea, quid quærunt ministri ecclesiæ in huiusmodi pulchritudinibus exterioribus? Quærúntne ibi beneplacitum Dei, vel vtilitatem propriam, vel proximi? Si quærunt beneplacitum Dei, factè agunt. Deus enim spiritus est, & decor spiritualis placet ei. Hieronym. Non tenera vestis, sed munditia mentis ornatum facit clericum. Multa etiam sunt quæ constat magis placere Deo, vt sunt opera pietatis, in quibus possent expendi quæ in exteriori pulchritudine expenduntur. De huiusmodi expensis, quæ pro pulchritudine exteriori fiunt, incertum est an Deo placeant. Tene certum secundum verbum Augustini, & dimitte incertum. Item constat sanctitatem Deo placere. Ilam enim expresse requirit Dominus Leuitic. 19. Sancti, inquit, estote, quia ego sanctus sum. Et Apostolus 1. ad Thessalonicen. 4. Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra. Si ergo quærunt Deo placere, sanctitatem honori, non honorem sanctitati debent præferre. Cuius contrarium in multis ministris ecclesiæ apertè quotidie videmus. Vnde Bernardus: Videmus omnē ecclesiasticum zelum feruere pro sola dignitate tuenda. Honori totum datur, sanctitati nihil: imò, quod plus est, de placitis Dei non curant, nec de propria salute, & plus grauarentur expendere denarium vnum pro amore Dei, & propria salute, quàm decem libras pro amore huius mundi. Bernard. De placito Dei vltima mentio est, pro iactura salutis nulla cogitatio, nisi quod sublime est hoc salutare dicamus, & quod gloriam redoleat, hoc iustum. Constat etiam quòd non vtilitatem proximi in hoc quærunt, quum videant quòd in hoc potius proximum scandalizent, quam ædificent. Vtilitas etiam propria non apparet ibi. Bene apparet quòd multum constant talia, sed fructum quem consequentur ex huiusmodi expensis, non videmus. Et hoc solum deberet sufficere ministris ecclesiæ ad contemptum talium. Senec. Omnibus consiliis & rebus faciamus quod solemus facere, quoties

ad

ad institorem alicuius mercis accesserimus, videamus hoc quod concupiscimus quanti deseratur. ¶Præterea distinguamus diuersas intentiones, quæ in talibus pulchritudinibus possunt incidere, vt appareat vtrum aliquo modo talia ministris ecclesiæ licita sint. Et constat quòd si fiant propter luxuriam vel vanam gloriam, illicita sunt. Item si ex superbia fiant, scilicet intentione & desiderio excellendi alios, constat similiter quòd sint illicita. Si verò fiant vt erubescentia vitetur, quia erubesceret aliquis quòd non esset honorabiliter indutus sicut alij, neque in hoc casu absque culpa esse videtur. Non enim debent Christiani humilitatem Christi erubescere. vnde Bernardus: Grata ignominia crucis, sed ei qui Crucifixo ingratus non est. & Dominus Lucæ nono: Qui autem erubuerit me, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet cum venerit in maiestate sua, & Patris & sanctorum angelorum. Si verò talia fiant, & ministri ecclesiæ ab hominibus honorentur, videtur quòd hoc sit ponere laqueum simplicibus. Videntur enim simplices peccare, quando ministros ecclesiæ propter pulchritudinem vestium honorant. Ad quod videtur pertinere illud Osee 5. dictum ad sacerdotes: Laquei facti estis speculationi. Qui homines propter vestes honorant, vel propter diuitias, videntur contemnere humanam naturam, cui vestes & diuitias præponunt. Videntur etiam Deum contemnere, ad cuius similitudinem homo factus est, vnde Iacobi secundo: Si introierit in conspectu vestro vir aureum anulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eũ qui indutus est veste pretiosa, & dixeritis, Tu sede hic bene: Pauperi autem dicatis, Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices iniquarum cogitationum? Si verò isti faciant ministri ecclesiæ, ne dissimilitudine fugent homines à se, licet hæc intentio recta videatur, tamen neque sic omnino laudabiliter facere videntur. Sicut enim humilis habitus aliquos diuites forsitan fugaret: sic pretiosus habitus pauperes ab eis fugat, vt non audeant ad eos accedere. Si verò ista faciant ministri ecclesiæ ne ab hominibus contemnantur, neque in hoc laudabiles videntur: cum ad perfectionem pertineat spernere seipsum. versus: Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese, Spernere se sperni, quatuor hæc bona sunt. Senecæ. Æquo animo audienda sunt imperitorum conuitia, & ad honesta eunti contemnendus est ipse contemptus. Bernardus: Verus humilis non vult humilis prædicari, sed ciuilis reputari. Si

Si verò talia faciant ne vilescat dignitas ecclesiastica, respondeo quòd magis vilescit, quum conspicitur in hominibus qui superbi apparent. Homines etiam illiterati non possunt credere, quòd dignitas vel potestas ecclesiastica in hominibus sit, quos credunt esse malæ vitæ: vnde dicunt hæretici, quòd sacerdotes praui non dant vera sacramenta. Præterea, si dignitas ecclesiastica sic seruanda fuit ne vilescerct, nunquid hæc ignorauit Christus? Quare ergo non instituit ꝙ apostoli & discipuli sui equitarent, & purpura & byssio induerentur? Nónne quod stultum est Deo, sapientia est hominibus? vt legitur 1. ad Cor. 1. Item quis nesciat quòd displicet sponso, si videat sponsam suam facere multas expensas ad ornandum se, vt placeat adultero suo & inimico sponsi sui, præcipuè si filij sponsi indigeant illis quæ sic expenduntur: scilicet pauperes Christi, qui esuriunt? Sponsus ecclesiæ Christus est: adulter vero mundus iste, qui inimicus Dei est, adeò vt qui amicus vult esse mundi, inimicus Dei constituatur. Iac. 4. Adulteri, nescitis quia amicitia huius mundi inimica est Deo? Qui ergo voluerit amicus esse huius mundi, inimicus constituitur Dei. Vnde verisimile est, ꝙ multum displiceat Deo quando ministri ecclesiæ tot & tanta expendunt vt placeant mundo, cum videant tot filios Dei esurire, & sitire, & nudos esse. Mirum est etiam cum qua conscientia multi magni prælati dicant versum illum in horis suis, Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, cum coram Deo apertè mentiri videantur, ex quo permittunt ministros suos floribus coronatos, & alio superbo modo ornatos sibi ministrare. Præterea quæritur, quare dominus sacco vili carnis hominem induit, si saccum illum purpura superindui voluit. Quis illum mercatorem non reputaret fatuum, qui bagam suam de scarleto burello cooperiret, si voluntas sua esset, quòd iterum super burellum scarleta poneretur? ¶Contra quartam vero responsionem, qua dicunt ministri ecclesiæ, ꝙ ipsi non amant vanam gloriam, nec ad vanam gloriam talibus pulchritudinibus vtantur, sed habent eas tanquam non habentes, primo videtur esse verbum Greg. prius positũ: Nemo enim pretiosas vestes, nisi ad inanem gloriam quærit, vt videlicet cæteris honorabilior videatur. Nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi à nemine possit videri. Secundo videtur esse contra illam responsionem hoc, quòd mirum est, quòd vanam gloriam tam carè emunt, si eam non amant. Videmus quòd multi non libenter expenderent pro æterna gloria decem solidos, pro vana gloria centum solidos expẽdunt. Item si nõ amant

uanam gloriam, quare ostendunt hominibus in habitu suo quòd ament, cum in hoc ipso scandalizent eos? Quid prodest sermone ad humilitatem, & opere ad superbiam? cum secundum Bern. efficacior sit vox operis, quàm vox sermonis. Præterea, nónne ministri ecclesiæ exemplum debent dare hominibus contemnendi gloriam mundi, sicut & Christus fecit? Augu. Omnia terrena contempsit homo Christus Deus, vt ab hominibus contemnenda monstraret: & omnia aduersa sustinuit, vt sustinenda doceret. Quare etiã quædam alia pertinentia ad hanc materiam in tract. de Auaritia, in ca. de Prodigalitate clericorum. Illa etiam quæ dicta sunt prius contra superbum ornatum, & contra alias species superbiæ exterioris, possunt similiter valere contra superbiam clericorum.

De superbia prælatorum, & quòd multum conandum sit contra eorum superbiam. CAP. XXXIII.

ET notandum est quòd multum conandum est prælatis contra superbiam, & ad humilitatem. ¶ Primo, quia multum monet eos sacra scriptura ad hoc. Vnde Deuter. 17. Præcipitur de rege constituto super Israël, vt non eleuetur cor eius in superbia, super fratres suos. Et Eccle. 3. Quanto magnus es, humilia te in omnibus. Et 32. eiusdem: Rectorem posuerunt te, noli extolli, sed esto in eis quasi vnus ex illis. Et Matthæ. 18. dicit dominus ad apostolos, quorum locum tenent prælati: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis à vestra elatione. Dicit interlinear. & efficiamini sicut parũuli, non introibitis in regnum cælorum. ¶ Secundo monet eos ad hoc ipsa natura. Aurum enim quod pretiosissimum est inter meralla, contendit habere infimum locum: ponderosissimum est enim. Sic quanto aliquis superior sit, tanto ad humilitatem conari debet. ¶ Tertio verò quia ipse author naturæ monet eos ad hoc, qui cum esset summus, nouissimus virorum fieri voluit, iuxta illud Esa. 53. Desiderauimus eum virum despectum, & nouissimum virorum. Bernard. Quid magis admirandum, quid amplius detestandum, quid grauius puniendum, quàm quòd videns Dei filiũ summũ in regno cælorum nouissimum factũ in regno hominũ? vt quid apponat magnificare se homo super terram? ¶ Quarto vero q̃ valde pretiosa est & magnę virtutis in talibus personis humilitas. Bern. Quum omni indifferenter persnæ humilitas sit quædam turris fortitudinis à facie inimici, nescio quo pacto vis eius maior in maioribus, & clarior in clarioribus comprobatur. Idem: Non magnum est esse humilem in abiectione, magna prorsus & rara virtus humilitas honorata. ¶ Quia

¶ Quintò verò, quia ex hac parte prælati sunt debiliores. Ex illa parte præcipuè muniendum est castrum, ex qua parte debilius est. Ex illa parte præcipuè resistendum est hostibus, ex qua parte præcipuè impugnant. Sic quando aliquis videt se pronum ad aliquod vitium, vel à natura, vel alia occasione, ipse debet se multum flectere ad oppositum: sic enim faciunt, secundum verbum Sapientis, qui tortuosa lignorũ dirigunt. Superbia enim multum infestat prælatos. Perflant enim altissima venti. Superbia in alto loco nata, scilicet in cælo, alta petit. vnde pauci sunt, qui in dignitate veram humilitatem seruent. Quod patet in lib. Reg. vbi de tot regibus legitur, quòd excelsa nõ abstulerunt. ¶ Sexto, quia prælati maiori scientia & gratia indigent quàm alij, & ideo maius vas humilitatis eis est necessarium. Præterea prælati custodes sunt sponsæ: & ideo necesse est, vt nec in habitu, nec in alio appareant in eis aliqua signa vel lasciuiæ, vel luxuriæ, quod tamen valde male hodie seruatur. Bernar. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus, tanquã sponsa procedens de thalamo suo. Nempe si quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis quàm sponsæ custodem. ¶ Et notandum quòd ad hæc duo prælati multum deberent niti, vt præessent vtiliter & humiliter: & infra hæc duo limitata deberent esse ea quæ ipsi iniungunt subditis. Sed sicut Bern. dicit: Pauci profecto sunt qui vtiliter, Pauciores qui humiliter præsint.

De quadruplici superbia claustralium. CAP. XXXIIII.

QVadruplex superbia in claustralibus solet inueniri. ¶ Prima species superbiæ est eorum qui sapientes se credunt, & ideo sensu suo se regere volunt, & multũ sunt suæ voluntatis. De hac superbia dicit Bernar. Superbia quantum illis prudens videatur esse, dimittenda est & abigenda. Si enim admittatur superbia, prima die qua incipit habitare, incipit leges dare. Prouerbi. 26. Vidisti hominem sibi sapientem videri? magis spem illo habebit insipiens. Tales nolunt facere quod eis dicitur, etiam si prius habebant voluntatem, quàm eis diceretur. Grego. Superba mens ad ea quæ non appetit, nullis adhortationib. flectitur: ad ea verò quæ appetit, sponte etiam cogi quærit: Et hæc species superbiæ præcipuè periculosa est in nouitiis. vnde Bernar. Nouitium prudentem, insipientem, sapientẽ in cella diu posse cõsistere impossibile est. Stultus ergo fiat, vt sit sapiens. Et hæc omnis eius sit discretio, vt in hac nulla ei sit discretio: hæc omnis eius sapiẽtia sit, vt in hac parte ei nulla sit. ¶ Secunda species superbiæ est eorum

clauſtralium qui deſpiciunt ſeculares & peccatores, credentes ſe inquinari ex conſortio eorum, ſimiles Iudæis, de quibus dicitur Ioan. 18. qui non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, ſed manducarent paſcha. ¶ Timebant enim ſe inquinari cohabitatione infidelium, & non timebant ſe inquinari ſanguine innocentis, ſcilicet Chriſti. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes: vt dicitur Matth. 23. De talibus legitur Eſa. 65. Qui dicunt, Recede à mè, nõ appropinques mihi, quia immundus es. Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Deut. 23. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt: nec Aegyptiũ, quia aduena fuiſti in terra eius. Iſti non attendunt ꝙ in ſeculo aliquis poteſt ducere vitã religioſam, & aliquis in clauſtro vitam ſecularem: quod figuratũ videtur eſſe Ioſu. 4. vbi præcepit dominus, ꝙ duodecim lapides ſumerentur de medio Iordanis, & ponerentur in loco caſtrorũ. Alios etia duodecim lapides de ſicco poſuit Ioſue in medio Iordanis. Aliqui enim ſeculares quo ad meritũ ſunt clauſtrales, & ecõtrario. Per lapides qui in fluuio erant, intellige eos qui ſunt in fluxu huius mundi. Per illos qui in arido, intellige illos qui ſunt in clauſtro. Greg. In examine recti iudicis, mutat merita ordinũ qualitas actionũ. Et quidã in meliori ordine deteriores ſunt: quia & iſti ſorte extremi habitus bene viuẽdo tranſcendunt, & illi ſuperioris loci meritum non exequendo dimittunt vel diminuũt. Sancto Paphnutio oranti, cui ſanctorum eſſet ſimilis: reſponſum eſt primo, ꝙ cuidã ſymphoniaco, qui quærebat victũ arte cantandi. Et cum Paphnutius eum inueniſſet, quæſiuit eũ ſi alicuius meriti eſſet apud Deũ. Qui reſpondit, ſe nihil meminiſſe feciſſe, niſi ꝙ quum ipſe latro eſſet, & quædam mulier eſſet capta, quam ſocij volebant violare, reſtitit eis, & eripuit eã. Et alio tẽpore cum quædam mulier lamentaretur per eremum, eò ꝙ filij ſui tenerẽtur in captiuitate, ipſe eam tranſeuntẽ reduxit ad refectionẽ, & dedit ei trecentos ſolidos, quibus redemit maritum & filios. Poſtea ille ſymphoniacus dimittens artem cantandi, intrauit eremum, hortatu Paphnutij factus vir ſanctus. Et cum mortuus fuiſſet vir ſymphoniacus, iterũ orauit Paphnutius, cui ſanctorũ ſimilis haberetur. Et reſponſum eſt ei: Similis es primario vici huius qui eſt in proximo. Cúmque veniſſet ad eum, & inquiſiuiſſet de vita eius, dixit ſe eſſe coniugatum, & libenter ſedantem lites, hoſpitalẽ, qui non cognoſceret vxorem niſi cauſa prolis, non raptorẽ, non lædentẽ vxorẽ, famulos, vel greges, vel fruges aliorum. Et idem in hortatu Paphnutij venit ad eremum. Et cum mortuus fuiſſet, iterum dictum eſt ei,

ei, ꝙ ſimilis eſſet cuidam negotiatori venienti ad ſe. Cui cum occurriſſet Paphnutius, hortatus eſt eum ad eremũ: qui acquieuit ei, & omnia diſtribuit pauperibus. Et non poſt multum tempus mortuus eſt. Et poſtea per vocem eius Paphnutio reuelatũ eſt, ꝙ eſſet citò moriturus & aſſumendus in cælũ, & hoc non eſſe ideo ei prius reuelatum, ne fortè elatus aliquod damnum ſui laboris inde incurreret. Et mortuus eſt, aliis videntibus anima eius ab angelis pſallentibus delata eſt in cælum. ¶ Tertia ſpecies ſuperbiæ eſt eorum qui volunt habere in clauſtro quæ non habebãt in ſeculo: vt delicias vel magnum nomen, contra hoc, quod dicit Aug. Qui autẽ non habent, non ea quærant in monaſterio, quæ nec foris habere potuerũt. Et iterũ: Non erigant ceruicem, quia eis aſſociantur ad quos foris accedere non audebant: ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant, ne incipiant monaſteria eſſe vtilia diuitibus, non pauperibus, dum diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Quidam etiam qui ante clauſtri ingreſſum vix in ſuo vico vel oppido cogniti fuerant, pòſt circumeuntes prouincias, & curias frequentantes, regum notitias & principũ familiaritates aſſequuntur. Quarta ſpecies ſuperbiæ eſt ſuperbia eorum qui in clauſtro gloriantur, vel ſuperbiũt vel de diuitiis quas habuerunt in ſeculo, vel de hoc, quòd contulerunt eas clauſtro, vel de aliquibus quæ ſtrenuè egerunt in ſeculo. Vnde Auguſt. Nec extollantur, ſi communi vitæ aliquid de ſuis facultatibus contulerunt: nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, ſi eas monaſterio partiantur, quàm ſi eis in ſeculo frueren tur. Et iterum: Quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri, quum anima miſera ſuperbior efficitur diuitias contemnendo, quàm fuerat poſſidendo? Ber. Nonnunquam audiuimus aliquos de his qui religioſe veſtiti & religionem profeſſi ſunt, reminiſci & iactitare mala ſua præterita, quæ verbi gratia, aliquando vel fortiter gladiatorio, vel arguè in literatorio geſſiere conflictu, ſiue aliud quiddam ſecundũ mundi facultatem fauorabile, ſecundum ſalutẽ verò animæ nociuũ, pernicioſum & damnoſum, ſecularis adhuc animi indicium eſt hoc: & humilis habitus qui geſtatur à talibus, non ſanctæ nouitatis eſt meritum, ſed priſcæ vetuſtatis operculum.

De duodecim gradibus ſuperbiæ ſecundum Ber. CAP. XXXV.

PRæter tres diuiſiones ſuperbiæ prius poſitas, ſunt aliæ duæ diuiſiones, quæ videntur quodammmodo pertinere ad peccatum ſuperbiæ. ¶ Prima eſt, graduũ ſuperbiæ. Secunda verò eſt quorundam vitiorum, quæ ex ſuperbia procedunt. De vtriſquo

ergo tractabimus. Sed primo de gradibus superbiæ. ¶ Notandum est ergo q̃ duodecim sunt gradus superbiæ, quos beatus Bernar. distinguit. ¶ Primus gradus est curiositas, quæ secundũ Bern. his indiciis deprehenditur. Si videris monachum, de quo prius bene confidebas, vbi stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectũ, aures portare suspensas, è motibus exterioris hominis interiorem immutatum hominem agnoscas. Oritur autem secundum Bernar. ista curiositas in alios ex incuria sui. vnde ipse ait: Dum anima à sui circunspectione torpescit, incuria sui, in alios curiosam eam facit. Idem: Quò à te curiose recedis? Cui te interim committis? Nunquid audes oculos leuare in cælum, qui peccasti in cælum? Terrã intuere, vt cognoscas teipsum: ipsa te tibi repræsentabit, quia terra es, & in terrã ibis. ¶ Secundus gradus est leuitas, quæ secundum Bern. sic oritur ex gradu præcedenti. Monachus, qui sui negligens est, alios curiose circunspicit, dum quosdam suspicit superiores, quosdam despicit inferiores. In aliis quidem videt, quod inuidet, quod in aliis irridet: inde animus nulla sui cura grauatus, per superbiam ad alta se erigens, modo per inuidiã tabescit, nunc per excellentiam pueriliter hilarescit, & q̃ superati se dolet, & q̃ superare se gaudet amor propriæ excellẽtiæ facit. Quibus verò indiciis iste gradus perpẽdatur, Ber. ostẽdit, dicens: Has animi vicissitudines nũc pauca & mordacia, nũc multa & inania, nũc risu, nũc luctu plena, semperverò irrationabilia indicãt verba. ¶ Tertius gradus est inanis lætitia, quę secũdũ Ber. sic oritur ex precedẽti. Monachus qui duos gradus superbiæ ascendit, cùm gaudiũ videt interpolari tristitia, quam de bonis alterius contrahit, impatiens suæ humiliationis, fugit ad consilium falsæ consolationis. Ex illa parte qua sua sibi vilitas, & aliena excellentia mõstratur, restringit curiositatẽ, vt in quo ipse videtur excellere, curiosius noter, in quo alter præcellit, semper dissimulet: vt dum deuitat quod triste patatur, lætitia cõtinuetur. Deprehenditur etiã iste gradus his indiciis, secũdũ Bern. Rari vel nulli gemitus sunt, vel lacrymæ. Putes. si attendas aut sui oblitũ, aut ablutũ à culpis: si in signis scurrilitas, in fronte hilaritas, vanitas apparet in incessũ. Pronus ad iocum, facilis & promptus ad risum. Similis est vesicæ turgidæ vento, pũcto perforatæ exiguo, quæ si stringitur crepitat, & crebros sonitus reddit, vento non passim, sed stricti egredientes sic ventus vanitatis à monacho non valẽs liberè egredi propter disciplinam silentii, inter angustias fauciũ per cachinnos emittitur: & cum os obstruxerit, per nares sternutare auditu. ¶ Quar-

tus gradus est iactantia in multiloquio, quæ secundum Bernar. ex præcedenti gradu sic oritur. Postquam vanitas crescere, & vesica grossescere cœperit, necesse est vt ampliori foramine laxato sinu ventositas eructetur, alioquin rumpetur. Deprehenditur autem gradus iste his indiciis: Qui in isto gradu est, esurit & sitit auditores, quibus omne quod sentit effundat, præuenit interrogantem, non quærenti respondet. Ipse quærit, ipse soluit, & verba collocutoris imperfecta præscindit. Pulsato signo breue conqueritur interuallum. Si de religione agitur, statim visiones & somnia proferuntur. Laudat ieiunia, commendat vigilias, super omnia orationes exaltat. Si ad ludicra sermo conuertitur, in his quanto assuetior, tanto loquacior inuenitur. Dicas, si audias, fluuium esse scurrilitatis os eius, ita vt scueros & graues animos in leuitatem concitet risus. ¶ Quintus gradus est singularitas quæ à præcedenti gradu sic oritur, secundum Bernar. Turpe est ei qui se suprà cæteros iactitat, si non plus cæteris agat aliquid, vt vltra cæteros appareat. Perpenditur autem gradus iste his indiciis. Qui in hoc gradu est, plus sibi blanditur de vno ieiunio, quod cæteris prandentibus facit, quàm si cum cæteris septem diebus ieiunauerit. Commodior videtur sibi vna oratiuncula peculiaris, quàm tota psalmodia vnius noctis. Dolet aliquem se pallidiorem & minus comedentem, pallorem suum & maciem in manibus & cætera quæ potest videre speculatur. Ad omnia sua strenuus, ad omnia communia piger. Vigilat in lecto, dormit in choro. ¶ Sextus gradus est arrogantia, quæ secundum Bernar. sic oritur ex præcedenti. Quum ex his quæ singulariter agit, apud simpliciores eius opinio excreuerit, qui opera probant quæ cernunt, sed vnde prodeant non discernunt: dum miserum beatificant, in errorem inducunt. Credit quod audit, quid intendat non attendit. Obliuiscitur intentionẽ, dum amplectitur opinionem, vbique de omni alia re plus sibi quàm aliis credit: de se solo plus aliis quàm sibi credit, vt non solum verbo aut operum ostentatione suam præferat religionem, sed intimo cordis affectu credat se omnibus sanctiorem. Et quicquid laudatum de se agnouerit, non ignorantiæ aut benuolentiæ laudatoris, sed suis meritis adscribit. ¶ Septimus gradus est, præsumptio quæ sic ex præcedenti oritur secundum Bernar, Qui alios se præcellere putat, quomodo plus de se quàm de aliis non præsumat? Primus in cõuentibus residet, in consiliis primus respondet, nõ vocatus accedit, non iussus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. Quicquid ipse non fecerit aut

ordinauerit,nec refectum nec pulchrè ordinatum existimat.Iudicat iudicantes,præiudicat iudicaturis.Si cum tempus aduenerit, non promoueatur ad prioratum, suũ abbatem aut inuidum iudicat,aut deceptum. Quòd si mediocris aliqua obedientia ei iniuncta fuerit, indignatur arbitrans non minoribus se esse occupandum,qui ad maiora se sentit idoneum. ¶ Octauus gradus est,defensio peccati, quæ secundũ Ber. sic oritur ex præcedenti. Qui promptus ad omnia se consueuit ingerere, impossibile est aliquando non errare. Ad prælatum autem pertinet errantem arguere. Sed quomodo culpam suam confitebitur, qui nec esse putat,nec putari culpabilis putatur? præterea cũ culpa imputatur,crescit,non amputatur. Multis verò modis fiunt excusationes in peccatis.Aut enim dicit qui se excusat,non feci : aut, feci quidem,sed bene feci:aut,si male,non multũ male:aut,si multũ male,non mala intentione.Si autem de illa conuincatur,aliena se nititur excusare suasione.Sed qui aperta defendit, quando occultas & malas cogitationes cordi suo aduenientes humiliter reuelaret abbati? ¶ Nonus gradus est simulata confessio, qui gradus quomodo ex præcedenti oriatur, Bernard.ostendit dicens: Nonnulli cum de apertioribus arguuntur,scientes quòd si se defenderẽt, non crederentur, subtilius inueniunt argumentũ defensionis,verba respondentes dolosæ confessionis. Vultus demittitur,prosternitur corpus,aliquas lacrymas si possunt sibi extorquent : vocem suspiriis, verba gemitibus interrumpunt. Nec solum talis obiecta non excusat,sed ipse quoque culpam exaggerat, vt dũ impossibile aliquid aut incredibile culpæ suæ ore suo additum audis,etiam illud,quod ratum putabas,vix credere possis.Quomodo autem hæc simulatio perpendatur, Bernar.ostendit,dicens:Vasa figuli probat fornax,& tribulatio verè pœnitentes discernit. Qui veraciter pœnitet,laborem pœnitentiæ non abhorret. Cuius simulata confessio est, vna vel leui contumelia,aut exigua pœna interrogatus,iam humilitatem simulare, iam simulationem dissimulare non potest. Murmurat, frendet, irascitur.Quanta putas tunc sit confusio in corde superbi, cũ fraus decipitur,pax amittitur,laus minuitur,nec culpa diluitur? Tandem notatur ab omnibus,iudicatur ab omnibus, eóque vehemẽtius omnes indignantur,quo falsum conspiciunt quicquid de eo prius opinabãtur. Tunc opus est prælato, vt eo minus parcendũ illi putet, quo magis omnes offendit, si illi parcit. ¶ Decimus gradus est rebellio, quæ quomodo oriatur, ex præcedenti Ber. ostendit,dicens de illo qui est in nono gradu, Nisi miseratio diuina eum respiciat, vt (quod valde difficile est talibus) vniuersorum iudiciis tacitus acquiescat:frontosus mox & impudens factus,tanto deterius quanto desperatius in decimum gradum perrebellionẽ corruit,quique prius latenter arrogans fratres contẽpserat,iam patenter inobediens etiam magistrũ cõtemnit.Sciendum nanque,q gradus duodecim in tres tantum colligi possunt: vt in sex superioribus sit contẽptus fratrũ, in quatuor sequẽtibus contẽptus magistri,& in duobus qui restant,sit contemptus Dei. Item notandũ est,q duo vltimi gradus in congregatione defendi non possunt.Denique vbi fratrũ cõcordiam,aut magistri sententiam monachus spernit, quid vltrà in monasterio nisi scandalum facit? ¶ Vndecimus gradus est libertas peccandi, per quam monachus cum iam nec magistrũ videt quem timeat,nec fratres quos reuereatur,tanto securius,quanto liberius sua desideria implere delectatur, à quibus in monasterio tam pudore quàm timore prohibebatur.Sed etsi iam fratres & abbatem non timet, nondum tamen penitus Dei formidine caret.Hanc ratio tenuiter subm urmurãs adhuc voluntati proponit: nec sine aliqua dubitatione quæcunque primũ illicita perficit:sed sicut is, qui vadũ tentat,pedetentim,non cursim vitiorum gurgitem intrat.¶ Duodecimus gradus est consuetudo peccandi, qui sic oritur ex præcedenti secundũ Ber.postquam terribili Dei iudicio prima flagitia impunitas sequitur,experta voluptas libenter repetitur,repetita blanditur. Concupiscentia reuiuiscente sopitur ratio, ligat consuetudo. Trahitur miser in profundum malorum, trahitur captiuus tyrannidi vitiorum: ita vt carnalium voragine desideriorum absorptus,suæ rationis diuinique timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo, Non est Deus. Iam indifferenter libitis pro licitis vtitur:iam ab illicitis cogitandis,patrandis,inuestigãdis animus,manus vel pedes non prohibentur : sed quicquid in cor,in buccam,ad manum venerit,machinatur,garrit,& operatur maleuolus,maligniloquus, facinorosus.

De quibusdam vitijs quæ procedunt ex superbia,& aduersantur sanæ fidei. CAP. XXXVI.

Dicto de duodecim gradibus superbiæ, consequenter dicendum est de quibusdam vitiis quæ procedunt ex superbia. Dicemus autem tãtummodo de quinque illorũ,licet sint multo plura. ¶ Primo dicemus de quibusdam erroribus qui sanæ fidei aduersantur. Errores enim ex superbia procedere solent. Quia sicut dicit Aug. superbia meretur illudi. Et super illud Ieremiæ 49. Arrogantia tua, & superbia cordis tui decepit te.dicit glo.

Omnis hæreticus, non ignorantia. ¶ Secũdo dicemus de peccato irreuerentiæ. ¶ Tertio, de peccato inobedientiæ. ¶ Quarto, de peccato vanæ gloriæ. ¶ Quinto, de peccato hypocrisis. ¶ In primo vero capitulo nõ proponimus dicere de omnibus erroribus qui contrarij sunt sanæ fidei, quia hoc nimis lõgũ esset: sed solũ de quibusdam qui inueniuntur etiam in eis qui fideles videntur.

¶ *Quòd diabolus multum conatur seminare errores in ecclesia Dei.*

In primis verò notandum, q̃ diabolus multũ conatur seminare errores in ecclesia Dei. Ipse enim quasi coruus, qui primò currit ad oculum cadaueris, lumen fidei multum conatur extinguere in homine. Cuius rei multæ causæ assignari possunt. ¶ Prima causa est, quia ipse scit postquam oculum fidei excæcauerit in homine, ipse potest hominem inducere in omne peccatum. Vnde quidam senex in Vitis patrũ dixit, q̃ quando operiuntur oculi animalis, tunc circuit ad molendinum, alioquin non ambulat in circuitu molæ. Sic diabolus si operuerit oculos mentis, in omne peccatum inclinat hominem. quod figuratum est Iudic. 16. in Sampsone, cui postquam Philisthæi eruerunt oculos, ipsi eum clausum in carcere molere fecerunt. ¶ Secunda causa est, quòd diabolus odit lucem fidei, vnde de ipso specialiter dicitur illud Ioannis 3. Qui male agit, odit lucem. Ipse est falsus mercator volens homines decipere, ideo tenebras procurat. Ipse etiam est deformis adulter: vnde ne deformitas eius videatur, procurat tenebras: iuxta illud Iob 4. Oculus adulteri obseruat caliginem. ¶ Tertia causa est, quòd diabolus eos qui sibi seruiunt, ducit ad patibulum infernale. Ipse enim sic remunerat seruientes suos, & ideo velat eis oculos ne videant quò ducantur. ¶ Quarta causa est hæc, quia ipse scit, quod si poterit aliquem ponere extra viam fidei, quicquid postea ille faciet inutile erit sibi, quantum ad meritum vitæ æternæ. De via ista potest intelligi illud Psalm. Errauerunt in solitudine in inaquoso: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Aug. Bona opera præter fidem videntur mihi esse velocissimi cursus extra viam. ¶ Quinta causa est hæc, quod fides dexter oculus est animæ, quam si diabolus homini eruerit, ipsum inutilem ad pugnam reddit. Quod figuratum est 1. Reg. 11. in hoc, quòd dixit Naas Ammonites ad illos de Iabes Galaad: In hoc vobiscum fœdus feriã, vt eruam omnia vestrum oculos dexteros. Cuius intentio erat, q̃ dextris oculis erutis, cũ operirentur sinistri scutis, ipsi inutiles herẽt ad pugnandum. ¶ Item fides est fundamentũ totius ædificij spiritualis, quo destructo scit diabolus, q̃ ædificium spirituale spiritualiter destruct

structum est. Item scit diabolus, quòd extra fidem non sit locus propitiationis. Vnde cum ipse propriationem homini inuideat (nollet enim, quòd eam haberet, cum ipse nõ sit habiturus eam) ipse multum laborat ad hoc, quòd extra fidẽ hominẽ ponit. Quis quis extra fidem est, gladium iræ Dei habet euaginatum super se. Io. 3. Qui incredulus est Filio Dei, nõ videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Item quicquid extra fidem est, in mundo isto quasi in diluuio perit. Quidquid est in hoc mundo extra fidem, est velut mare mortuum, in quo nihil viuit. Vnde bona hæreticorum sunt velut poma quæ crescunt in arboribus circa mare mortuum, quę ante maturitatem sunt viridia: matura verò incisa, fauillam habent intus. Sic bona hæreticorum vera bona videntur, sed ad vltimum ignis infernalis in eis inuenietur. Extra fidem nihil est, quod placeat Deo in mundo: quia secundum Apostolum ad Hebr. 11. impossibile est sine fide placere Deo. Et Iere. 5. Domine, oculi tui respiciunt fidem. Nihil etiam est bonum homini in mundo isto absque fide. Propter has causas diabolus multum conatur errores fidei contrarios seminare in ecclesia Dei. Et propter easdem causas multum deberemus conari contra errores, & præcipuè prælati, quorum negligentia errores vt frequentius subintrant, sicut dominus ostendit Mat. 13. dicens: Simile factum est regnum cælorum homini qui seminauit bonũ semen in agro. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizaniam in medio tritici. In dormitione hominum negligentia prælatorum intelligitur.

¶ *De quatuor erroribus in quibus etiam fideles videntur esse.*

Quatuor vero errores inueniuntur etiam in his qui fideles esse videntur, per quos errores diabolus innumeras animas ad inferos trahit. De quibus erroribus aliquid tangemus. Primus est, error diuinationis. Secundus est, error maleficorum. Tertius est, error superstitiosorum remediorum. Quartus est, error illarum personarum, quæ credunt ea quæ fiunt in somno tantũ, & in spiritu, fieri in veritate, & corporaliter, sicut est error illarum mulierum, quæ dicunt se ambulare de nocte cum Herodiade.

¶ *De errore diuinationis, & quatuordecim speciebus eiusdem.*

Circa primum verò notandum, quòd diuini dicuntur quasi Deo pleni. Isti sibi attribuũt, quod Dei est. Præsumunt enim prædicere futura, & reuelare occulta, quæ duo ad Deum specialiter pertinẽt. ¶ Sunt autem multæ species diuinationis ex quibus quatuordecim numerare sufficiat, licet sint multo plures. ¶ Prima sit ingue, & vocatur pyromãtia, à pyr quòd est ignis, & mãtia, quod est

est diuinatio. ¶ Alia fit in aëre, quæ vocatur aërimantia. ¶ Tertia fit in aqua, quæ vocatur hydromantia, ab hydor, quod est aqua. ¶ Quarta fit in terra, quæ vocatur geomantia, à geos, quod est terra. ¶ Quinta fit per Pythones, in quibus spiritus maligni loquitur. Dicuntur autem pythones ventiloqui, à Pythio Apolline sic dicti. ¶ Sexta fit per mortuos susciatos, quæ necromantia dicitur: à necros Græcè, quod mortuus dicitur Latinè: mantia idem est quod diuinatio. ¶ Septima est augurium, quę attenditur in gestu & cantu & volatu auium. ¶ Octaua attenditur circa sternutationes. ¶ Nona circa somnia. ¶ Decima circa sortes quas falsò dicunt apostolorũ. ¶ Vndecima circa variã inspectionem Psalterij, Euangeliorum & aliarum scripturarum. ¶ Duodecima est mathematicorum, qui constellationes considerant, qui etiam dicuntur Magi. ¶ Tertiadecima est, eorum qui arioli dicuntur, qui in aris idolorum dæmonum responsa respiciunt. ¶ Quartadecima est, eorum qui vocantur aruspices, qua si horarũ vel auræ spectatores, qui dies & horas in operibus agendis custodiunt. ¶ Regulariter autem tenendum est, quòd omnis diuinatio quocunque modorum prædictorum fiat, vel alio simili prohibita, est maledicta à Deo & sancta ecclesia.

¶ De his quæ faciunt ad detestationem huius peccati.

Et sunt multa quę deberent homines cohibere ab hoc peccato. ¶ Primũ est, quòd hoc peccatũ diabolicum est. Diuini enim ad modũ Luciferi similes volunt esse altissimo, dũ prędicere volũt futura, quod ad Deũ specialiter pertinet. Vnde Esa. 41. Priora & nouissima renũtiate mihi, & dicam quòd dij estis. Et est inuẽtum peccatum istud in mundo isto à dæmonibus. Vnde Augustinus, Hęc vanitas magicarum artium ex traditione malorum angelorũ in toto orbe terrarũ plurimis seculis inualuit, & per inuentiones eorum inuenta sunt aruspicia, & augurationes, & ipsa quæ dicuntur oracula. Qui autem diuinis fidem adhibent, similes sunt illis angelis qui Lucifero superbienti cõsenserunt. Et sicut Lucifer, eò quòd voluit esse Deus, & satanas factus est, & Dei aduersarij facti sunt. Sic & diuini qui volunt esse vt Deus, & qui eis fidem adhibent, Dei aduersarij & satanæ efficiũtur. Nõ parum offenderetur rex Franciæ erga eum qui regem se vellet facere in regno eius, & erga omnes qui ei consentirent. Oportet quòd ille qui se regem faceret, cum rege pugnaret, vt videretur quis potentior esset. Ita necesse erit quòd Deus pugnet cum diuinis, & cum illis qui consentiunt illis. Et sicut legitur Sapien. 5. Pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibidem legitur, quòd accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum: & acuet iram diram in lanceam: & tunc apparebit quis potentior erit, an ipse, an diuini. ¶ Secundo deberet cohibere homines à peccato isto hoc, quòd sacra scriptura ita dissuadet illud. Vnde Leuitici 19. Ne declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid scisciteminí. Et ibidem: Non augurabimini, nec obseruabitis somnia. Et Deuteron. 18. Non inueniatur in te qui ariolos scisciteturs, & obseruet somnia atque auguria, ne sis maleficus, nec incantator, nec pythones consulas, nec diuinos, nec quæras à mortuis veritatem. Et ad Galatas 4. Dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos: timeo ne forte sine causa laborauerim in vobis. ¶ Tertio deberet cohibere homines à peccato isto multiplex pœna qua legitur Dominus punisse hoc peccatum, & pœnæ quæ in lege diuina & iure positiuo huic peccato taxantur. ¶ Notandum ergo quòd peccatum diuinorum simile est peccato Heuæ matris nostræ, quæ diuinam scientiam appetiit dicente sibi diabolo Genesis 3. Quacunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malum. vnde mulieres quæ diuinæ sunt, vel diuinis fidem adhibentes, quemadmodum mater earum Heua diuinam scientiam affectant, attendere debent multiplicem pœnam, qua totus mundus pro peccato illo punitus est. De pœna etiam huius peccati, legitur 4. Reg. 1. quòd mandauit Elias Ochoziæ: Nunquid non est Deus in Israël, vt eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron? Quam ob rem hęc dicit Dominus, De lectulo su per quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris. & 1. Paralipp. 10. sic legitur: Morruus est Saul propter iniquitates suas, eò quòd prævaricatus sit præceptum Domini quod præcepe-rat, & non custodiuit illud, sed insuper etiam pythonissam consuluit, nec sperauit in Domino, propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai. De pœna vero taxata huic peccato, legitur Leuitici 19. Anima quæ declinauerit ad magos & ad ariolos, & fornicata fuerit in eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi sui. Item Leuitici 20. Vir siue mulier, in quibus pythonicus vel diuinationis fuerit spiritus, morte moriantur: lapidibus obruent eos: sanguis eorum sit super eos. ¶ Pœna talium secundum canones multiplex est. Sunt enim infames: nec debent recipi ad Eucharistiam, si notorium est peccatum, sicut nec histriones. Item nõ debent admitti ad accusationem. Itẽ ad hoc debent excõmunicari.

Item

Item si post admonitionem vel excommunicationem nolunt se corrigere: Si serui sunt, debent verberibus castigari: Si liberi, inclu di in carcere: vel vtrique sunt de peregrecia turpiter dehonestandi, id est, tonsurati vel decaluati eiiciendi. Et hoc potest ipse facer dos parochialis sua authoritate facere dum tamen caueat à mem brorum destructione, morte, & sanguinis effusione, vel si necesse fuerit, inuocet brachium seculare. secundum verò leges, tales ca pite puniuntur. ¶ Quarto deberet cohibere à peccato isto hoc, quod legitur Deut. 18. vbi hęc peccata prohibẽtur, quia omnia hęc abominatur Dominus. ¶ Quinto vero hoc, quòd hoc peccatum à beato Augustin. reputatur apostasia. vnde ipse ait: Non obser uabis dies qui dicuntur Ægyptiaci, aut Calendas Ianuarij, in quibus quædam cantilenæ & comessationes & adinuicem do na donantur, quasi in principio anni boni faciunt auguria, aut aliquos menses aut tempora, dies vero & annos, aut lunæ solis que cursus: quia qui has aut quascunque diuinationes, aut fata, aut auguria obseruat, aut attendit, aut consentit obseruantibus, aut talibus credit, aut ad domũ eorum vadit, aut in domo sua in troducit, aut interrogat, sciat se fidem Christianam & baptismum præuaricasse, & paganum & apostatam & Dei inimicum, iram Dei grauiter in æternum incurrere, nisi ecclesiastica pœnitentia emendatus Deo reconcilietur.

¶ *An liceat sortibus vti.*

VIDETVR tamẽ, quòd sortibus liceat vti, quia sorte Iosue ex quisiuit peccatũ Achor, Iosue 7. Sorte etiam deprehẽsus est Iona tas à Saul comedisse fauũ mellis. 1. Regũ 14. Ionas etiam sorte à nautis deprehẽsus est, Ionæ 1. Dicit etiã Aug. quòd sors nõ est ali quid mali, sed res in humana dubietate diuinã indicãs voluntatẽ. Ad exempla verò obiecta dici potest quòd hæc & multa alia per mittebãtur ante Euangeliũ, quę tempore perfectioris disciplinæ sunt eliminata. Itẽ sicut ait Hieron. priuilegia singularia legẽ cõ munem facere non possunt. Ad illud verò quod dicit Augustinus quòd sors non est aliquid mali, dici potest quòd verum est in sui natura: tamen prohibetur, quia propter assiduitatem labi posset quis in idololatriam, vnde si esset causa honesta, & subesset neces sitas, vt si esset contentio de electione aliquorum, & esset paritas vtrobique in omnibus, verisimile est quòd exẽplo Mathię possent sortes fieri. Et hoc ait Beda, dicens: Siqui necessitate aliqua com pulsi Deum putant sortibus apostolorũ esse cõsulendum, videant ipsos apostolos non nisi collecto cœtu fratrũ, & precibus ad Deũ factis hoc egisse. Itẽ cũ quædam ciuitas esset obsessa, & dubitaret clerus

clerus, qui deberent fugere, & qui manere, consultus Augustinus, respondit illud esse sorte dirimendum.

¶ *De somnijs, & vtrum sint obseruanda.*

ITEM obiicitur de somniis, quę videtur esse obseruanda. Cum quandoque per somnia ostendat Dominus hominibus quid futu rum sit, vt apparet per somnium Pharaonis, vt habetur Genes. 41. quod somnium Ioseph exposuit. Item apparet per somnium Na buchodonosor, quod exposuit Daniel, de quo habetur Daniel. 4. Et Matth. 2. Apparuit angelus Domini Ioseph in somnis, dicens: Ioseph fili Dauid, &c. Ad quod dicendum est, quòd in veritate somnia obseruanda non sunt. Sapiens: Somnia ne cures. Eccles. 34. Somnia extollunt impudentem. Et ibidem: Multos errare fe cerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Vnde quidam dum multum attenderet somniis, somnia ait se diu victurum. Cùmque multa bona congregasset, repentè defunctus est.

¶ *Sex modis fiunt imaginationes somniorum.*

AD solutionem verò obiectorum notandum est quòd sex mo dis fiunt imaginationes somniorum, sicut dicit Grego. in dialogo. Aliquando vetris plenitudine, aliquando ventris & capitis exina nitione, aliquando dæmonis illusione, aliquando Dei reuelatio ne, aliquando cogitatione simul & illusione, aliquando cogita tione & reuelatione simul. Duo prima genera somniorum expe rimento cognouimus, cætera in scripturis inuenimus. De tertio Ecclesia. 34. Multos errare fecerunt somnia. De quarto somnio legitur Genes. 37. Audite somnium quod vidi, dixit Ioseph fratri bus suis. De quinto somnio legitur Eccles. 5. Vbi multa sunt som nia, multæ sunt vanitates. Et parum suprà: Multas curas sequun tur somnia. De sexto verò somnio legitur Dan. 2. Sõnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo, huiuscemodi sunt. quod po steà differẽs Daniel de radice cogitationis, inchoauit, dicẽs: Tu rex in stratu tuo cœpisti cogitare, &c. Non est ergo credendum som niis, quia quo impulsu, fiant facilè non elucet: tamen sancti illu siones & reuelationes quodam intimo sapore discernunt, vt sciant quid à bono spiritu percipiant, vel quid ab illusione patian tur: vt dicit Greg. ¶ De somnio & illusione dæmonis facto, dicit Gregorius super illud Iob 7. Terrebis me per somnia, &c. Diabo lus cupidis prospera, timidis aduersa per somnia ingerit, vt ma gis eos illiciat, sed & sanctos quos minus videt vigilantes, gra uius tentat dormientes: quod Deus benignè permittit, ne saltem in somniis à passionis præmio vacet.

¶ *Quare tam frequenter eueniant quæ dicunt diuini.*

Sed

SED adhuc quæritur quomodo eueniant frequenter quæ predicunt diuini, ex quo fides eis adhibenda non est. Ad quod respondet Aug. q̃ hoc fit permissione, vt probetur qualẽ fidem homines ad Deum habeant. Quod probat Aug. illo verbo Deut. 13. Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signũ aut portentũ, & euenerit quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris: quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat an diligatis eũ, an non. Præterea diuini quibusdam signis solent futura cognoscere: vnde quando inquiruntur de aliqua muliere, vtrum grauida sit, solent zonam ipsius inspicere, in qua aliqua signa grauiditatis possint percipere. vnde quædam decepta fuit a quodam sacerdote, qui non poterat corrigere parochianos suos quin fidẽ adhiberent cuidam diuinæ, sed tandem misit zonam suam ad eam, quæ zona inspecta cum sacerdos esset impinguatus, incrassatus, dilatatus, ipsa iudicauit sacerdotem prægnantem esse. Præterea à casu quandoque dicunt ea quæ futura sunt.

¶ De vaticinijs diaboli.

DIABOLVS etiam, sicut dicit Rabanus, nonnunquã solet vera multa prędicere, vt ad extremum valeat animã aliqua falsitate laqueare. ¶ Quomodo autẽ diabolus futura prędicat, satis Augustẽ dit his verbis: Dęmones prędoti acumine sensus & celeritate motus, nuntiãt quę homines pro sensus terreni tarditate miserantur. Accessit etiã dęmonibus lõge maior rerũ experientia, quãm potest hominibus propter breuitatem vitę prouenire. Per has efficacias, non solum inulta futura prædicunt dæmones, verum etiam multa faciunt quæ quandoque homines dicere aut facere nõ possunt: vnde eos dignos quibus seruiãt, & quibus honores diuinos proferant, arbitrantur. Prænuntiant etiã quæ ipsi facturi sunt. Accipiunt enim sæpe potestatem & morbos immittere, & ipsum aërẽ vitiando morbidũ reddere, & peruersis atque amaris ibus teri enorũ cõmodorũ malefacta suadere: de quorũ morib certi sunt q̃ sint eis talia suadentibus consensuri. Aliquãdo prædicunt non quæ ipsi faciũt, sed quæ naturalibus signis futura pñt noscunt, quæ signa in hominum sensus venire non possunt. Non tamen propter hoc dicendi sunt dæmones diuini, licet prævideant aliqua quæ homines non prævident: sicut nec medicus diuinus dicendus est. Vnde Augustinus: Non quia prouidet medicus quæ prævidere nescit homo artis ignarus, non tamen ideo habendus est diuinus. Fallunt etiam dæmones, sicut dicit Aug. Studio fallendi & inuida voluntate, quo hominum errore lætantur: sed ne apud cultores suos pondus authoritatis amittant, id agunt vt interpretibus suis signorúmque suorum cõiectoribus ibi culpa tribuatur, quãdo ipsi decepti fuerint mẽtiti.

¶ De Pythonissa quæ Samuelem suscitauit.

ITEM quæritur, quomodo potuit esse quòd pythonissa Samuelem suscitauit, vt videtur 1. Regum 28. De quo sentio, sicut Augustẽ sentire videtur, quòd diabolus apparuit in specie Samuelis, licet multæ sint opiniones super hoc. Augustinus loquens de suscitatione illa, ait: Diabolus vt errorem faceret in quo glorificaretur, habitu viri iusti & nomine se subornauit. idem: Quomodo poterat esse vt arte magica traheretur vir à natiuitate sanctus, vitæ operibus iustis? Item Augustẽ Si Samuel, verè apparuisset, nõ vtique vir iustus permisisset se adorari, qui prædicauerat solum Deum adorandum. Idem: Quomodo homo Dei, qui cum Abraham in refrigerio erat, diceret ad virum pestilentiæ & digni ardore gehẽnæ: Cras mecũ eris. Et subdit Aug. His duobus titulis subtilitates fallaciæ suæ prodidit improuidus satanas.

¶ Quòd tempora non sint obseruanda.

ITEM quæritur de hoc quod dictũ est, q̃ tẽpora obseruãda nõ sunt, cũ medici tẽpora obseruẽt in medicinis dãdis & minutionibus faciendis. Ad quod dicẽdũ, quòd talis obseruatio tẽporum reprehensibilis non est, quum naturalis ratio de hoc possit reddi. Non sunt etiam reprehensibiles agricolæ, qui obseruant tẽpora ad seminandum, & ad arbores incidendas, & similia, cùm hæc habeant certam rationem.

¶ De errore maleficorum.

SEQVITVR de aliis tribus erroribus. Inter quos primũ dicendũ est de errore maleficorũ. ¶ Notãdũ ergo q̃ malefici, sunt qui per missũ Dei elemẽta cõcutiũt, hominũ mẽtes turbãt minus cõfidentiũ in Deo, ac sine vllo veneni haustu violentia carnis interimũt. Vocãtur autẽ tales, malefici, ob facinorum magnitudinem. vnde cum facere malum ad omnes peccantes pertineat, maleficis tamen appropriatur, eò quòd multum sint mali.

¶ De errore superstitionis.

SEQVITVR de errore superstitiosorũ remediorũ. De quo errore dicit Aug. in lib. de doctrina Christ. Ad superstitionẽ pertinẽt omnes ligaturæ atq; omnia remedia, quæ medicorũ disciplina cõdẽnat. Inter remedia verò talia quædã sũt nugatoria, quę dã verò sunt noxia. Itẽ quædã cõtumelioſa sunt homini, quædã cõtum elioſa sunt Deo. Nugatoria sunt, vt cũ sella euertitur vt tẽ

pestas auertatur. Itē cū mulier quæ in partu laborat, nouē vtensilibus tāgitur vt facilius pariat. Et multa alia his similia, quæ mulieres indiscretè cōsueuerunt facere. Noxia verò sunt, vt cū aliqua mulier talia facit, vt cōceptus ei⁹ impediatur: sicut cū aliqua asseres tāgit stubæ in qua balneat se in diebus purificationis suæ, tali intentione, vt quot asseres tetigerit, tot annis nō cōcipiat: quę apud Deū tot homicidiorū rea videtur esse, quot cōceptus facto illo voluit impedire: nec quorūcūq; homicidiorū rea videtur, sed videtur esse interfectrix propriorū infantiū. Contumelioſa verò homini sunt, sicut illa quę aliquę mulieres solent dare hominibus ad accendēdū eos ad amorē earū. Cōtumelioſa vere sunt Deo, sicut illa quæ fiūt de chrismate vel de corpore Christi, vel aliis sacramētis ecclesiæ. Itē possunt diuidi remedia ista secūdū diuersitatē eorū contra quæ fiunt. Alia enim fiūt cōtra infirmitates vel hominū, vel pecorū: alia contra sterelitatē, alia contra pariendi difficultatē, alia contra nimis frequentes partus, alia contra luporum crudelitatē, vt cum bestiæ amissæ includuntur, ne à lupis deuorentur. Caueat tamen prædicator, ne dum species talium remediorū in prædicatione tangit, erubescibilia mulierū hominibus aperiat in scandalū earū. Item ne mulieres doceat remedia quæ ipsæ nesciūt, si credit ꝙ ea facturæ sint. ¶ Item notādum est, ꝙ peccatū istud multū habet fatuitatis. Cuilibet enim sanum caput habenti natutalis ratio dictare deberet, quòd remedia talia illam efficaciā non habēt, quam credunt ea habere. ¶ Itē infidelitas siue idololatria quę est in peccato isto deterior videtur idolatria paganorum. Illa enim à quibus Deo relicto fatuæ mulieres sperant sanitatem, vel prolē, vel similia, minus videtur Deus esse, quàm idola paganorum. Illa enim ad minus habēt formā humanam, ista verò non. Præterea istud peccatū nec Deū nec homines reuereri videtur, quātum ad hoc ꝙ homini multa vilia & abominabilia dant ad comedēdum quæ hoc vitio laborāt. Ipsa etiā sacraméta ecclesiæ cōtemnit peccatū istud, cum de ipsis sacramētis ecclesiæ frequēter fiat, etiam de corpore Christi (quod est horrendum dictu) fit sæpe: in hoc vidētur mulieres quæ talia remedia agunt, deteriores esse ipsis dæmonibus. Dæmones enim illum credunt vel contremiscunt, ad quem ipsæ absque timore accedunt, & de corpore eius peccatum suum faciunt.

¶ Vnde maleficia & talia remedia habeant efficaciam.

SED quæri posset, vnde maleficia & talia remedia efficaciam habeant frequenter, sicut videtur. Ad hoc potest dici, quòd multa sunt quæ faciunt ad hoc quòd maleficium efficaciam habeat. ¶ Pri-

¶ Primum est hoc, ꝙ homines paruam fidem in Deo habent, & ideo dominus permittit eos à dæmonibus impediri. ¶ Secundum est, error qui in hominibus est, cuius pœna frequenter est hæc, quòd creditur esse effectus maleficij. ¶ Tertium est, probatio fidei in bonis, sicut ostensum est prius authoritate Deut. ¶ Quartum est, pactū vel societas mala dæmonum & hominum. vnde Augustin. Omnes artes huiusmodi, vel nugatoriæ vel noxiæ superstitionis, ex quadam pestifera societate dæmonum & hominum quasi pacta infidelis & dolosæ amicitiæ constituta penitus sunt repudiandæ & fugiendæ Christiano. ¶ Quintū est, desiderium lucrandi animas quod diabolus habet. Ideo enim diabolus talia efficit, quia tot animas occasione ista lucrari se videt: qui enim talia facit, & qui talibus fidem adhibet, ab hoc facto diabolo seipsum dat. Hoc tamen notandū est, quòd si aliquis colligat herbam medicinalem cum Symbolo diuino, vel oratione Dominica vel scribat in charta Symbolum vel Dominicam orationem, vt ponat super aliquem infirmum, vt sic in istis tantū Deus creator omnium honoretur, nō reprobatur, dum nulla alia superstitio admisceatur. ¶ Tria sunt quibus homines non prohibentur vti ad remedium, scilicet herbis, & similibus, quæ naturalem habent virtutem, de qua ratio secundum medicinā reddi potest. Item ieiuniis, orationibus & eleemosynis, & aliis operibus quæ sunt de genere bonorum, quæ certum est placere Deo, possunt homines vti ad obtinendum à Deo sanitatem, & alia quibus indigent. Item possunt vti verbis sacris quæ alicuius authoritatis sunt, & aliis sacris rebus.

¶ De errore illorū qui credūt fieri verè, quæ tantū in somnis fiunt.

SEQVITVR de errore illarū personarum quæ credunt corporaliter & in veritate fieri quæ tantum in somno fiunt. Sicut credunt quædam mulieres quæ profitentur se cum Diana dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum supet quasdam bestias nocturnis horis multa terrarum spatia pertransire, eius iussionibus velut dominæ obedire, certis noctibus ad eius seruitium euocari. Asserunt etiam ab illis creaturas posse in melius vel in deteris commutari, aut in aliam speciē vel similitudinem trāsformari. De his dicit Deuteronomius, ꝙ nō à diuino spiritu, sed maligno, mentibus fideliū talia fantasmata irrogātur. Diabolus enim cū animā alicuius per talē credulitatem sibi subiugauerit, mēti quā captiuā tenet, multipliciter illudit. Nec debet aliquis in tantā venire stultitiam, vt credat hęc omnia quæ in somniis & spiritu tantū fiunt etiam in cor-

pore accidere,cum & paulus non audeat asserere q̃ fuerit raptus in corpore.De his etiã sic dicit Decretum: Quisquis credit fieri aliquã creaturã,aut in deterius,aut in melius cũmutari,aut trãsformari in aliam speciẽ vel aliã similitudinẽ, nisi à creatore,per quem facta sunt omnia,proculdubio infidelis est, & infideli deterior.Valde stultæ sunt mulieres huiusmodi, quibus persuaderi non potest quin in veritate fiat, quod videtur eis fieri dũ dormiunt,cum constet multa videri hominibus dormiendo, quæ postea sciunt certissimè falsissima fuisse:quandoque videtur alicui dum dormit,quòd ipse multũ comedat:cũ autem expergefactus fuerit,famelicũ se inuenit.vnde Esa. 20. Sicut somniat esuriens & comedit,cum autẽ fuerit expergefactus, vacua est anima eius:& sicut somniat sitiens & bibit, cũ tamẽ expergefactus fuerit,lassus adhuc sitit,& anima eius vacua est:sic erit multitudo omniũ gentiũ quæ dimicauerũt contra montẽ Sion. Item videtur alicui cum ipse dormit,q̃ sit cũ muliere:cũ autẽ excitatus est à somno,scit nullam mulierem affuisse. Item videtur alicui lacico dum dormit q̃ ipse sit sacerdos. Non propter hoc cum excitatus est à somno,sacerdos est, vt possit missam celebrare. Præterea si verũ esset quod ipsi dicunt,quomodo auderent Herodiadem sequi,quæ fuit adultera illa quã abstulit Herodes fratri suo Philippo,quæ etiam amputari fecit caput Ioãnis Baptistæ? quomodo audẽt asserere bonã rem, qui caput illius qui in vtero sanctificatus est,& quo maior inter natos mulierũ non surrexit, fecit amputari, cũ in sacra scriptura nihil omnino legatur de eius cõuersione? Super omnia vero videtur contra hunc erroré,quod in vita beati Germani Altissiodorẽsis legitur,qui cum declinasset ad quoddam hospitium, vidit cum omnes de domo cœnassent mensam iterum præparari, qui cũ admiratus inquisisset quibus talia præpararentur,indicatũ est ei q̃ bonis reb⁹ quæ de nocte incedebant. Vnde vir sanctus vigilans, cũ dæmones in forma humana aduenissent & ad mẽsam illam sedissent,illis qui de domo erãt in lectis suis quiescentibus,vir sanctus surrexit,& dæmones abire nõ permittens,excitauit eos qui de domo erãt, inquirẽs ab eis si personas illas cognoscerẽt.qui respõderunt q̃ sic, addẽtes quòd vicini eorũ essent. vnde vir sanctus misit eos ad domos vicinorũ,vt viderent an essent ibi, & inuenerũt eos ibi: quod cum retulissent viro sancto, vir sanctus coẽgit dæmones indicare seipsos,& confessi sunt se esse dæmones, & sic hominibus illudere.

De peccato irreuerentiæ. CAP. XXXVII.

DE peccato irreuerentiæ hoc modo agemus,qui a irreuerentia est,quãdo aliquis negat honorem illi, cui debet eũ exhibere. Primo ostẽdemus quibus exhibere reuerẽtiã debeamus. Secũdo, qualiter parentes tam carnales quàm spirituales sint honorandi, & quare.

¶ Quibus reuerentia sit exhibenda.

NOTANDVM ergo q̃ quatuor sunt quibus debemus reuerẽtiã exhibere:scilicet Deus,angelus,res Deo cõsecratæ,vt ecclesia, & homines. ¶ Deo reuerentiã debemus exhibere, vt corã eo erubescamus peccare,& coram eo strenuè bona agamus. vnde quidam,Cũ quid turpe facis quod me spectãte ruberes:Cur spectãte Deo, non magis ipse rubes? Boëtius:Magna nobis si dissimulare non volumus, indicta est necessitas probitatis,cum &c. ¶ De reuerentia verò exhibenda angelo, dicit Ber.In quouis diuersorio,in quouis angulo reuerentiã habe angelo tuo. Nec audeas eo præsente,quod me præsente nõ auderes.De reuerẽtia verò sacris locis exhibẽda,intelligi potest illud Gen.28. Quàm terribilis est locus iste,nõ est hic aliud nisi domus Dei,& porta cæli. Præcipuè reuerenda est ecclesia propter præsentiã Dominici corporis.Sed valde mirandum est, q̃ sunt quidam homines qui nec propter præsentiam Dominici corporis ecclesias reuerẽtur, cum hac de causa ecclesiæ dæmonibus terribiles sint. Videntur tales homines in hoc dæmonib⁹ esse deteriores,cũ domini sit terra & plenitudo eius.Bene deberẽt saltẽ loca sibi cõsecrata pacificẽ possidere,bene deberent homines cessare à cõtumelia Dei in locis huiusmodi quæ facta sunt ad seruitiũ Dei.Bene deberet sufficere eis, q̃ in aliis locis seruitiũ diaboli facerent, & in his soli Deo seruirent,quomodo oratio eius in ecclesia exaudietur, qui in ea nõ timet Deum offendere? Deberent etiã ecclesiæ terribiles esse hominibus propter sanctos illos,in quorum honore dedicatæ sunt,qui offenduntur,cum ecclesiæ eorũ franguntur.Præcipuè vero contra fractionẽ ecclesiarũ valere potest illud exemplum quod legitur 2. Machab.3. de Heliodoro, qui locũ sacrum volebat spoliare pecuniis ibi commendatis. Sic enim ibi legitur:Apparuit quidam equus terribilẽ habens sessorẽ optimis operimentis adornatus:ísque cũ impetu in Heliodorũ priores calces elisit:qui autem ei insidebat,videbatur habere aurea arma. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes qui circunsteterunt eum, & ex vtraque parte flagellabãt sine intermissione. Subito aũt Heliodorus cõcidit in terram,& in sella gestatoria deportatus est ex æra rio,& iacebat mutus atque omni spe & salute priuatus. Sed põst precibus Oniæ sacerdotis vita ei donata est. ¶ Hominibus reue-

rentia exhibenda est. vnde 1. Petr. 2. Omnes honorate. & ibidem: Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum. Apostolus ad Rom. 12. Honore inuicem præuenientes. Specialiter autem in hominibus debemus Dei imaginem honorare, non vestes, non diuitias, vel aliquid simile. Si imagini beatę Virginis honor exhibendus est, quomodo imagini beatę Trinitatis quę in homine est honor exhibendus non erit? Ber. Conscientiæ tuę debes honorem coram qua peccare erubescas. & Eccl. 10. Da animæ tuæ honorem secundum meritum suum. Honorandi etiam sunt homines propter angelos eis ad custodiam deputatos. vnde Matt. 18. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Fatuum est hominem honorare eos, qui ita ab angelis honorantur. Luc. 16. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Honorandi sunt etiam homines propter naturam humanam vnitam diuinæ: fatuum enim est illud inhonorare, quod Deus sic honorauit. ¶ Etiam serui contemnendi non sunt. Cyprian. Quælē cupis esse erga te Deum, talis esto ipse erga seruum tuum. Sen. Cum inferiore sic viuas, quemadmodum velis superiorem tecum viuere. Idem: Quemadmodum stultus est qui equum empturus non ipsum aspicit, sed stratum & frænum: sic stultissimus est qui hominem ex veste aut ex conditione, qua circundatus est, existimat honorandum. Item Sen. Serui sunt? imò homines. Serui sunt? imò humiles amici. Et ideo istos rideo, qui turpe existimant cum seruo suo cœnare. Virga murmur omne compescitur: tota nocte ieiuni perstant. Sic fit vt isti de domino loquantur, quibus coram dominis, sed no loqui non licet. At illi quibus non tantum coram dominis, sed cum ipsis sermo erat, quorum os non consuebatur, parati erant coram domino porrigere ceruicem. In conuiuiis loquebantur, sed in tormentis tacebant. Ad Colos. 4. Domini, quod iustum est seruis præstate, scientes quoniam & vos dominum habetis in cælo. Præcipuè autem honorandi sunt serui, si sunt boni & fideles. vnde Eccl. 7. Seruus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua. & 33. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi sicut anima tua, quasi fratrem sic eum tracta. Non sunt etiam contemnendi peccatores: quia ille qui valde malus modo est, forsitan in Dei prouidentia bonus homo est. Deuter. 23. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est. Præcipuè tamen illi honorandi sunt, qui credunt esse bonæ vitæ, cum (vt videtur) attineant Deo omni genere parentelæ. vnde dominus Matth. 12. Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Præterea in viris iustis honoratur ipse Deus, qui in eis habitat. vnde quidam religiosus dicebat adorari debere fratres aduenientes, cum certum sit in aduentu eorum aduentum domini nostri Iesu Christi haberi. Quod videtur intellexisse Abraham, qui tres viros qui sibi apparuerunt in hospitio suo, adoratione præmissa suscepit. Vnde Gen. 18. Quos cum vidisset Abraham, occurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit. In Vitis patrum etiam legitur, quòd diabolus pertimescat rectè viuentes. Dominus etiam contemptum talium contemptum suum reputat. Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit. Pauperes enim despiciendi non sunt. Greg. Pauperes despiciendi non sunt vt egeni, sed exorandi vt patroni: honor qui pauperibus exhibetur, Deo specialiter exhibetur.

¶ *Quæ personæ sint specialiter honorandæ.*

Et licet omnes homines honorandi sint, quædam tamen personæ magis sunt honorādæ quàm aliæ, vt viduæ. Vnde 1. ad Ti. 5. Viduas honorate, &c. Domini etiam sunt multū honorādi à seruis. Ad Ro. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. & ad Col. 3. Serui, obedite per omnia dominis vestris carnalibus. Et 1. Pet. 2. Serui, subditi estote in omni timore dominis, &c. & Gen. 16. dictum est Agar ancillę, Reuertere ad dominā tuam, & humilia te sub manibus eius. Et Ezec. 17. multa mala prędixit regi Iuda, quia tributum, quod promiserat regi Babylonis, soluere noluit. Et Matt. 17. soluit dominus tributum, licet illud non deberet, eō quòd filius regis esset. Itē adolescentes debent honorare senes. 1. Petr. vlt. Adolescentes, subditi estote senioribus. Thren. 4. Facies domini dimisit eos: non addet vt respiciat eos. Facies enim sacerdotum non erubuerunt, neque senū miserti sunt. Sap. 2. dicūt mali: Opprimamus pauperem iustum: & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis. Leui. 19. Coram cano capite consurge, & honora personam senis. Et 1. ad Tim. 5. Seniorem ne increpaueris, sed obsecra vt patrem. Sen. Cum veterano parcius agendum est. ¶ Item viri honorandi sunt ab vxoribus. vnde 1. Petr. 3. Similiter & mulieres subditæ sint viris suis. Sed nihilominus ipsi viri debent honorare vxores suas. Vnde ibidem: Viri similiter, cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem. Ideo dominus non de pede viri, sed de costa mulierem formauit, ne à viro contemneretur. Mulier verò debet obedire viro: quia vir caput est mulieris. Non posset esse pax inter coniuges, si vterque

vellet dominari & esse caput. Et in signum huius cum in corpore humano sint duo pedes, duæ manus, & duo oculi, non est tamen ibi nisi vnum caput. Si enim ibi essent duo capita, quando vnum vellet esse à sinistris, aliud vellet ire à dextris: sicut patet in domo vbi sunt duo capita, quia nunquam erit ibi pax.

¶ *Qualiter & quare reuerentia sit exhibenda patribus spiritualibus & carnalibus.*

ITEM honorandi sunt parentes & spirituales & carnales. De spiritualibus legitur Eccl. 8. Honorifica sacerdotes. ad Heb. vltim. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim perui gilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant, & non gementes. 1. ad Tim. 5. Qui bene presunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè qui laborant in verbo & doctrina. Ad idem facit illud Thren. 4. prius positum: Non addet dominus vt respiciat eos. Facies sacerdotum non erubuerunt. Glos. Notandum, quòd supra sacerdotes quasi homicidas planxit, & hic separantur à facie domini, quia non detulerunt eis: quamuis enim mali sint, non sunt contemnendi, sed ille in illis colendus est, & honorandus, à quo missi sunt. Et alia gloss. Nota quàm terribile sit sacerdotes contemnere, nec faciem eorum erubescere, id est, illis monentibus & videntibus à sceleribus non cessare. De his enim dicit dominus Luc. 10. Qui vos audit, me audit. Ideo magis displicet Deo contemptus eorum, quia Dei vicem tenent, & propter dignitatem sacerdotalem, quam nec ipsi angeli creduntur habere. Non enim credo, quòd fieret transubstantiatio. si verba illa, quæ profert sacerdos in missa ab angelo proferentur. Parentibus etiam carnalibus honor exhibendus est. Vnde Exod. 20. Honora patrem tuum & matrem tuam. Et nota, quòd honor qui parentibus carnalibus exhibendus est, non solum attenditur in verbis, sed etiam in beneficiis. vnde Hieron. Honor in scripturis non tam in salutationibus & verbis, quàm in collationibus munerum sentitur. ¶ Multa autem sunt quibus possumus vti ad excitandum homines vt honorent parentes. Et primo possumus ad hoc vti exemplis. Inter quæ præcipuum est exemplum Christi, qui cum esset in angustia passionis, tamen non est oblitus matris suæ, imò curam ipsius habuit, & Ioanni eam commendauit, vt legitur Ioan. 19. Modo etiam adeò facit eam honorari in ecclesia sua, vt multi videantur esse deuotiores matri, quàm ipsi filio. Quod credo ideo fieri, vt ostendat quantum placeat sibi, quòd parentes à filiis honorentur. Etiam infideles parentes suos honorant edocti à lege naturali. vnde infideli videtur esse deterior, qui parent

parentum curam non habet. 1. ad Tim. 5. Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. Ipsa etiam irrationabilia animalia de hoc dant nobis exemplum. Dicitur enim de grue, quòd quãdo pater & mater eius depilati sunt, filij quærunt eis necessaria, donec habeant pilos, vel moriantur. Præterea valde ingratus videtur esse, qui parentibus suis non prouidet, quãdo ipsi non possunt sibi prouidere, cum ipsi prouiderint eis in pueritia, quando ipsi sibi prouidere non poterant. Ideo dicitur 1. ad Tim. 5. Filij, reddite vicem parentibus, quia hoc acceptum est coram Deo. Qui parentibus carnalibus ingratus est de beneficiis acceptis, indignus est aliquod beneficium recipere à patre cælesti. Item iustum est, vt ipsi in sua senectute filios suos sibi duros inueniant. Et hoc multoties iusto Dei iudicio accidit. Vnde refertur, quòd quidam paterfamilias senex totam hæreditatem suam dimisit filio suo: filius verò ille primò benignè se habuit erga patrem, sed pòst expulit eum à thalamo suo, volens thalamum habere sibi & vxori suę, & ad vltimum fecit sibi lectum fieri pòst ostium. Et cum hyems esset, & pater senex frigore grauaretur, quia filius abstulerat sibi bona coopertoria, ipse rogauit filium filij, vt rogaret patrem suum pro eo, vt daret ei aliquid ad tegendum se. Puer autem vix obtinuit duas vlnas burelli à patre suo ad opus aui sui. Et cum aliæ duæ remanerent patri pueri, puer flendo rogauit eum vt sibi eas daret: qui fletibus illius victus dedit quærens quid inde faceret. Qui respondit: Seruabo eas quousque sis talis qualis est pater tuus: nec dabo tibi amplius, sicut tu non vis dare patri tuo. Qui sine pietate est erga parentes suos, non videtur pietatem habere erga alios. vnde simpliciter videtur mihi sine pietate esse: ideo vix misericordiam consequetur. ¶ Possumus etiam vti ad excitandum homines vt parentes honorent, verbis sacræ scripturæ, quæ suadent hoc, & quæ indicant quantum hoc placeat Deo, & quàm vtile sit homini, & quantum oppositum displiceat Deo, & quantum noceat homini. Ad quę pertinent verba ista quæ sequuntur Eccl. 4. Fili, suscipe senectam patris tui, & non cõtristes illum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in tua virtute. Ibidem: Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam. Ibidem: Qui honorat patrem suum, iocundabitur in filiis, & in die orationis suæ exaudietur. Item ibidem: Qui honorat patrem suum, vita viuet longiore. Item: Honora patrem tuum, vt superueniat tibi benedictio. & pòst: Benedictio patris firmat domos filiorum, maledictio autem matris eradicat fundamenta. Vnde ibi Glos. Cham nuditatem patris irri-

sit, & semen suum in seruitutem perpetuam damnauit. Absalon Dauid de regno expulit, & concubinas eius incestauit, sed morte condignas pœnas luit. Elisei caluitium pueri Bethel irriserunt, & duo vrsi x L. ex eis lacerauerunt. Primum habemus Gen. 9. secundum 2. Reg. 18. tertium 4. Reg. 2. Item Eccl. 3. Eleemosyna patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum, pro peccato vocatur illud, quod datur pro deletione peccatorum. & subditur: In die tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies, soluentur peccata tua. Item ibidem: Quàm malæ famæ est, qui relinquit patrem: & est maledictus à Deo, qui exasperat matrem. & Prouer. 19. Qui affligit patrem, & fugit matrem ignominiosus erit & infelix. Item Prouer. 28. Qui subtrahit aliquid à patre suo vel matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est. & Eccl. 7. Honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ ne obliuiscaris. Memento quoniam nisi per illos non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi. Exod. 21. Si quis percusserit patrem vel matrem, morte moriatur. Leuit. 20. Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Deuter. 28. Maledictus qui non honorat patrem suum aut matrem. Tob. 4. Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes quæ & quanta passa sit pericula propter te in vtero suo. Prouer. 29. Qui maledixerit patri suo aut matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris: id est, morietur in suis peccatis. Ad Col. 3. Filij, obedite parentibus per omnia. Basilius: Parentes nostros vt propria viscera diligamus. De hæreticis dicit Apostolus 2. ad Tim. 3. Parentibus non obedientes. Et nota, quòd sicut homines tenentur prouidere necessaria parentibus carnalibus, sic & spiritualibus. vnde Matth. 10. Dignus est operarius cibo suo. 2. ad Tim. 2. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Ad Gal. 6. Communicet is qui catechizatur cum his qui catechizant in omnibus bonis. 1. ad Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Et 1. ad Thessal. 5. Rogamus vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, & præsunt vobis in domino, & monent vos vt habeatis eos abundantius in charitate. Et Eccl. 7. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit, & ministros eius ne derelinquas.

¶ De decimis reddendis, & quæ sint ea quæ debeant mouere homines ad hoc faciendum.

MVLTA verò sunt quæ homines debẽt mouere ad reddendum decimas & primitias & oblationes ministris ecclesiæ ad eorũ sustentationẽ. ¶ Primũ est remuneratio quã àdeo inde expectãt. vnde Ecc. 35. Da Altissimo secundũ donatũ eius, & in bono oculo facito adinuentionẽ manuum tuarum: quoniam retribuens est Dominus, & septies tantum tibi reddet. ¶ Remuneratur autem quadrupliciter qui bene dat decimas, scilicet ab abũdantia fructuum, sanitate corporis, remissione peccatorum, & cælesti regno. De duobus primis dicit Augustin. Si decimam bene dederis, non solum abundantiam inde recipies fructuum, sed etiam sanitatem corporis consequeris. De aliis duobus idem similiter: Qui præmium desiderat comparare, aut peccatorum indulgentiam promereri, reddat decimas, & de residuis nouem partibus studeat dare pauperibus. & Mala. 3. dicit Dominus: Inferte omnem decimam in horreum meum, & sit cibus in domo mea, & probate me super hoc, dicit dominus, si non apperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem vsque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem. Et dicit Interlin. vermem, vel vitium aëris. Et subditur: Et non corrumpet fructum terræ vestræ: nec erit sterilis vinea in agro. Econtrouerso verò qui non dant bene decimas, puniuntur in paupertate. Vnde Malach. 3. Si affiget homo Deum, quia vos configitis me. Et dixistis, In quo configimus te? In decimis, & in primitiis. Et in penuria vos maledicti estis. Ecce pœna. vbi dicit Glo. Sciatis vos ideo perdidisse abundantiam, quia fraudastis me parte mea. Aug. Quum decimas dando, & terrena simul & cælestia posses promereri, pro auaritia duplici benedictione te fraudas. Hæc enim Domini est consuetudo iustissima, vt si illi decimam non dederis, tũ ad decimam reuoceris. Dabis impio militi, quod non vis dare sacerdoti. Idem: Maiores nostri omnibus copiis abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cæsari censum reddebant: modo autem quia discessit deuotio Dei, accessit iudicio fisci. ¶ Secundo debet homines mouere ad soluendum decimas & alia ministris ecclesiæ, ipsum ministerium eorum. In infinitum enim sunt meliora spiritualia, quæ ipsi ministrant, quàm carnalia quæ ipsi recipiunt. vnde 1. ad Corinth. 9. Si nos vobis spiritualia seminamus, non magnum est, si nos carnalia vestra metamus. ¶ Tertio debet homines mouere ad soluendum decimas & alia, magnitudo peccati, quæ est retinendo ea. vnde Augustin. Decimæ ex debito requiruntur: & qui eas dare noluerit, res alienas inuadit: & quanti pauperes in locis suis vbi ipse habitat illo decimas nõ dante mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante æterni iudicis

dicis tribunal apparebit: quia rem à Domino pauperibus delegatam suis vsibus reseruauit. Talis videtur esse non solum fur, imò etiam sacrilegus. vnde Hieronym. Amico rapere quippiam, furtum est: ecclesiam autem fraudare, sacrilegium est, aut, quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem exuperat. Quarto debet homines mouere ad soluendum talia hoc, quòd quando ipsi talia soluunt, non sua dant Deo, sed quæ Dei erant, ipsi reddunt. vnde Glo. super Num. Omnia quæ offerimus, Dei sunt, nihil ergo Deo damus, sed reddimus. vnde Aug. in lib. de verbis Domini: Habuisti me largitorem, habeto me fœneratorem. Prouerb. 19. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis. ¶ Quinto deberet homines mouere ad soluendum talia: quia quod Deo datur, sibiipsi in saluo ponitur, & in futurum reseruatur. vnde Eccle. 14. Fili, si habes, bene fac tecum, & Deo dignas offer oblationes.

¶ Quòd decimæ reddendæ sunt de melioribus, integrè, absque mora, & libenter.

ET notandum est quòd decimæ & similia soluendæ sunt de melioribus, & non de deterioribus. Vnde Eccles. 35. Noli offerre munera praua, non enim suscipit illa. & Genes. 3. legitur de Abel, quòd obtulit Deo de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit dominus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain verò & ad munera eius non respexit. Cuius causa fuit, quia de deterioribus obtulit. & Mala. 1. Si offeratis cæcum ad immolandum, nónne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit illi, aut si susceperit faciem tuam, dicit dominus exercituum. & pòst in eodem: Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile & claudum Domino. & Num. 18. Omnia quæ offertis de decimis, & in donaria Dei separabitis, optima & electa erunt. Debent etiam solui absque mora. vnde Exod. 22. Decimas & primitias non tardabitis offerre. Integrè etiam soluenda sunt talia. vnde Eccle. 35. Bono animo gloriam redde Deo, & non minuas primitias manuum tuarum. & Eccles. 7. Da illis partem, sicut mandatum est tibi primitiarum. & Leuit. vlti. Omnes decimæ terræ, siue de frugibus, siue de pomis arborum, Domini sunt, & illi consecrantur. ¶ Nota quòd secundum aliquos magistros, de solutione decimarum standum est consuetudini. Ideo de hoc cautè prædicandum est. Tutius enim est silere, quàm dubia asserere. Dicit Hier. De primitiis, maiorum traditione introductum est, quòd qui plurimum xi. partem dabant sacerdotibus: qui minimum, inter xi. & ix. licebat offerre quod voluissent: & hoc

hoc in aridis & liquidis. In fœtibus verò primogenitus dabatur. Ego tamen credo quòd de hoc standum est consuetudini. Libenter etiam & hilariter soluenda sunt talia. Vnde 2. ad Cor. 9. Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate. hilarem enim datorem diligit Deus. Tob. 4. Quomodo potueris, esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue. Si autem exiguum, libenter illud impartiri stude. Hoc deberet mouere pauperes ad libenter dandum pro Deo: quia plus merentur obolo, quàm diuites quandoque centum solidis. Si aliqua pauper mulier crederet, quòd tantum habitura esset de carnibus ad macellum pro vno obolo, sicut dives burgensis pro centum solidis, tunc ipsa mitteret libenter obolum suum illuc: quia sicut vulgariter dicitur, Bonum forum trahit argentum de bursa. Sic pauperes libenter deberent dare pro Deo, quum tantum appretiet Dominus munera eorum respectu eorum quæ à diuitibus dantur: vnde Luc. 21. dicit Dominus de paupercula vidua quæ miserat duo æra minuta in gazophylacium: Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plus quàm omnes misit.

De peccato inobedientiæ, & eius detestatione. CAP. XXXVIII.

SEquitur de peccato inobedientiæ, de quo hoc modo agemus. Primo ponemus ea quæ faciunt ad detestationem huius peccati generaliter. Secundo agemus specialiter de inobedientia eorum qui solennitates non seruant, & inobedientia eorum qui contemnunt quando excommunicantur, & de peccato eorum qui excommunicatis non timent cõmunicare. Tertio verò tangemus aliquid de peccato eorum qui indiscretè præcipiunt vel excommunicant. ¶ Ad detestationem verò huius peccati potest primo valere multiplex pœna, qua legitur punitum esse hoc peccatũ in sacra scriptura. Punitum autem est in primis parentibus pecc̃atum istud in hoc, quòd propter illud electi sunt de paradiso. Si illi qui iam erant in paradiso terrestri propter inobediẽtiã electi sunt, quomodo credunt se ingressuros in paradisum cælestem qui inobedientes sunt? Secundo punitum est in vxore Lot, quę propter inobedientiam versa est in statuã salis. Gen. 19. Statua videtur homo esse, cùm non sit: sic claustralis inobediens, licet videatur claustralis esse, tamen non est. Punitum est etiam peccatũ istud in Saul, in hoc quod propter illud electus est de regno. vnde 1. Reg. 15. Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus, ne sis rex. & 3. Reg. 13. Propheta inobediens à leone occisus est, & 20. eiusdem, quidam qui noluit obedire cuidam de filiis prophetarũ dicenti sibi, Percute me: à leone postea occisus

est.

est. & Deut. 2. habetur sic de illo qui parentibus carnalibus nollet obedire: Si genuerit homo filium cõtumacem & proteruum, qui non audit patris aut matris imperium, & coërcitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicij, dicentes ad eos: Filius noster iste proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, commessationibus vacat & luxuriæ atque conuiuiis: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatur malum de medio vestri. Item & omnis inobedientia morte æterna digna est puniri. Præceptum quasi quidam laqueus est. Vnde Eccle. 6. Vincula sapientiæ alligatura salutis. Transgressio verò præcepti siue inobedientia, strangulatio est suiipsius. ¶ Pœna etiam obedientiæ est miseria præsentis seculi in quo sumus. Vnde mirum est quomodo vltra modum non odimus inobedientiam, quę in tantam miseriam nos posuit, pro qua omnes morti adiudicati sumus. Ista interfecit omnes amicos nostros qui mortui sunt, & illos qui nobis remanserunt, & nosipsos interficiet. Adhuc vix habet homo ita bonum amicũ, quem odio nõ haberet, si tot & tanta mala sibi fecisset, & adhuc faceret quanta fecit: & hoc facit inobedientia nobis. ¶ Secundo potest valere ad detestationem huius peccati magnitudo remedij, quo indiguit illud peccatũ ad sui curationem. Oportuit enim vt filius Dei fieret obediens vsque ad mortem, vt peccatum inobedientiæ sanaretur. Bern. Ex consideratione remedij pericli mei æstimo quantitatem. In veritate potius timere debemus inobedientiam, quàm mortem, exẽplo filij Dei. De quo Ber. Memẽto te fratres, Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam. Idem: Non dabit inobedienti copiam sui tantus obediẽtiæ amator, qui maluit mori, quàm nõ obedire.

¶ De malis quæ sequuntur inobedientiam.

TERTIO potest valere ad detestationẽ huius peccati, si ostendantur mala quæ ex inobedientia sequuntur. ¶ Notandum ergo quòd inobedientia, Primò hominẽ facit idololatrã. vnde 1. Reg. 15. quasi scelus idololatriæ est, nolle acquiescere. Inobediens negat Deum, in quantum ipse Dominus est. vnde Lucæ 6. Quid vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico? Vera recognitio Dominij est obedientia fidei: inobedientia verò potius ecdit ad contumeliam Dei, quàm ad honorẽ. Maiorem enim contumeliam facit Domino Iesu Christo qui non vult ei obedire, licet credat eum esse Deum, quàm si nollet ei obedire, eò quòd non crederet eum esse Deum, tunc enim per ignorantiam peccaret, quæ culpam eius aliquantulum diminueret. Secundo inobedientia

tia reddit hominem maledictum. Vnde Deuter. 27. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. & 28. Si nolueris audire vocem Domini Dei tui, vt custodias & facias omnia mãdata eius, &c. veniẽt super te omnes maledictiones istæ, & apprehendent te. Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro. Maledictum horreum tuum, & maledictæ reliquiæ tuæ. Maledictus fructus ventris tui, & fructus terræ tuę, armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Maledictus eris ingrediens, & maledictus egrediens. Et in Psalm. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. & Eccles. 41. Væ vobis viri impij, qui dereliquistis legẽ Domini altissimi. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Hæc maledictio figurata est Matth. 20. in hoc quòd Dominus maledixit ficulneæ fructum non habenti. ¶ Tertio ferè omnia mala huius seculi ex inobediẽtia proueniunt, sicut potest haberi ex Deuter. 28. vbi post illud, Si audire nolueris vocem Dei tui, vt custodias & facias omnia mandata eius. quibusdam interpositis subditur, Mittet super te dominus famẽ & esuriem, & increpationem in omnia opera tua quæ tu facies: donec conterat te, &c. Gregor. Ideo inferiora nostra nobis non obediunt, quia nos Deo vel illi qui loco eius est non obedimus. Gen. 3. Quia comedisti de ligno ex quo tibi præceperam ne comederes, maledicta terra in opere tuo. Et pòst, Spinas & tribulos germinabit tibi. Ideo carnem suam multi inueniunt inobedientem, quia prælatis suis obedire nolunt. Inobedientia etiam facit quòd à Deo non exaudiamur, vnde Prouer. 28. Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius fiet execrabilis. Augu. Qui à præceptis Dei auertitur, quod in oratione postulat non meretur. Si obediremus Deo, Deus etiam obediret nobis, & etiam creaturæ. vnde 1. Ioan. 3. Si cor nostrum non reprehenderit nos: fiduciam habemus ad Deum. vnde quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius custodimus. Quia Iosue mandata Domini custodiebat, sol & luna ei obediebant, imò ipse Deus obediuit ei. vnde Iosue 10. Sol contra Gabaon ne moueatis, & luna contra vallem Aialon. Stereúntque sol & luna quousque vleiscerẽtur se gens de inimicis suis. Stetit itaque sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Et subditur: Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Deo voci hominis. Legimus etiam alias creaturas irrationabiles sanctis obedientes, eò quòd ipsi verè obedientes essent prælatis suis. Vnde legitur de Paulo abbate, quòd præcepit discipulo suo Ioanni, vt

affer

afferret ei fimum boum qui erat ei necessarius. At ille ait: In loco vbi fimus est, habitat leæna. Cui Abbas dixit: Si venerit super te, alliga eam, & duces eam tecum. Iuit Ioannes & inuenit leænam. Et cùm vellet super eum irruere, ipse voluit eam capere, sed fugit, & Ioannes sequebatur eam dicens: Abbas mihi præcepit vt te alligatam ducam ad eum. Et statim bestia substitit, & tenens eam reuertebatur ad monasterium. Quod cùm Abbas vidisset, ne forte ex hoc facto discipulus extolleretur, ait: Sicut tu insensibilis es, ita & insensibilem bestiam adduxisti: solue, & dimitte eam vt pergat ad locũ suum. ¶ Quarto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd hoc peccatũ tantum displiceat Deo: nec mirum si displiceat Deo, quando homo non obedit ei, cũ videat eum obedire rebus vilissimis, sicut terræ. vnde Eccle. 10. Pecuniæ obediũt omnia. Obedit etiam homo ancillæ suę, scilicet carni, & vilissimis membris suis, illis scilicet quę generationi deseruiunt. Obedit etiam dominis terrenis. Obedit etiam hostibus suis, scilicet dæmonibus, & tamẽ creatori suo nõ vult obedire. vnde Ber. loquens in personã Dei: Quæ causa est quòd inimico meo vestróque libet potius seruire, quàm mihi? Nõ ille vos pascit, non creauit? Si parua hæc videntur ingratis, non ille, sed ego redemi vos, non auro vel argento, non sole vel luna, nec aliquo angelorũ, sed proprio cruore. Itẽ non est mirum si displiceat Deo hoc peccatũ, quòd homines sibi non obediunt, cũ eos ũ obedientiã regno cælorũ velit emere, nec sic eã habere possit quã dæmones & terreni domini quasi pro nihilo habẽt. Itẽ nolunt Deo obedire ad leuia & vtilia: diabolo verò vel vilissimis mẽbris suis obediunt ad mortem eorum. Aug. Leuia iubet Deus vt in æternũ viuamus, & obedire negligimus. Præterea cæteræ creaturæ Deo obediunt. Etiam sol, & luna, & alia corpora cælestia iuxta illud Psal. Præceptum posuit, & non præteribit, quibus tamen ipse nõ tot bona fecit. Nõ enim creauit ea ad imaginẽ & similitudinẽ suã ita expresse, sicut hominẽ, nec redemit ea sanguine suo. Nõ timẽt etiã puniri ab eo, si ei nõ obedierint: nec sperãt remunerari ab eo, si ei obedierint: & tamẽ homo Deo nõ obedit, qui tot bona à Deo accepit, & tot bona sperat, si ei obediat, cũ illa ei obediãt. ¶ Quinto potest valere ad detestationẽ huius peccati hoc, q̃ inobedientes Deo nõ inueniũtur nisi eij dęmonũ sunt. Inter enim omnes creaturas nõ inueniũtur nisi duæ quæ nõ obediũt Deo, scilicet dæmones & mali homines, vnde Iob 18. Habitẽt in tabernaculo illius socij eius qui nõ est. Imò videtur inobedientes diabolo attinere, sicut obedientes reputat Dominus suos attinẽtes. vnde Mat. 12. Quicũque fecerit voluntatem Patris

Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est.

¶ *Quòd vniuersa monent hominem ad obedientiam.*

AD obedientiam monent hominem vniuersa. Monet etiam Deus. Vnde Ioan. 6. Descendi de cælo, non vt facerem voluntatem meam, sed eius qui misit me. ad Phil. 2. Humiliauit semetipsum factus obediens, &c. Ad obedientiam monẽt etiam angeli exemplo suo, cùm Deo obediant custodiendo homines. Ab ortu enim hominum custodiunt eos, quantumcunque sint homines despecti, vsque ad horam mortis, & tunc, si dignus est, deportant eum in paradisum: vt habetur de Lazaro Luc. 16. Et in Psal. Angelis suis mandauit, &c. Ipsæ etiam creaturæ cæteræ exẽplo suo monent ad obedientiam. Vnde vltra modum durus videtur esse, qui ad monitionem vniuersitatis non acquiescit, præcipuè cũ tot tormentis & flagellis diuinis quasi incessanter ad obedientiam stimuletur. Omnes enim miseriæ præsentis vitæ quasi flagella sunt, quibus Dominus inobedientiam hominis punit, & ad obedientiam excitat: vnde inobedientes homines duriores videntur esse asinis. Illi enim flagellis & aculeis obediunt.

¶ *De inobedientia non custodientium solennitates.*

SEQVITVR de inobedientia eorum, qui solennitates non celebrant. De qua hoc modo agemus. Primo ostendemus ea quę faciunt ad obseruationem solennitatum. Secundo tangemus aliquid de peruersitate hominum, qui in solennitatibus faciunt cõtraria eis ad quæ ipsæ institutæ sunt. ¶ Notandũ ergo quòd quatuor sunt quę pertinent ad obseruantiam solennitatũ. ¶ Primum est, vacare à terrenis operibus. Vnde Exod. 20. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septima autem die sabbatum domini Dei tui est. Non facies in eo omne opus tu & filius tuus, & filia, seruus tuus, & ancilla tua. Monemur etiam ad hoc exẽplo domini Gen. 2. vbi legitur q̃ requieuit Deus die septima ab omni opere quod patrarat. Nec solum vacandum est à terrenis operibus exterius, imò etiam interius à solicitudine terrenorũ. Vnde Ezech. 3. Qui quiescit, quiescat. qui quiescit, inquã, corpore, quiescat & mente. ¶ Secundum est, depositio peccati. Vnde Ierem. 17. Nolite portare pondera in die sabbati. In vigilia solennitatis deberet quilibet attendere vtrum haberet aliquod peccatum in se, & si haberet, per veram confessionem deberet illud remouere. Vnde Bern. Ad hoc nobis vigiliæ præponuntur, vt vigilemus, si in aliquo peccato vel negligentia dormiamus, & præoccupemus faciem sanctorum in confessione. ¶ Tertium est, vt caueamus nobis ne peccata committamus. Vnde Exod. 20. Memento, vt

diem sabbati sanctifices, hoc est, sanctum conserues, diligenter in eo à peccatis cauendo. ¶Quartum est, vt vtilitati animæ intendamus spiritualia opera faciendo.

¶Quòd in festis vacandum est quinque.

QVINQVE verò sunt quibus specialiter vacandũ est in festis, scilicet laus Dei, sermo Dei, sancta meditatio, oratio, elecmosynarum largitio. Laudi Dei vacãdum est: ideo tũc obseruatio solẽnitatũ quasi quædã inchoatio est beatæ vitæ quã expectamus. Vnde sicut ibi erit assidua Dei laudatio: sic in festis debemus intẽdere laudi diuinæ. Bern. Nihil adeò in terris repræsentat quendam cælestis habitationis statũ, sicut alacritas laudantiũ Deum. Sermoni etiã diuino in festis vacãdum est. Vnde Eccl. 38. Sapientiã scribe in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, percipiet eã. Homo multis occupatus, lumẽ sapiẽtiæ à se repellit, sicut arbor ramosa lumẽ solis solet repellere: ideo dicitur Eccl. 11. Fili, ne in multis sint actus tui. Quidã ait, Pluribus intentus minor est ad singula sensus. Meditationi etiã sanctæ vacãdũ est in festis. Sen. Dimitte omnia impediméta, & vaca bonæ menti: nemo ad eam peruenit occupatus. Oportet ꝙ cor hominis à rebus mundanis expediatur, ad hoc quòd colloquio Spiritus sancti dignus habeatur. Vnde Osee 2. dicit Dominus de anima: Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.

¶Quòd quatuor debemus in festis meditari.

MEDITATIO verò sancta in solẽnitatibus debet esse circa quatuor. Principaliter debet versari circa Deũ, qui si sanctũ illũ remunerauerit, cuius solẽnitas agitur, pro modico seruitio sibi exhibito, ideo debet animari homo ad seruiẽdum tã liberali domino. Vnde in Psal. Vacate & videte, quia ego sum Deus. Satis apparet in remuneratione sanctorũ, quoniã ipse sit Deus. Debet etiã meditatio sancta versari circa solẽnitatem istã quã expectamus, cuius figura sunt solẽnitates præsentis vitæ. Et sicut in festis istis nõ est tẽpus cõgregandi, sed congregatis vtẽdi: sic nec in illa solẽnitate tempus erit aliquid congregandi. Vnde magnam indigentiam tunc habebunt qui sibi non prouiderint, præcipuè cùm non sit ibi locus mendicandi, nec aliquid accipiẽdi mutuo. In festiuis diebus deberet homo admirari delicias illius solennitatis, & accendi ad desiderium earum. Bern. Quid est quod non optamus etiam per medios enses, si oporteat declinare tantam miseriam, & ad tantam accelerare gloriam? Grego. Quid prodest interesse festis hominum, si deesse cõtingat festis angelorũ? Ezech. 46. Hæc dicit Dominus Deus: Porta atrij interioris quæ respicit ad

ad Orientem, erit clausa sex diebus, in quibus opus fit: die autem sabbati aperietur. Porta ista respiciens ad Orientem, est meditatio de Deo, à quo ortum habemus. Cui meditationi non possunt homines intendere ferialibus diebus propter terrena opera: ideo deberent ei intendere diebus quietis. Et sicut solennitates præsentes figuræ sunt æternæ solennitatis: sic vigiliæ quæ præponuntur festis, figuræ sunt temporis pœnitentiæ. Vnde in hoc, ꝙ vigiliæ festis præponuntur, ostenditur qua via sancti ad gloriam illius solennitatis peruenerunt, & qua via oporteat nos ire, si ad eam volumus peruenire. Bern. Vniuersum tempus pœnitentiæ quædam vigilia est solennitatis futuræ, & æterni sabbati quod præstolamur. Nec causaberis vigiliæ diuturnitatem, si æternitatem solennitatis attendas. Sicut beatus Bernard. tangit, In festis istis vigilia æqualis est festo. Festum enim diurnum præcedit vigilia diurna: sed solennitatem æternam præcedit vigilia, qua si vnius diei comparatione illius solennitatis: iuxta illud Psalm. Mille anni ante oculos tuos tãquam dies hesterna quę præteriit. ¶Sed sunt qui volunt facere festum stultorũ. Prius enim volunt facere festum, quàm vigiliã. Illorum festũ quasi diurnũ est: vigilia verò æterna erit. Ipsi faciunt festũ in hoc mũdo, vigiliã cum diabolo in inferno. Non in pane & aqua, imò erunt per infinita millia annorum, quòd lingua eorum ardebit igne, & vnicã guttam aquæ habere non poterunt. Argumentum ad hoc, Lucæ 16. de diuite epulone, qui tot annis transactis petiit guttam aquæ, & nondum habet. ¶Tertio debet meditatio versari circa teipsum, vt videas in quo statu es. Gene. 3. Adam vbi es? Et vt excogites defectus tuos, & quomodo facilius ad salutem poteris peruenire. ¶Quarto verò debet versari meditatio circa sanctum, cuius festum celebratur. Circa quem tria debemus attendere. Auxilium sancti, exẽplum eius, confusionẽ nostrã, sicut docet beatus Bern. Auxilium sancti, quia potens in terra, potentior in cælis est ante faciem domini Dei sui. Si dum adhuc viueret misertus est peccatoribus, & orauit pro eis: nunc tanto amplius quãto verius cognoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatẽ eius non mutauit, sed augmentauit, neque quia impassibilis factus est, ideo omnino incompassibilis factus est: sed nunc potius induit sibi viscera misericordiæ, cum ante fontem misericordiæ assistat. Est & alia causa quæ magis vrget sanctos, vt soliciti sint de nobis: quia iuxta vocẽ Apostoli, Deus prouidet nobis ne sine nobis consummẽtur. De exẽplo planum est, sed & diligẽtiori intuitu cõfusionẽ nostrã interim inspiciamus, quia

homo ille similis fuit nobis, passibilis, ex eodem luto formatus ex quo & nos. Quid est ergo quod non solum difficile, imò impossibile credimus, vt faciamus opera quæ fecit? Sic igitur in solennitatibus sanctorum gaudere & confundi deberemus. Gaudere, quia tales & tantos patronos præmisimus. Confundi, quia eos imitari non possumus. Ita hoc semper gaudium nostrum in hac valle lachrymarum pane lachrymarum condiri debet.

¶ Quòd vacandum sit orationi in festiuitatibus.

ORATIONI etiam vacandum est in festis, sicut & sanctæ meditationi. Meditatio enim & oratio sunt quasi duo pedes, quibus in cælum ascendendum est. Bern. Ascendamus duobus pedibus, meditatione & oratione. Meditatio quid desit docet, oratio ne desit obtinet. Tunc etiam intendendum est eleemosynarum largitioni: iuxta illud 2. Esdræ 8. Comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his qui non præparauerunt sibi. Sed multi hodie nihil horum obseruant propter quæ solennitates institutæ sunt: quia nec à terreno opere vacant, nec pondera peccatorum deponunt: sed amplius peccant in festis quàm in aliis diebus, & neglecta vtilitate animæ, deliciis corporalibus intendunt. Contra illos qui à terreno opere nō cessant, primo potest valere quod legitur Num. 15. de illo qui colligebat ligna in sabbato, quē Moyses & Aaron recluserunt in carcerem, requirētes à domino quid de eo facerent. Dixítque dominus ad Moysen: Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra, quod factum mysticum est. Ligna spiritualiter scindit, qui materiam ignis infernalis sibi colligit: qui lapidādus est, id est, duris obiurgationibus increpādus est, qui nō vult cessare in festis quin mala ad suū incēdiū colligat. Potest etiā valere cōtra peccatū horū, si oblatū magna ingratitudo & peruersitas quę sunt in hoc peccato.

¶ De ingratitudine non obseruantium diem Dominicam.

NOTANDVM ergo q̄ illi qui Dominicā diē nō obseruant, ingrati sunt Deo de creatione mundi, & de hoc, q̄ pro eis voluit nasci in valle huius miseriæ, & de beneficio quod mūdo contulit in die Resurrectionis, & in die Pentecostes, quando Spiritūsanctum misit in discipulos suos. Omnia enim hęc in Die Dominica facta sunt, propter quæ dies illa celebris habenda est. Tales peccāt in Patrem, & Filiū, & Spiritūsanctum. In Patrē, cuius potētia mundū creauit. In Filiū, cuius sapiētia mūdum redemit. In Spiritūsanctū, qui tali die missus est in mūdū. Ipsi ingrati sunt suo creatori, redēptori & cōsolatori. Bene deberent aliquid pro Deo facere à morte suā in die illa, qua filius Dei natus est pro eis: deberēt etiam cauere à casu in honorem Dominicæ resurrectionis, non deberent etiam Spiritumsanctum ab hospitio suo repellere in die illa qua ecclesiæ datus fuit.

¶ Quadruplex ratio quare celebrare debemus sabbatum in honore beatæ Mariæ virginis.

ET notandū q̄ sicut quadruplex ratio assignatur quare dies Dominica celebris habeatur, sic potest quadruplex ratio assignari quare beatę Virgini in sabbato potius honor exhibetur, quā aliis diebus. ¶ Prima ratio est, quia beata Virgo in sabbato, in quo Deus fuit in sepulchro, sola in fide stetit Apostolis discedētibus. ¶ Secūda ratio est, quia sicut à ieiunio sextæ feriæ fit trāsitus per sabbatū ad solēnitatē Dominicæ: ita à miseria præsentis vitæ vel peccati fit trānitus ad statū gloriæ vel gratiæ per beatā Virginē. ¶ Tertia ratio est, quia tali die multoties legitur beata Virgo miracula fecisse, & beneficia peccatoribus præstitisse. ¶ Quarta ratio est, quia apud Græcos fuit quædā imago beatę Virginis, cuius velamē à nona sextæ ferię diuina virtute recedebat, & post nonā sabbati similiter Dei virtute redibat. Cuius miraculi hæc ratio potuit esse, vt ostēderetur q̄ præcipuè tali die facies beatæ Virginis peccatoribus orātibus intēdebat, propter quod Græci diem illā solēnitatem dixerūt. Deinde consuetudo illa ad Latinos trānsiuit quātum ad hoc, vt in illa die specialis honor beatæ Virgini exhibeatur. Valde peruersi vidētur esse qui nolūt in festiuis diebus à terreno opere vacare, qui potius volūt laborare in seruitio diaboli, quā quiescere in seruitio Dei: qui potius eligūt statū miserię, vt in sudore vultus sui pane vescātur suo, quā statū ante peccatū, vt sine sudore panē suū comedāt: potius volūt hic inchoare infernū suū, quā paradisum. Quædā inchoatio paradisi est quies solēnitatum: potius volūt laborādo ire in infernū, quā quiescēdo ire in paradisum. Ecclesia per quietē solēnitatum vadit celerius in paradisum, quā per laborē ferialiū dierū, quod figuratum est in hoc quòd legitur Actuum 1. quòd mons Oliueti erat iuxta Ierusalem sabbati habēs iter, vt per montem Oliueti ecclesia designetur, quæ per quietē solēnitatum in cælestem Ierusalem tēdit. ¶ Cōtra illos qui pōdus peccati in festis nolunt deponere, primò videtur esse illud, quod legitur 2. Esdræ vltim. quòd Neemias die sabbati clausit portas Ierusalem, ne inferrent venalia, & commissus est eis, si secundo hoc facerent, quòd poneret in eos manus. Tales qui pondera peccatorum in festis deponere nolunt, valdè peruersi sunt: potius enim volunt portare onus diaboli

graue, quàm onus Christi. Quòd onus Christi sit leue, habetur Matt.11. Quòd onus diaboli, scilicet peccatum, sit graue, habetur ex illo verbo Psal. Sicut onus grauæ grauatæ sunt super me. Et ex hoc, quod Zach.5. figuratur iniquitas per talentũ plumbi. Tales potius volunt portare onus, quod demergat eos in profundũ inferni, quàm onus pro quo detur eis gloria paradisi. Et cũ ipsi non permitterent asinum suum oneratum esse vltra quod debeat; sibiipsis in hoc nullo modo compatiũtur, nec in festis, nec in aliis diebus. Portitores ad collum videntur esse diaboli. Bene apparet, q̃ malũ dominũ habẽt, qui nec festis diebus permittit eos quiescere. Diabolus videtur esse dominus eorũ, de quo scriptum est Ierem.6. Crudelis est, & non miserebitur. Peccator non solũ seruus diaboli est, imò est quasi pecus ipsius. vnde super illud. Misit in eos iram indignationis suæ. dicit gloss. Tantũ potest diabolus in homine malo, quantum homo in peccato suo. Item Psalmista: Contritio, & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. Impietas, quæ in eis est, non permittit eos quiescere, vnde Esaiæ 57. Impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest. Et Threno. primo: Peccatum peccauit Ierusalem, propterea instabilis facta est. muscæ quæ vexauerunt Ægyptios, eos vexare videntur. vnde Gregorius: Israël sabbatum accepit in munere: Ægyptus percutitur muscarum multitudine. Magis bestiales videntur esse tales, quàm asina Balaam, in hoc quòd ipsa cõquesta est de domino suo, qui iniquè agebat in eam: vt legitur Numeri 22. Ipsi autem nesciunt conqueri de domino suo diabolo, qui adeò iniquè agit in eos. Fatuus videtur esse, qui pro talibus petit requiem æternam post mortẽ eorum, cum ipsi in vita sua nunquam requiem amauerunt, præcipuè cum scriptum sit in fine Esa. Erit sabbatum ex sabbato. Ex quiete enim mentis in præsenti, sequitur requies in futuro. Et dicit dominus Matth.11. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, & miseri fugiunt eum. Clamat autem diabolus contra rium, & miseri homines currunt ad eũ. ¶ De illis autem qui magis peccant in festis quàm in aliis diebus, notandum quòd ipsi sunt valde fatui & peruersi: in tempore sancto non sanctè volunt viuere, similes illis qui extra ecclesiam cauerent à peccato, & in ecclesia se omni immũditiæ exponerent. Sicut enim loco sancto deferendum est, sic & tempori sancto. Si quis in omnibus festis araret & foderet, ipse valde malus reputaretur. Quomodo ergo non multum peccant qui in diebus Dominicis fornicantur? Citius enim posset cõcedi quòd aliquis in omnibus festis araret vel

vel foderet, quàm quod semel in die Dominica fornicaretur. Nõ ideo instituit ecclesia vt in festis cessaretur à terrenis officiis quę bona sunt, vt malis intẽderetur, sed vt intẽderetur spiritualibus, quę meliora sunt. Festa instituta sunt ad gratiam sanctorum acquirendam, & ipsi eorum iram prouocant. Tempus illud quod Dei seruitio appropriatum est, diabolo dedicant: nec à peccato cupiditatis tunc cessant, vel in aliquo sibi cauent, & ebrietati, & luxuriæ, & superbiæ, & lasciuiæ, & cæteris vitiis se exponũt, amplius offendunt Deum in Dominica vna quàm per totam septimanam. Non videntur talia festa esse Dei. Iam enim impleuisse dæmones in magna parte quod intendebant. Iam enim in magna parte quiescere fecerunt dies festos Dei à terra. Solennitates ecclesiæ iam pro magna parte similes illis factæ sunt, de quibus legitur Esaiæ 1. Solẽnitates vestras odiuit anima mea. Facta sunt mihi molesta: laboraui sustinens. & Thren.1. Viderunt eam hostes, & deriserunt sabbata eius. ¶ Illi verò qui in festis vti situati corporis vacant, & deliciis corporalibus, & ornatui corporum, similiter valde peruersi sunt. De ancilla enim dominam faciunt, & festum, quod deberent facere Deo cæli, faciunt suo vẽtri. Hi sunt quorum Deus venter est: vt legitur ad Philippenses tertio: Hi non Domino Iesu Christo, sed ventri suo seruiunt. Ad Roman. decimosexto. Contra solennitates eorum dicit Hieronymus: Valde absurdum est, honorare ventrem nimia saturitate, quem scimus Deo placuisse per ieiunium. Et Leui. 23. Sabbatũ requietionis est, affligetisque animas vestras. ¶ Ipsi credunt, vt vi derur, q̃ festa ideo instituta sint, vt refectioni vnius sacci possint vacare, & impletioni vnius vasis immundi, scilicet ventris. Ideo dominus comminatur eis miro modo, Malach. 2. Vix auderem comminationem illam dicere, nisi Spiritus sanctus eam per prophetam diceret. Sic enim legitur ibi: Dispergam super vultum vestrum stercus solennitatum vestrarum, dicit Dominus.

¶ *De inobedientia contemnentium excommunicationem, & quòd valde tremenda sit.*

SEQVITVR de inobedientia eorum qui contemnunt, quãdo ab ecclesia excommunicantur. Et notandum in primis, quòd quæ sunt species excommunicationis, scilicet maior & minor. Minor separat à sacramentis ecclesię: maior separat ab ingressu ecclesiæ, & à communione fidelium, & à sacramentis. & hæc dicitur anathema. ¶ Et possunt duodecim rationes ostendi quare timenda sit multum excommunicatio. ¶ Primo timenda est, quia est ictus gladij spiritualis, qui magis timendus est, quàm

materialis. De his gladiis legitur Luc. 22. Ecce duo gladij hic. August. etiam dicit de illo qui excommunicatur, quòd grauius est hoc illi, quàm si gladio feritetur, si à feris deuoraretur, si in flammis exureretur. ¶ Secundo timenda est excommunicatio, quia excommunicatus est vt homo valde infirmus qui nullum remedium vel medicinam potest habere: ipse enim separatus est à sacramẽtis ecclesiæ, quæ sunt quasi medicinæ. De quibus medicinis legitur Eccle. 38. Vnguentarius faciens pigmenta suauitatis, & vnctiones conficiens sanitatis. ¶ Tertio verò timenda est, quia excommunicatus est velut homo captus ab hostibus suis, omni auxilio destitutus & omni succursu, quia priuatus est à communione fidelium, nec habet partem in aliquibus bonis quæ fiunt ab ecclesia. Ipse est similis illi qui cecidit in foueã sub onere, nec habet qui subleuet, & ideo væ illi. Ecclesiastic. 4. Væ soli: quia si ceciderit, non habet subleuantem se. Econtrario vero dicitur Prouerbiorum 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma. ¶ Quarto timenda est, quia excommunicatus est quasi infirmus habens morbum infectiuum, qui à consortio hominũ eiicitur: Ideo lepra ab omnibus timetur, quia morbus contagiosus est. Et multi sunt qui dicunt, Alias infirmitates det mihi Deus, si sibi placuerit, sed à lepra me custodiat. Excommunicatio velut lepra spiritualis est. vnde per lepram Mariæ figurata est Numeri 12. Et in hoc excommunicatus deterior est cæteris peccatoribus: quia si alij peccatori loquor, vel alicui cõmunico, qualiscunque sit, ex quo non est excommunicatus, non est mihi periculũ, sed in excõmunicato magnum est periculum. vnde aliqui sunt qui potius eligerent mori, quàm semel communicare cum deliberatione alicui excommunicato & in casu non concesso. Et in veritate melius esset comedere cum porco, quàm cum excommunicato. Deterioris enim conditionis in hoc videtur esse excommunicatus, quàm infidelis. vnde 1. ad Corinth. 5. Si quis frater nominatur inter vos, & est fornicator, aut auarus, &c. cum huiusmodi nec cibum sumere. Augustinus: Eam nominationem intelligi voluit Apost. quæ fit in quenquam cum sententia ordine iudiciario & integritate profertur. 1. ad Corinth. 10. sic legitur: Si quis infidelium vocat vos ad cœnam, & vultis ire, omne quod vobis appositum fuerit, manducate. ¶ Quinto timenda est excommunicatio, quia excommunicatus est quasi canis immundus, cui non licet intrare in ecclesiam. Et in veritate magis offenditur Deus, quòd ipse intrat ecclesiam Dei, quàm si vnus canis iuntraret. Apocal. vltim. Foris canes. & Ecclesiasti. 13. Quæ commu

communicatio sancti ad canem? ¶ Sexto timenda est excommunicatio, quæ est quasi membrum abscissum à corpore, quod nullius valoris est. Quid valet manus abscissa à corpore? & sicut super omnia timenda est abscisio membri à corpore eius: sic nihil magis timere debet Christianus, quàm separari à corpore Christi, quod est ecclesia. vnde Augustinus super Ioan. Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi. Iã non est membrum eius, iam non vegetatur spiritu eius. ¶ Septimo timenda est excommunicatio, quia homo excommunicatus similis est palmiti abscisso à vite, qui minoris valoris est, quàm cæteri rami postquam abscissus est, cum valde vtilis sit, cũ viti adhæret. Abscissus valet ad hoc vt in ignem ponatur: ex aliis ramis multa vtilia fieri possunt, sed non sic ex palmite. vnde Ezechie. 15. Fili hominis, quid fiet de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna syluarum? Nunquid tolletur de ea lignum vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt dependeat in eo quodcunque vas? ecce igni datum est in escam. & Ioan. decimoquinto: Sicut palmes non potest facere fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis. ¶ Octauo timenda est excommunicatio, quia ille, qui excommunicatur, satanæ traditur. Sicut ecclesia hæreticos conuictos relinquit seculari potestati: ita illos qui excommunicantur, potestati satanæ tradit. Vnde Augustinus: Omnis Christianus, qui à sacerdote excommunicatur, satanæ traditur. Quomodo? quia extra ecclesiam diabolus, sicut in ecclesia Christus. Ac per hoc diabolo traditur, quia ab ecclesiastica communione remouetur. & Apostolus 1. ad Corinthios 5. Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, tradere huiusmodi satanæ. & loquebatur de Corinthio fornicatore, qui erat excommunicandus. ¶ Nono timenda est excommunicatio, quia excommunicatus est sicuti infidelis. Vnde Matthæi decimooctauo dicit Dominus de excommunicando: Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. ¶ Decimo timenda est excommunicatio, quia excommunicatus videtur esse deterior quàm gentilis: est enim quasi apostata à Christiana religione. vnde communiter dicuntur excommunicati esse extra legem & extra Christianitatem. & sicut deterioris conditionis est qui ab aliqua religione apostatauerit, quàm ille qui nunquam in aliqua religione fuit, & ille qui degradatus est ab ordinibus susceptis, deterioris videtur esse conditionis, quàm qui nũ-

quam ordines susceperit: ita qui extra Christianitatem positus est propter culpam suam, deterioris conditionis est, quàm qui non quam Christianus fuit. vnde super illud, Sit tibi sicut ethnicus & publicanus. dicit glossa: Detestabilior est, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quàm apertè infidelis. Iudæus aliquam legem habet, licet non sibi sufficientem. Gentilis etiam aliquam legem habet, saltem naturalem: sed excommunicatus nullâ videtur habere, quum ille extra legem Christianorũ dicatur esse, & non sit Iudæus vel gentilis. Inutilis etiam videtur esse quo ad Deum, & quo ad mundum. Homo enim apostata vir inutilis est, vt legitur Prouerbio. 5. ¶ Vndecimo timenda est, quia isto peccato diabolus multos lucratur vnde quidam diabolus loquens in quodam dæmoniaco post multas adiurationes cuiusdam boni viri, dixit ei, quòd hoc erat peccatum quo plures lucrabatur. Vnus enim excõmunicatus vna die quandoque facit peccare cẽtum personas, dum facit eas cõmunicare sibi. ¶ Duodecimo timẽda est excommunicatio, quia valde damnosa est: aufert enim homini partem suam de omnibus missis & aliis bonis quæ fiunt in ecclesia Dei, quòd non est paruum damnum. Quis enim dignè sufficeret æstimare valorem vnius missæ? Et hæc quæ dicta sunt, de maiori excommunicatione intelligenda sunt.

¶ *De inobedientia contemnentium minorem excommunicationem.*

SEQVITVR de peccato eorũ, qui contemnunt minorẽ excõmunicationẽ, & ideo non timent communicare cum excõmunicatis, licet communicando minorẽ excommunicationem incurrant. ¶ Et notandũ quòd ille qui communicat cũ excõmunicato, peccat in se, & in eũ cui communicat, & in illum pro cuius iniuria excommunicatio lata est, & in matrem suã ecclesiã, & in patrẽ spiritualẽ qui fert sententiam, & etiam in patrẽ cælestẽ. In se peccat, quia non cauet sibi ab eo qui habet morbum cõtagiosum: in quo videtur minus se amare quàm porcum suum. Porcus enim suus bene caueret ab alio porco qui morbum contagiosum haberet. In eum etiam cui communicat peccat: quia cũ ipse sit infirmus ad mortem, ipse aufert ei remedium, & saltẽ minus efficax reddit, dum confusionem ipsius minuit, per quam corrigi debuit. Ecclesiastic. 4. Est confusio adducens gloriam. & Dauid: Imple facies eorum ignominia, &c. Et Micheæ 4. Egredieris de ciuitate, & venies in Babylonẽ, ibique liberaberis. Peccat etiam in eũ, pro cuius iniuria excommunicatio lata est, quia aufert ei rem suam. Peccat etiam in ecclesiam, quam malo exemplo

plo corrumpit, & cuius societati præponit societatem eorum, qui sunt vt leprosi, imò sicut canes & porci. Peccat etiam in patrem spiritualem, cuius sententiam contemnit. Peccat etiam in Deum, quem in ministro suo spernit. Luc. 10. Qui vos spernit, me spernit. Ipse potius amat priuari mensa Dei, id est altari, quàm mensa excommunicati: & potius amat societatem diaboli, quàm filiorũ Dei. Ideo merito in inferno socius erit diaboli. Quidam ait in Vitis patrum: Qui non vult ecclesiæ ianuã humiliatus ingredi, necesse habet in ianuam inferni non sponte damnatus intrudi.

¶ *De peccato indiscretè præcipientium.*

SEQVITVR de peccato indiscretè præcipientium. ¶ Et notandum est, quòd multis modis indiscretè præcipit, vel cum superbe præcipit, iuxta illud Ezech. 34. Quod perierat non quæsistis, & cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Sene. Remissius imperanti melius paretur. Natura contumax est animus humanus, & in contrariũ atque arduum nitens, facilius sequitur, quàm ducatur. ¶ Item indiscretè præcipit, qui nimia vel nimis grauia præcipit. Matthæi vicesimotertio: Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum, &c. Actuum 15. Quid tentatis Deum, iugum imponere super ceruices discipulorum, quod nec nos neque patres nostri portare potuimus? ¶ Item indiscretè præcipit, qui præcipiendo sensum suum sequitur, sicut illi quibus dominus dicit Matt. 15. Irritum fecistis mãdatum Dei propter traditiones vestras. & postea: Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum. ¶ Idem indiscretè præcipit, qui non beneplacitum Dei, nec vtilitatem subditorum, sed propriam vtilitatem præcipiendo quærit. ¶ Et notandum, quòd prælatus in præcipiendo deberet esse minister Dei, & deferre mandatum eius ad subditos, & mandando deberet Deo seruire in subditis. vnde Augustinus in libro de moribus ecclesiæ, vbi ostendit omnem virtutem esse amorem Dei, dicit quòd iustitia est amor soli amato seruiens, & ideo rectè imperans.

¶ *Sex quæ debent prohibere prælatos à multitudine præceptorum.*

SEX vero sunt quæ deberent prælatos cohibere à multitudine præceptorum. ¶ Primum est hoc, quòd primis parentibus legũntur duo præcepta fuisse facta, Genesis 2. Ex omni ligno paradisi comedes: de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, & alterum eorum transgressi sunt. ¶ Secundum est hoc, quòd natimur in vetitum semper, cupimúsque negatum. Sicut impetus aquæ crescit obice inuento, sic desiderium crescit illis, qui non habent gratiam, propter prohibitionem. De nullo alio fructu

parad

paradisi leguntur primi parentes comedisse, nisi de fructu vetitō. Vnde ad Rom. 7. Sine lege peccatum mortuum fuerat. & subditur paulò pòst: Sed cū venisset mandatum, peccatum reuixit. Item eiusdē 5. Lex subintrauit, vt abundaret delictum: ¶ Tertiū est hoc, quòd prælati potius deberent onera subditorum portare quàm grauare. vnde Bern. loquens prælatis: Quid iugum vestrum super eos aggrauatis, quorum onera potius portare deberetis? & 4. Regum 2. dicit Eliseus ad Eliam: Pater mi, currus Israël & auriga eius. Prælatus debet esse vt auriga, vt subditos regat, & currus vt onera portet. ¶ Quartum est hoc, quòd qui nimis emungit, elicit sanguinem: vt legitur Prouerbiorum 30. Prælati deberent esse vt matres, lac dulcis doctrinæ subditis propinandō: sed aliqui hodie pro lacte propinant sanguinem peccati. ¶ Quintum est exemplum Christi dicentis Matthei 11. Iugum meum suaue est, & onus meum leue. Ipse etiam legem nouam dedit Matthæi 5. non imperando, sed dulcedine præmij ad legis attrahendo amorem. Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. ¶ Sextum est, quòd prælati adiutores debent esse salutis. Qui autem multa præcipiunt, potius salutem impediunt. ¶ Et notandum quòd valde impij sunt tales prælati. Ipsi enim iugulant filios proprios: quot enim præcepta eis faciunt, tot eis laqueos ponunt. Vnde accidit quòd quem non strangulat vnus laqueus, alius strangulat: & quem non capit diabolus laqueo vno, capit alio. Ipsi occasiones mortis ponunt iuxta filios suos, qui quasi phrenetici sunt, quum deberente os elongare ab eis. Ex morsu pomi venenati sunt homines quasi phrenetici, nisi per gratiam Dei sanati sint: & ideo noxia appetunt. Tales etiam prælati adeò arctant viam paradisi, quòd quando aliquis vult pedem ponere in via, ipse ponit extra viam. Ipsi etiam paruulos vnius diei conualescentes à magna infirmitate ita onerant, quasi essent fortes & sani. Paruuli vnius diei sunt, qui ad pœnitentiam veniunt. Ipsi etiam conualescunt à magna infirmitate. Nullus tyrannus tot iniungit sub pœna mortis temporalis, quot ipsi iniungunt sub pœna mortis æternæ.

¶ *Contra nimietatem præceptorum in claustro.*

SPECIALITER verò reprehensibilis est nimietas præceptorū in claustris. Hoc est vnum illorum trium, quæ solent religionem destruere. Argumentum habemus de hoc Genesis 2. in prima religione quę fuit in paradiso terrestri, in qua duo præcepta data fuerant, & contra vnum eorum factum est. ¶ Secundum est singularitas, de qua exemplum habemus Esaię 14. De religione supernā, à qua

à qua Lucifer hoc peccato eiectus est: Sedebo, inquit, in monte testamenti, &c. Alij ministrabant: iuxta illud: Millia millium ministrabant ei, &c. ¶ Tertium est, amor temporalium: de quo habemus exemplum Act. 5. de Anania & Saphira, qui de abbatia Petri occasione temporalium perierunt. Sicut claustrales cauent ab aliis occasionibus peccandi, sicut à multiloquiō, in quo deerit peccatum, vt legitur Prou. 10. & à iuramento, ex quo sequitur frequenter periurium: sic deberent cauere à nimietate præceptorum, ex qua frequenter sequitur transgressio.

¶ *Contra nimis facilè excommunicantes.*

SEQVITVR de peccato eorum, qui nimis de facili excommunicāt. A quo peccato deberēt cohibere specialiter ista quatuor, sci licet excommunicatio, quæ est abscissio membri à corpore ecclesiæ. Vnde omnia alia remedia deberent adhiberi antequam excommunicatio fieret, sicut membro infirmo adhibentur primo multa remedia, & si valere non possunt remedia, rescinditur, ne pars vna corrumpatur. ¶ Secundum est nobilitas corporis, à quo per excommunicationem membrū rescinditur. Corpus enim illud corpus Christi est mysticum, scilicet ecclesia. Si rex Franciæ haberet infirmitatē in membro, non de facili abscinderetur membrū illud. Cum quanta igitur cautela abscindendum est membrū de corpore Christi? Totum corpus ecclesię cōtremiscere deberet, quando vnū membrū deberet inde abscindi: sicut accidit in corpore humano, quod totū corpus cōtremiscit, si vnū mēbrū sit amputandū. ¶ Tertium verò hoc est, quòd quādo aliquis excōmunicatur, ipso gladio quo percutitur, satanæ traditur, sine consilio & auxilio relinquitur, vt prius ostensum est. Non debet autem parua causa esse, pro qua mater filium gladio percutit, lupis inferalibus exponit: & infirmū ad mortem sine consilio & auxilio relinquit. ¶ Quartū verò est hoc, quòd frequentius excommunicationē nō sequitur vtilitas, quam solebat cōsequi. Excōmunicatio enim ad hoc solebat fieri, vt illi qui excommunicabantur corriperentur, ne populus exemplo eorum corrumperetur: hodie autem contrarium accidit, & frequenter qui excommunicantur excōmunicationem contemnunt, & ad peccata fræna relaxāt. Alij etiam corrumpuntur, quia communicant eis. Vnde remedium versum est in venenum. Ideo rarò essent faciendæ excommunicationes, præcipuè generales, & rarò essent constituendi canones latæ sententiæ.

¶ *De sententia iusta vel iniusta.*

ET notādū quòd ad hoc quòd sentētia sit iusta, requirūtur tria, scilicet

scilicet quòd fiat ex certa causa sufficiẽte,& zelo iustitię,& ordine iuris obseruato.Deficiẽte verò aliquo istorũ iniusta est, tamẽ ligat ex quo lata est ab illo iudice,qui habet super hoc iurisdictionẽ canonicã.Et reseruãda est ab ecclesia militãte.Fallit tamẽ hoc in duobus casibus.Vnus est,quãdo lata est sentẽtia post legitimã appellationẽ:alius est,quãdo cõtinet intolerabilẽ errorẽ.Intolerabilẽ errorẽ intelligo,cùm sic dixit excõmunicãs:Excõmunico te, quia credis in Deũ,quia non fornicaris,quia obediens es prælatis tuis,& similia.Excommunicatus verò iniustè,sustinere debet patienter,& humiliter excommunicationẽ,& præsentare se excommunicatori offerens canonicam satisfactionem si in aliquo offendit,& sic instãter postulare absolutionem.si sic fecerit, erit ei ad meritũ.Vnde Aug.Qui iustus est,& iniustè maledicitur, præmiũ illi redditur.Item Aug.Aliud est sella terrena, aliud est tribunal cæleste:ab inferiori accipit sententiam,à superiori coronam.

De peccato vanæ gloriæ. CAP. XXXIX.

SEquitur de peccato vanę glorię,de quo hoc modo agemus. ¶Primo ponemus ea quę possũt valere ad detestationẽ huius peccati.Secũdo ponemus diuisionẽ vanę glorię. Tertio vero remedia cõtra illud peccatũ.Est autẽ vana gloria secũdũ Aug. iudiciũ hominũ de aliquo benè opinantiũ. secundum Tulliũ verò vana gloria est magni dicti vel facti frequens fama cum laude.

¶ De his quæ faciunt ad detestationem huius peccati.

AD detestationem verò huius peccati possunt valere verba sacræ scripturæ,quæ illud dissuadent, vt est illud Prouerbior. 27. Ne glorieris in crastinũ. Et illud Hieron.Nõ quæras gloriam,& non dolebis cum inglorius fueris.Qui laudẽ non appetit, contumelias non sentit.¶ Secũdo verò possunt valere ad hoc exempla. Inter quæ præcipuũ est exemplũ Christi.Exemplũ vanę glorię vitandæ dat Christus Matt.10.vbi duobus cæcis,quibus oculos aperuerat,dixit: Videte ne quis sciat. & Matth. 8. dixit leproso curato: Vide nemini dixeris. Et eiusdem 14. vbi miraculo facto de quinque panibus & duobus piscibus, compulit discipulos statim ascendere nauiculam,ne vanam gloriã haberẽt de aliquibus quę audierant de miraculo illo.& Lucæ 10. vbi reprehendit discipulos suos,qui gloriabantur de miraculis factis,Videbã, inquit, satanã sicut fulgur de cælo cadentem.& Ioan.8. Ego gloriã meam non quæro, &c. Multi etiam antiqui patres fatuos se simulauerunt,vt cauere sibi possent à vana gloria. Vnde cum quidam senex in spelũca sua requiescẽs rogaretur multis precibus à quodã seculari sibi ministrante,vt veniret orationem facturus super filium

filium suum defunctum,& dum ille iret ad funus, occurrunt ei multi cum lampadibus suis in occursum eius, quia sanctus homo erat,& quum videret senex,simulauit se stultum, expolians se vestimentis mittens ea in flumine, & stans nudus lauabat ea. Secularis autem qui ministrabat seni, erubuit,dicẽs populo:Reuertimini,senex noster perdidit sensum suũ:& veniẽs ad senẽ quę fuit quare hoc fecisset,quia omnes dicerent, Dęmonium habet senex.Cui respondit senex:Et ego volebam hoc audire.¶ Tertio potest valere ad detestationem huius peccati vanitas, quæ in ea est. Tantæ autẽ vanitatis est peccatũ istud,quòd licet omnia,quæ sub sole sunt,vanitas sint,tamen vana gloria quasi vanissima,hoc nomen sibi appropriauit.Potest autem dici vana gloria, & quia valet nihilũ,& quia vadit ad nihilu.Nihilũ valet , quia nec corpori, nec animę valet,imò plurimum animæ nocet.Naturale autẽ est, quòd apprehendens in re apprehensa delectetur , & non ecõuerso:vt visus delectatur in viridi colore,&: non color viridis delectatur ex eo quòd videtur:sic videtur quòd aliquis non debeat delectari ex eo quòd creditur talis vel talis , sed potius illi qui vident eum bonum,debent in eo delectari.Præterea quæ vtilitas est chimæræ,ex eo quòd est in opinione hominum? Vel montibus aureis,ex hoc quòd fingitur vel imaginãtur ex hominibus? Sic nulla vtilitas videtur esse homini ex hoc quòd magnus est in opinione hominum. Qui autem appetit quòd sit magnus vel bonus in opinione hominum, appetit,vt videtur,quòd habeat tale esse,qua le habet chimæra.Ad nihilũ etiã vadit vana gloria. Citò enim fit ignominia superbi gloria,vt dicit Senec. Sicut potest apparere in domino Iesu Christo,qui in tanta gloria in Ramis palmarum in Ierusalem susceptus est,& pòst ab eodem populo in eodem loco & in eodem tempore paucissimis diebus interpositis , crucifixus est.vnde dicit Bern.Vbi prius dictum fuerat ei: Benedictus qui venit in nomine domini. dictum est postea : Tolle,tolle , crucifige eum:& qui prius vocatus fuerat Rex Israël, postea audiuit : Non habemus regem,nisi Cęsarem.Et cui prius vestimenta prosterne bantur aliena,suis postea spoliatus est.¶ Quarto potest valere ad detestationem huius peccati fatuitas magna,quæ est in ea:quam fatuitatẽ insinuat dominus Matt.25.vbi per fatuas virgines amatores vanæ gloriæ intelliguntur.

¶ De octo vanitatibus quæ sunt in vanè glorioſis.

ET possũt octo fatuitates assignari quę inueniũtur in eo qui amat vanã gloriã.¶ Prima est,quòd ipse permittit sibi illudi vnius, quã illuderetur alicui cęco.Dicit enim diabolus ei:Aperi os tuũ,& ego

ego implebo illud, & imponit ei diabolus, quum os desiderij aperuerit, vanã gloriã, quę nihil est, iuxta illud verbũ domini Ioan. 8. Si ego gloriam meã quæro, gloria mea nihil est. & fatuus credit os desiderij sui posse impleri. ¶ Secunda fatuitas est, quòd vanam gloriam quæ est ad instar puncti, gloriæ æternæ præponit. vnde Gregorius: Stultum est inde transitoria quærere, vnde æterna possumus habere. ¶ Tertia fatuitas est, quòd ipse ponit thesaurum suum in arca sine claue & sine sera, quum possit eam ponere in arca securissima, scilicet in arca conscientiæ. Bern. Fidelissimus timet custos, non tutum arbitratur labiis hominum committere gloriam suam, arcę sine claue & sine sera, nullæque omnino clausuræ nocere volenti. Non tutum plane, sed stultum est ibi thesaurum tuum recondere, vbi non valeas resistere cum volueris. Si ponis in os meum, non in tua, sed in mea potestate, cùm vtique pro meo libitu vel te laudare possim, vel derogare tibi. Sanum vas & inconcussum est conscientia, & seruandis secretis idoneum, nullis patens insidiis, nulli violentiæ cedens, nullo quippe oculo vel manu accessibilis, excepto duntaxat spiritui, qui scrutatur etiam profunda Dei: quicquid ibi reposuero, securus sum, quia non perdam, seruabit vno, defuncto restituet. Nam quocunque vado, ipsa mecum iter facit, secum ferens depositum quod seruandum acceperat: vbique adest, mortuum sequitur vbique gloria, vel confusio ipsepara bilis pro qualitate depositi. ¶ Quarta fatuitas est, quòd precio illo quo potest emere regnũ æternum, emit infernale patibulum. ¶ Quinta fatuitas est, quòd ipsa non curat qualis sit, sed qualis dicatur. Chrysostom. Hypocrita, vt quid non vis esse laudabilis, qui vis vt laudaris? quòd si formosum est apparere, formosius est esse. ¶ Sexta fatuitas est, quòd ipse carè emit quod nihil scit valere, scilicet quòd homines ferunt bonum testimonium illud à Deo, qui est eius iudex, non recipi. Bernard. Vt quid alieno vel meipsius testimonio contentus sum, cuius nec vituperio reprobus, nec laude dignus inueniar? si ante tribunal vestrum iudicandus astarem, merito de laude vestra gloriarer: nunc autem cum solius Christi iudicio sim præsentandus, quantæ insaniæ est mei vel alterius iudicio gloriari? sicut dicitur 1. Ioann. 5. Tres sunt qui dãt testimoniũ in cęlo, Pater, Verbũ, & Spiritus sanctus: & horũ testimonio stabitur in omnibus. ¶ Septima fatuitas est, quòd ipsi volunt se regere secundum verba eorum quos sciunt fatuos esse, scilicet histrionum & aliarum vilium personarum. ¶ Octaua fatuitas est, quòd amator vanæ gloriæ rem istã amat quam

quam melius posset habere si non amaret: quia secundum verbum philosophi, hoc solum habet vana gloria, quod se appetentes fugit, & se fugientes appetit.

¶ *Quomodo hoc peccatum sit contumelioſum Deo, & nociuum proprio ſubiecto.*

QVINTO potest valere ad detestationẽ huius vitij, si ostendatur quàm contumelioſum sit illud peccatũ Deo, & quàm nociuum homini. Amator enim vanæ gloriæ cõtẽpto Deo, creaturã deificat, & se facit principium, dũ de operibus factis gloriatur, quasi à se ea habuerit: & proximũ suum finẽ cõstituit, dũ omnia opera sua facit vt videatur ab hominibus: & sic idololatrat, cùm creaturã alpha & o cõstituat. Ioan. 5. Quomodo potestis in Deo credere, qui gloriã ab inuicẽ quæritis, & gloriã quę à Deo solo est, nõ vultis? Amator vanæ glorię de ribaldo vno iudicẽ suũ facit, & gloriã quę ab eo est, gloriæ Dei pręponit: quod nõ est sine magna cõtumelia Dei. Amator etiã vanæ gloriæ ipsũ puluerẽ vanæ gloriæ Deo præponit. Nocet autẽ hoc peccatũ homini, quia aufert ei bona tẽporalia & spiritualia. De tẽporalib⁹ autẽ patet, quũ quotidie multi expẽdant sua propter vanã gloriã: quãdoq; etiã corpora sua propter hoc exponũt morti in bellis. Spiritualia etiã bona aufert. Licet enim amator vanæ gloriæ habeat similitudinem bonorum, tamen non habet vera bona. Sapiens: Apud sapientes sunt honesta, apud verò vulgus simulachra rerum honestarum. Quidam senex in Vitis patrũ: Sicut fieri nõ potest vt herba simul nascatur & semen, ita impossibile est vt laudẽ, & gloriã secularium habentes simul & fructũ habeamus cælestem. Bonum etiam in mala conuertit & in seruitute magna hominem ponit. Est enim seruus amator vanæ gloriæ omnium illorum quorum iudicia timet, secundum illud Apostoli 1. Cor. 4. Qui me iudicat, Dominus est. In potestate etiam est histrionum. Fingunt enim eum talem, qualem volunt: quandoque enim adnihilant eum, quandoque magnificant: seruus etiam est eorundem, ita vt det eis censum: veteres vestes supèr se, & redimat se ab eis. Membra etiam Dei, id est, pauperes, spoliat, vt tales qui sunt membra diaboli, induat. Ponit etiam hoc peccatum hominem in magna instabilitate. Bernard. Qui conscientias suas in alienis linguis posuerunt, modo parui, modo magni, modo nulli videntur, prout linguis hominum eos laudare vel vituperare placuerit. Ipsi iuxta verbum Psalm. Ascendunt vsque ad cælum, & descendunt vsque ad abyssos. Ipsi decidunt frequenter à cogitationibus suis, & frequenter faciunt talẽ saltum ad

qualē voluerūt Iudæi cogere Christum. Lucæ 4. Ipsi sunt quasi galli in turribus ecclesiarum positi, & ad omnem ventum mouentur. Eccle. 5 Non te ventiles in omnem ventum. Ipsi sunt arundo vento agitata. Ipsi sunt paleæ: iuxta illud Iob. 21. Erūt sicut paleæ ante faciē venti. Et Aug. Adhibe oris iudiciū, & scies quid palea, quid granum. Istud vitium magnas vires habet. Aug. Quas vires nocendi habet vana gloria, nō sentit, nisi qui bellum ei indixerit. Quod etsi cuiquam facile est laudem non appetere cum negatur, difficile est tamen ea non delectari, dum offertur. Gregor. Aliquantulum facile est humanam laudem non appetere, difficillimum oblatam respuere. Vana gloria illos vincit qui cætera vitia vincunt. Hieronym. Difficilius arrogantia caremus, quàm auro, vel argento, & gemmis. Interdum enim his abiectis gloriosis tumemus sordibus. Augustī. Sunt qui de cōtemptu inanis gloriæ vanius gloriantur. Amator enim vanæ gloriæ maledictus est. Maledictus enim est, qui partem suam facit deteriorem, quod facit, eum vanam gloriam præ cæteris rebus eligit. Vana gloria est deterior cæteris possessionibus. Et quia breuior. Vnde Iob 20. Gaudium hypocritæ adinstar puncti. & quia multos dominos habet homo de possessione illa. Vnde ab vno auferetur, quum aliis concedatur: & ideo nunquam pacificè possidetur. Quando enim quis ab vno laudatur, ipse vituperatur à multis. Præterea nihil prodest ista possessio, & vltra modum constat: nec solū perditur, imo etiam perdit possessorem suū. Osee 4. Gloriam eorum in ignominiam conuertam. Et Apoc. 18. Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date ei tormentum & luctum. Hoc vitium post alia remanet. Vnde in libro Proverbiorum: Quum omnia vitia superauerit homo, manet periculum, ne mens bene sibi conscia potius in se, quàm in domino glorietur. Vitium illud inuadit res sacras, quum alia vitia eas fugiant. Committitur etiam hoc peccatum in ecclesia in seruitio diuino, & meliores in ecclesia nititur maculare, scilicet religiosos: succumbere etiam facit viros religiosos spirituales in bello spirituali, sicut humilitas facit triumphare. Sicut enim Dominus virtutem tribuit ei, qui de victoria dat ei gloriam: sic vires non subministrat ei, qui furatur ei gloriam.

¶ *De diuersis, quibus vana gloria comparatur.*

VLTIMO possunt valere ad detestationem huius peccati figuræ, quibus hoc peccatum figuratur in sacra scriptura. Notandum ergo q̄ vana gloria quandoq; puluis vocatur. Hic est pulvis qui adhæsit pedibus discipulorum, vt legitur Matth. 10. Ideo autem

autem puluis vocatur, vt ostendatur, q̄ sicuti puluis minima pars terræ est: sic vana gloria minimū est inter tēporalia bona. Et sicut puluis oculum corporis incidens grauat vel cæcat: sic vana gloria oculum intentionis. Vocatur etiā vana gloria ventus, vt insinuetur fatuos esse, qui eam esuriunt, ventus enim hominem inflando ei nocet, potius quam prosit. Osee 12. Ephraim pascit ventum. Ierem. 22. Omnes pastores eius pascet ventus. Ventus iste videtur esse lenis, tamen transfert montes à regno Dei, ad regnum diaboli: viros scilicet spirituales, qui dicuntur montes. Vnde, Leuaui oculos meos in montes. Vētus iste magnas naues submergit in mari huius mundi. Ventus iste valde timendus est. Ducit enim in infernum, quasi imperceptibiliter eos qui videntur ire in paradisum. Vana gloria etiam vocatur oleum, Mat. 25. vbi dicitur: Quinque fatuæ acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum. In suauitate enim similis est oleo: in veritate autem gladius est insensibiliter hominē occidens. Vocatur etiā flos, in hoc quòd citò arescit. Esa. 28. Erit flos decidens gloriæ exultationis. Vocatur etiam vipera. Actuū 28. vbi legitur, quòd vipera manui Pauli adhæsit: vt ostendatur, quòd sicut vipera si manui adhæserit, citò excutitur: sic vana gloria si se immisceat bono operi, cito excutienda est. ¶ Figuratur etiam vana gloria per vxorem, quam dominus ipse sibi solam retinuerat: vt legitur Genesis 39. vt ostendatur, quòd Dominus de operibus nostris vult gloriam habere, sed vtilitatem eorum nobis relinquit. Qui autē partem Dei sibi vsurpat, scilicet gloriam, meritò partem suam amittet, scilicet vtilitatem vel mercedem æternam. ¶ Figuratur etiam vana gloria Matthæi 14. per saltatricem, quæ caput Ioannis fecit amputari. Vnde posset multum timere ille, qui hanc saltatricem videt ante se, præcipuè si cogitet quot millibus hominum caput amputari fecit, non caput asininū, neque caput sui corporis, sed caput nobilissimū, quod est Christus, amputat. Ideo (specialiter timendum est vitiū istud, quia insidiatur oculo spirituali, scilicet intentioni: qui oculus si nequam fuerit, totum corpus cæcum erit, id est, tota congeries operum. Mat. 6.

¶ *De diuisione vanæ gloriæ.*

SEQVITVR de diuisione vanæ gloriæ. Notādū ergo q̄ gloria primo diuiditur in vanā & verā gloriā. Vera vero diuiditur in verā simpliciter, & veriorē, & verissimā. Vera gloria est simpliciter bonū testimonium conscientiæ, quando scilicet aliquis nullius peccati conscius sibi est. Vnde apostolus 2. ad Corint. Gloria nostra hæc est, testimoniū cōsciētiæ nostræ. Verior vero gloria est,

quando dulcedo Spiritus sancti manifestè sentitur: quando scilicet Spiritus sanctus dat testimoniũ spiritui nostro quòd filij Dei sumus. Verissima est gloria æterna. ¶ Vana vero gloria diuiditur in gloriam diabolicam & humanam. ¶ Diabolica est, quando aliquis gloriatur de malitia. Vnde Dauid: Quid gloriaris in malitia, &c. Poëta: Gloria peccati nulla petenta sui est. ¶ Humana verò diuiditur in carnalem & spiritualem. Carnalis est gloria mundanorum, quæ est in decore vestium, & huiusmodi. Spiritualis verò est, vt gloria hypocritarum.

¶ *De his quæ valent ad detestationem gloriæ carnalis.*

NOTANDVM verò est, quòd carnalis gloria cõparatur lumini quod de nocte videtur, in die verò non: sicut quidam vermes, qui dicuntur noctilucæ, & squamæ piscium, & ligna putrida: sic apparẽt diuites huius seculi, nunc lucidi & clari, dum nox est ignorãtiæ & culpæ: in futuro vero tenebrosi erũt, quãdo erit dies domini magnus, scilicet in die iudicij. Cõparatur etiã gloria illa hirũdini, quæ auis picturata est, & velociter volat. Velociter enim trãsit mũdi huius gloria, & depicta esse videtur. Vnde Tobiæ 2. dicitur quòd de nido hirũdinũ calida stercora ceciderunt, quæ Tobiã excæcauerunt. Quod verbũ expositũ est in tractatu de Auaritia in apostolo, in quo auaritia diuersis infirmitatibus cõparatur. ¶ Gloria etiã carnalis est velut puluis calens oculos hominũ excæcãs. Est etiã flos, qui à pueris huius mũdi, vel potius à pueriilibus colligitur. De hoc flore legitur Ier. 48. Date flores Moab, quia florẽs egredietur, &c. Esa. 40. Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius quasi flos agri. Gloria ista verè inspicienti ignominia est. Vnde 1. Machabæo. 2. Gloria hominis, stercus & vermis: hodie extollitur, & cras nõ inuenietur. Gloria peccatoris est caro eius, quæ est stercus, id est, sacc⁹ stercorũ: & vermis, id est, esca vermiũ: licet vana gloria ab omnibus hominibus sit timenda, præcipuè tamen claustralibus contẽnenda est. Hieronymus: Prima virtus monachi est, iudicia hominum contemnere. Non solum nõ deberet lætari vel gloriari claustralis cum laudatur, imò deberet turbari. Vnde beata Virgo cum dixisset eam angelus gratia plenam, & benedictam in mulieribus, turbata est in eius sermone.

¶ *De octo remediis contra vanam gloriam.*

SEQVITVR de remediis contra hoc peccatum, & octo sunt remedia cõtra ipsum. ¶ Primum est absconsio. Vnde Esa. 32. Erit vir sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate. Et in Vitis patrum Sicut thesaurus manifestus citò minuitur, ita virtus quælibet deperit publicata. Nam sicut cera à facie ignis soluitur,

vitur, ita & anima per laudẽ dissoluta, ab intẽsione sua perit. Hoc remediũ figuratũ est Exod. 4. in manu Moysi quæ leprosa erat, & cum missa esset in sinũ eius, facta est sana. Gregorius: Ille debet publicare bonum quod agit qui perfecta humilitate fundatur, & nulla elatione contingitur. ¶ Secundum remedium est demissio: scilicet vt homo descendat ad propriam infirmitatem. Sicut faciunt equitantes quando nimius ventus flat, & transeunt per pontem, qui descendunt ne vẽtus eis noceat: sic qui laudatur, recurrere debet ad infirmitatem suam, & videbit se falso laudari: & sic potius erubescat, quàm glorietur. Boëtius: Qui falsò prædicantur, necesse est, vt suis laudibus erubescant. In Vitis patrum, quidam frater requisiuit abbatem Peremenem, si melius esset remotus, quàm cum aliis manere. Respondit Abbas: Homo si seipsum reprehendat, vbique potest consistere: si autem se magnificat, nusquam stat. ¶ Tertium remedium est, consideratio ignis infernalis, vel purgatorij. Hoc remedium insinuatur nobis Actuum 28. vbi Paulus viperam manui adhærentem excussit in ignem: quod spiritualiter fit, quando consideratione pœnæ qua vana gloria punietur, homo vanam gloriam à se abiicit. ¶ Quartum remedium est, consideratio gloriæ æternæ: quia secundum Gregor. vilescunt temporalia, dum considerantur æterna. Et spiritualiter vilescit vana gloria, si consideretur gloria vera. ¶ Quintum remedium est, consideratio vtilitatis vanæ gloriæ: quod patet ex hoc quòd venalis est. quod notatur Matthæ. 25. vbi dicitur: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, &c. Testimonium venale repellendum est. Apparet etiam vilitas vanæ gloriæ ex vilitate personarum, apud quas habetur. A vilibus etiam personis quomodo potest quis habere gloriam, nisi vilem? Præterea odiunt bonum, & diligunt malum. Et propter hoc testimonium eorum repellendum est, & de bono, & de malo. De altero ratione amoris, de reliquo ratione odij. Amor autem vel odium veritatis nescit iudicium, secundum Bernard. ¶ Sextum remedium est, consideratio magnæ infidelitatis quæ est in hoc peccato. Valde enim infidelis est, qui Deo aufert partem suam quam in bonis suis sibi retinuit. Bene deberet homini sufficere pars illa quam dominus ei concessit, cum domini sint omnia. Exemplum fidelitatis habemus 2. Regum 12. de Ioab principe militiæ, qui sic scripsit ad Dauid: Dimicaui aduersum Rabbath, & capienda est vrbs aquarum. Nunc congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam, ne cùm à me vastata fuerit

vrbs,nomini meo adscribatur vistoria. Bernar. Reuera fidelis famulus es,si de multa gloria domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen trãseunte per te,nil in manibus tuis adhærere contingat. Si quis super pauca fidelis inueniretur, ipse super multa bona domini sui constitueretur. Gloria vel laus quẽdã probatio hominum est, vtrum Deo sint fideles vel infideles. vnde Prouerbior. 27. Quomodo probatur in conflatorio aurum, & in fornace argentum: sic probatur homo ore laudantis. ¶ Septimum remedium est, quòd quando offertur homini gloria, ipse offerat eam regi gloriæ, cuius est: dicens: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Et illud, Gloria in excelsis Deo. Si quis ita assueuerit, vana gloria non tantam vim habebit contra eum, quantã vim habebat prius. ¶ Octauum remedium est, quòd homo opus illud, cui vana gloria adhæret, dimittat, cogitans illud opus esse amissum, & potius de illo esse flendum quàm gloriandum, quod remedium figuratum est Genes. 39. In hoc, quòd Ioseph reliquit pallium, cui domina sua adhæserat.

De Hypocrisi. CAP. XL.

DIcto de peccato vanæ gloriæ, dicendũ est de hypocrisi, quia hoc peccatũ procedit propter hoc, quòd aliquis amat vanã gloriã, & in se simulat sanctitatem. Agemus autem hoc modo de peccato isto. Primo ponemus ea quę faciũt ad detestationẽ huius peccati. Secundo assignabimus diuersas species hypocrisis.

¶ *De octo quæ faciunt ad detestationem hypocrisis.*

NOTANDVM ergo ꝙ octo sunt quæ possunt valere ad detestationẽ huius peccati. ¶ Primo verba sacræ scripturæ, quæ illud dissuadẽt: vt est illud Ec. 1. Ne fueris hypocrita in cõspectu hominũ, & illud Deut. 22. Nõ indueris veste quę ex lana linóq; cõtexta est. Per linũ quod subtilius est, cogitationes intus subintelliguntur. Per lanã quę alba est, opera exteri° lucẽtia. Vnde in hypocrita sub lanę grossitie linũ latet: quia sub puritatis imagine deprehẽdi calliditas nõ valet: & ob hoc claustrales nõ lineis induũtur ad carnẽ. Hęc dissuadetur Mat. 6. vbi sic legitur: Cũ facis eleemosynã, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciũt. Et pòst: Cũ oratis, nõ eritis sicut hypocritæ tristes. ¶ Secũdo velebit ad detestationẽ huj° peccati, si hypocrita diuersis generib. rerũ cõparetur

¶ *Quibus rebus assimilatur hypocrita.*

NOTANDVM ꝙ hypocrita est simia diaboli, volens imitari filios Dei. Quod filij Dei faciũt ad sui decorem, ipse facit ad sui iugulationem: sicut refertur de quadam simia, quæ cum vidisset quomodo quidam rasor rasisset, postea voluit imitari eum, & iu

gulauit se. Ipse etiam similis est sterquilinio niue cooperto, quod est exterius candidum, interius fœtidum. Ipse etiam est vt sepulchrum exterius dealbatum, intus verò plenum ossibus mortuorum, vt legitur Matth. 23. Item similis est vasi exterius mundo, interius sordido. Item est vt cygnus extrà candidus, intus habens carnes nigras. Item similis est struthioni, quæ similes pennas habet accipitri, vt dicitur Iob 39. Struthionis penna similis est pennę herodij & accipitris. Quando derelinquit oua sua in terra. hypocrita derelinquit in terra oua sua, dum de operibus suis sõlam mercedem terrenam quęrit. Vnde peccatum hypocrisis prohibetur Leuit. 11. vbi prohibemur comedere cygnum & struthionem, id est, assimilari eis. Item hypocrita est lupus pelle ouina indutus. Vnde Matth. 5. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimẽtis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Est etiam angelus tenebrarum transfigurans se in angelum lucis, & dæmonium meridianum, & latro qui à sinistris cum domino pependit, & martyr diaboli: & sicut viri sancti dicũt domino, Quoniam propter te tota die mortificamur: sic possunt dicere ei hypocritæ, Quoniam contra te mortificamur tota die. Hypocrita est Simon Cyrenæus, crucem ferens alienam. vnde Bernar. Fructum faciunt, sed non suum. Hypocritæ autem aliqui cum Simone Cyrenæo crucem ferunt, non suam, sed alienam: quia amore gloriæ, quod non amant, facere compelluntur. Hypocrita etiam est arundo vento agitata: iuxta illud Matth. 11. Quid existis videre in desertum? arundinem vento agitatam? ¶ Hypocrita ad modum arundinis non habens radicem intentionis fixam in solido, id est, in æternis, lanuginem habet pro fructu. Sap. 5. Spes impij quasi lanugo. Lanugo hæc vana gloria est, quam hypocrita totis viribus amplectitur. Sapiens: Virtutis fructum sapiens in conscientia, stultus autem in gloria ponit. Intus vacuus est, extrà lucet, omni vento tentationis agitatur. Manum innitentis sibi perforat, quia homines in eo confidentes decipit. Hypocrita est vulpes animal, scilicet fœtidum & dolosum, cuius pellis prævalet carni. Vnde Ezech. 13. Quasi vulpes in deserto prophetæ tui Israël. Hypocrita etiam similis est Sichem, qui circuncidit se, vt Dinam in vxorem haberet: non tamen circunciso illa seruauit eum à gladio Simeonis & Leui. Sic quidam ab aliquibus malis abstinent, vt ecclesias habeant. Non tamen propter hoc gladius verbi diuini debet eis parcere, vbi homo videt quod prodesse possit, cum constet omnia mala esse quæ fiunt ambitiosa intentione. Hypocrita se mortuum simulat mundo, cum in veritate viuus sit, donec habeat

vnam magnam prælationem, in qua deliciis vacet, & tunc verè paret quòd viuus est. Sicut fabulosè dicitur de vulpe quę mortuam se simulauit, donec posita fuit super quadrigam in qua erant aleca, & tunc comedens aleca se viuam ostẽdit. Ipsi etiam sunt mercatores pellium anguillarum, dum exteriorem conuersationem hominibus vendunt. ¶ Tertio potest valere ad detestationem huius peccati pœna quam scriptura eis minatur. Et est vna pœna quòd non videbunt Dominum nisi conuertantur. Iob 13. Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita. Nec mirum, cum Deus non sit ante faciem hypocritæ. Omnia enim opera sua facit vt videatur ab hominibus. Hoc est vnum quod multum placet Deo, quòd homo cor suum semper habeat ad Deum. Vnde super illud Psalm. Firmabo super te oculos meos. dicit gloss. in persona Dei Non auferam oculos meos à te, quia tu semper leuas oculos tuos ad me. Alia pœna est vilificatio magna, quæ sequitur hoc peccatum, & in futuro, & sæpe in præsenti. Iob 20. Si ascenderit vsque ad cælos superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. Quarto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd hypocritæ vix conuertuntur. Cuius rei triplex ratio potest assignari. ¶ Prima est, quia hypocrita veniam vix petit à Deo. vnde super illud Iob 36. Non clamabunt cum vincti fuerint. dicit Greg. Vincti non clamabunt, quia humanę laudis auiditate superati sanctos se esse, miseri etiam cum in peccatis moriuntur putant. ¶ Secunda est, quia Spiritussanctus fugit eos, sine quo conuerti non possunt. Sap. 1. Spiritussanctus disciplinæ effugiet fictum. id est, hypocritam, qui fingit se Dei amicum cùm sit inimicus. ¶ Tertia est, quia diabolus nescitur esse in eis: & ideo nõ inquietatur ibi, & ideo dormit ibi diu. Iob 40. Sub vmbra dormit in secreto calami. ¶ Quarta etiam ratio potest assignari, quòd hypocritæ defendunt se cùm arguuntur. vnde Iudic. 1. dicitur: Fuit dominus cum Iuda, & montana possedit, nec potuit delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. Hoc est, in curribus eorum falces quæ erant sibi obuiantia & aduersantia secabant. Habitatores vallis sunt hypocritæ, qui reprehensores suos conuiciis scindunt. Propter quod scirpo comparatur hypocrita, Iob 8. Nunquid virescere potest scirpus absque humore? aut crescere carectum sine aqua? Gloss. Scirpus est iuncus vacuus, carectum manum lædit. Sic hypocrita gratia vacuus est, & correctionem non recipit, sed ad dilaniandam vitam prorumpit: tanquam exprobratio alterius criminis, absterfio sit proprij. ¶ Quinto, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quàm nociuum

nociuum sit homini. Ad quod signandum fermento comparatur, Luc. 12. vbi legitur: Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Modicum enim fermenti, iuxta verbum Apostoli, totam massam corrumpit. sic peccatum istud hominis opera falsificat. vnde opera hypocritę sunt velut falsa moneta extrà deaurata. Sunt etiam velut poma arborum, quæ inueniuntur in arboribus quæ sunt circa mare mortuum, quæ vsque ad maturitatem sunt viridia: matura si incidas, fauillas intus inuenies. Videntur enim opera illorum meritoria esse: sed in futuro erunt materia ignis infernalis. Hoc peccatum imperceptibiliter hominem occidit. Vnde hypocritæ videntur viuere vita animæ, cum mortui sint. Vnde Apocal. 3. Scio opera tua, quia nomen habes, quòd viuas, & mortuus es. ¶ Sexto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur magna fatuitas hypocritarum, qui carne & sanguine suo oculos hominum pascunt. Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes: vt legitur Matth. 6. Ipsi enim quotidianis cruciatibus mercantur cruciatum æternum. Ipsi etiam aliis operantur. Opera enim illorum, aliis per bonum exemplum prosunt, sibi verò nocent, similes candelæ, quæ alios illuminat, & se consumit. ¶ Septimo, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd toties dominus in Euangelio hypocritas reprehendit. Mat. 7. Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo. Hypocritę, bene de vobis prophetauit Esa. 15. & in multis aliis locis. ¶ Octauo verò possunt valere ad detestationem huius peccati, octo maledictiones, quas dominus hypocritis facit, Matt. 23. quarum prima est, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui claditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes finitis intrare. ¶ Secunda, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis iudicium. ¶ Tertia, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare & aridam vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. ¶ Quarta est, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, & fidem. ¶ Quinta est, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui mundatis quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. ¶ Sexta, Vę vobis Scribę & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum. ¶ Septima, Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ.

qui ædificatis sepulchra prophetarum,& ornatis monumenta iustorum,&c. ¶ Octaua, Væ vobis duces cæci,qui dicitis, Quicunque iurauerit per templum,nihil est,qui autem iurauerit,&c.

¶ Quare Dominus in Euangelio ita persequitur hypocritas.

SED cùm hypocritæ videantur vtiles esse ecclesiæ bonum exemplum aliis præbendo,& hostes ecclesiæ terrendo, sicut formido terret aues in horto,& diabolum incarceratum teneant, ne ad alios possit transire: quæritur quare Dominus hypocritas ita persequitur. Præterea, dicit Hieronymus super Esa. 9. Prima tabula post naufragium est abscondere peccatum suum,& non publicare. Item minus malus videtur qui malus est interius tantum, quàm qui malus est interius & exterius. Minus peccare videtur qui tantùm peccat in Deum occultè peccando,quàm ille qui peccat apertè,cum peccet in Deum & in proximum. Ad quod dicendum est, quòd hoc habet locum, cum aliquis peccatum suum occultaret bona intentione, ne alios corrumperet: sed aliud est vbi peccatum occultat, vt ecclesiam decipiat, & quando sanctitas simulatur. Simulata enim æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Et sicut dicit Hieronymus super Esaiam, Leuius est de duobus malis,apertè peccare, quàm sanctitatem simulare. Causa autem quare Dominus ita persequitur hypocritas potest esse hęc: quia ipsi proditores sunt, simulantes se esse ex parte Dei, & sunt ex parte diaboli. Videtur etiam esse amici,& sunt inimici: & ideo multum ecclesiæ Dei nocere possunt. Vnde hæretici per hypocrisim homines decipiunt, & antichristus qui caput erit malorum, homines per hypocrisim decipiet. Sapiens: Nullæ sunt occultiores insidiæ, quàm quæ latent in similitudine officij. 1. ad Tim. 4. Spiritus sanctus manifestè dicit,quòd in nouissimis diebus discedent quidam à fide:attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum,in hypocrisi loquentium mendacium. Hier. Simulata æquitas non est æquitas,sed duplex iniquitas.

¶ De tribus speciebus hypocrisis.

SEQVITVR de speciebus hypocrisis. Et possunt distingui tres species ipsius hypocrisis. ¶ Prima est, quando aliquis coram hominibus simulat se obedire Deo, & in occulto non timet offendere Deum. ¶ Secunda est,quando in occulto & in aperto bona opera facit,vt sanctus ab hominibus videatur. ¶ Tertia est,quando aliquis minorem hypocrisim relinquit, vt in maiori & in subtiliori hypocrisi permaneat: vt cum aliquis requisitus an ieiunet dicit, Deus scit: vt dicatur,hypocrita non est. In prima specie bonitas in operibus exterioribus tantum apparet. In secunda verò, & in occultis & in apertis:sed non in intentione. In tertia verò specie prætenditur bonitas intentionis. In prima multum occultatur diabolus,in secunda magis. In tertia verò maxime.

De octo remedijs contra superbiam. PARS IIII.

POstquam posuimus ea quæ possunt valere ad detestationem superbiæ in communi,& posuimus diuisiones pertinentes ad hoc peccatum, & membra prosecuti sumus: Vltimo tangemus aliquid de remedijs contra superbiam. Et causa breuitatis ponemus octo. ¶ Remedium primum est,consideratio melioris. Gregor. Sicut incautiuum elationis est respectus deterioris: ita cautela humilitatis est consideratio melioris. ¶ Secundum remedium est,cohabitatio humilium. Sicut enim ille, qui communicauerit superbo,induet superbiam,vt dicitur Eccl.13. sic qui communicauerit humili,induet humilitatem. Episcopus Parisiensis Odo, despectiores pauperes semper ante se ponebat in mensa, & alios extollere. Requisitus est autem quomodo posset hoc tolerare. Respondit, quòd quidam nobilis miles eum hoc docuerat, scilicet Iob 5. qui dicit: Visitans speciem tuam non peccabis. ¶ Tertium remedium est, consideratio vilitatis corporis, quæ vilitas præcipuè apparet in conceptione. Tunc enim est sperma vile, & in fine tunc est cibus vermium, in medio autem vitæ est vas stercorum. Vnde Michææ sexto: Humiliatio tua in medio tui est. Hieronymus: Quomodo superbit qui semper secum sentinam portat? ¶ Quartum remedium est, exemplum Christi. Bernardus: Medicina tumoris hominis est humilitas Christi. Erubescat homo esse superbus, quia humilis factus est ipse Deus. Intolerabilis est superbia, quòd miles sedeat super scamnum, cum rex iuxta eum sedeat ad terram. ¶ Quintum remedium est, consideratio vilis seruitutis, in qua homo est, si superbus est: quia ipse seruus est diaboli. Ipse enim est rex super omnes filios superbiæ: vt legitur Iob 41. ¶ Sextum remedium est, consideratio illius districti iudicij, quod specialiter erit ad humiliandum superbos. Vbi iudicium durissimum his qui præsunt fiet: ibi Dominus retribuet abundanter facientibus superbiam. Esa. 2. Dies Domini super omnem superbum & arrogantem. Et Esa. 28. Pedibus conculcabitur corona superbiæ. ¶ Septimum remedium est, miseria huius mundi. Vade Iob sexto: Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum. Spiritum, inquam, superbiæ. ¶ Octauum remedium est, consideratio infirmitatis, quæ in nobis est tam ex parte corporis,quàm ex parte animæ. Ex parte animæ adeò infirmi sumus, vt nec leui cogitationi possimus resistere, nec verbum

bum modicum sustinere, quin ab illo deiiciamur. Ad modicum etiam flatum suggestionis diabolicæ igne infernali toti succendimur,& cuncta bona quæ fecerimus,amittimus. Ex parte etiam corporis adeò infirmi sumus, vt nec pulicibus resistere possimus. Augustinus:Homo dicit tibi conuicium,& tumes & iratus es:pulicibus resiste, & dormias. Ad distemperantiam etiam febrilis caloris vel ad vnum paruum apostema,in cinerem vel puluerem corpus nostrum resoluitur. vnde quidam dicit: Ecce repentinæ modicæque occasio febris, Dissoluit toto quodcunque parauimus æuo.

TRACTATVS VII. De Inuidia.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de his quæ valere possunt ad detestationem Inuidiæ. PARS I.

POST peccatum superbiæ dicēdum est de Inuidia,quia ipsa est filia superbię.De hac hoc ordine dicemus.¶Primo ponemus ea quę possunt valere ad detestationē huius vitij.¶Secundo tangemus aliquid de speciebus eius. ¶Tertio de remediis contra hoc vitium. ¶Inuidia secundum Augustinum est dolor felicitatis alienæ.

¶De his quæ valent ad detestationem Inuidiæ.

AD detestationem verò huius vitij, Primo facit hoc,quòd vitium istud est peccatum in Spiritum sanctum. Peccatum in Spiritum sanctum,secundum vnam acceptionem, dicitur peccatum quod est contra bonitatem Dei, quæ Spiritui sancto appropriatur,& sic omne peccatum quod est ex certa malitia,peccatum est in Spiritum sanctum. Quod etiam patet per diuisionem peccati in Spiritum sanctum, quod diuiditur in peccatum obstinationis & impugnationis.Obstinatus in Spiritū sanctū peccat, quia in bonitatē Dei quæ hominem ad pœnitentiā expectat, qui eum,quāuis eius hostis sit,pascit & vestit , & à dæmonibus defendit qui eū iugularēt,& ipse sic ingratus bonitati Dei eam impugnat,& à bonitate Dei colligit malitiam, & ex misericordia Dei thesaurizat sibi iram. Impugnatio verò diuiditur in impugnationem veritatis agnitæ:quæ est in apostatis,& in impugnationem gratiæ,quę est in inuidis,qui gratiam Dei,quæ est in hominibus,persequuntur & odiūt.Sic ergo manifestum est, quòd inuidia est peccatum in Spiritum sanctum,& ideo valde magnum peccatum. Matt.12. Qui dixerit contra Spiritum sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro : id est,vix remittetur. ¶Secundo facit ad detestationem huius vitij hoc,quòd ipsum est oppositum charitati. Vnde cum charitas sit virtus excellentissima, inuidia erit pessimum vitium. Vnde vocatur fera pessima. Genesi.30. Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph. Peior est inuidia quàm auaritia. Auarus enim etsi non vult communicare sua, tamen vult quòd alij sua communicent. Inuidus autem non vult communicare bona sua , nec vult quòd alius ea communicet.Inuidus de ipsa bonitate Dei dolet, quòd ipsa non est auara hominibus, sibi tamen eam vellet esse largam, & omnibus aliis auaram.Immensitatē diuinę bonitatis vellet ad se coarctari. Peior etiā est inuidia, quā ira vel odium : quāuis enim homo iratus vel odiens alium,velit malum proximi sui, cùm mala voluntas ipsius ortum habuerit à malitia proximi qui eū offendit,vnde proximus culpabilis est. Sed malitia inuidi, qua vult malum proximi, ortum habet ex propria malitia:scilicet à superbia,qua vult illum nō purificari sibi, & vult malū proximi sui omnino absque culpa eius. ¶Tertio facit ad detestationem huius vitij , quia hoc vitiū purè malum est : quia quando diabolus capit homines aliis vitiis, ipse aliquam delectationē ponit tanquam escam: sed inuidos miseros capit,quia sine esca delectationis. Inuidia enim , dolor est & amaritudo. Vnde mirabiliter cæci sunt , qui dolorem istum præponunt gaudiis æternis , qui dolore & cruciatu quotidiano dolorem æternum merentur,& dolori,quasi esca sit,adhęrent,donec perueniant ad dolorem æternum. ¶Quarto facit ad detestationem huius vitij , quòd vitium istud diabolicum est,& diabolo assimilatur. Sapientiæ secundo: Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Imitantur autem eum , qui sunt ex parte illius.Ad literam, diabolus ideo parentes nostros seducere voluit , quia inuidebat eis regnum cælorū quod ipse perdiderat. Et propter eandem causam adhuc homines impugnat. Vnde diabolus inuidens parentibus nostris, tentauit eos in forma serpentis. ¶Quinto vero facit ad detestationē huius vitij , quòd vitium istud venenatissimum est. Vnde super illud ad Galat.6.Non efficiamur inanis gloriæ cupidi , inuicē prouocantes, inuicem inuidentes. Ibi gl. Augustini: Sciendum quòd cum per omne vitium anticiqui hostis virus humano cordi infundatur: in zelo inuidiæ intra sua viscera serpens concutit,& in hac imprimenda quasi pectem vomit. Inuidi sunt quasi dracones. Iob 30. Frater fui draconum, & socius struthionum. Ipsi sunt genimina viperarum. Luc.3. Et Matth.3. Progenies viperarum , quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Imò serpentibus peiores videntur esse. Serpens enim serpentem non persequitur. Homo verò inuidus

alios homines persequitur. Inuidus est sicut ciconia, quæ venenatis animalibus vescitur. Vnde Ouidius describit inuidiam comedentem vipereas carnes. ¶Sexto facit ad detestationem huius vitij, quòd vitium istud magnæ potestatis est. Est enim sicut ignis Græcus, qui in aquis gratiarum accenditur. Ex quo hoc vitium cor alicuius occupauit, iam ipse nullum scelus abhorret. Non parcit nocenti, nec innocenti. Non timet homicidium, imò nec fratricidium vel patricidium. Non pepercit diabolus primis parentibus nostris, qui innocentes erant, quin mortem eorum procuraret. Inuidia excitatus Cain non pepercit Abel fratri suo innocenti, quin ex sola inuidia occideret eum. Genes. 3. Non pepercerunt filij Iacob fratri suo Ioseph innocenti, quin eum venderent, quia inuidebant ei, imò volebant eum occidere, Genesis triceſimotertio. Nolebat enim parcere Saul Dauid, qui ei valde vtilis erat, quia inuidebat ei. Noluerunt Iudæi parcere Christo, quin eum facerent occidi, sola inuidia excitati, Matthæi viceſimoſeptimo: Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. ¶Septimo facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd vitium istud non de facili curatur. Vnde Cyprianus super illud ad Galatas sexto, Non efficiamur inanis gloriæ cupidi &c. loquens de zelo inuidiæ dicit: Zelus iste modum non habet permanens iugiter sine fine, quum alia scelera finiantur: quantóque ille, cui inuidetur, successu meliori profecerit, tanto inuidus in maius incendium liuoris ignibus inardescit. Nec mirum, si curatur vix hoc peccatum, cum sit peccatum in Spiritum sanctum, & cum sit quasi ignis Græcus, qui non de facili extinguitur. Inuidia est quasi rubigo ferro adhærens, quæ vix à ferro recedit. Basilius: Sicut rubigo ferrum, sic inuidia animam in qua nascitur corrumpit. Prouerbiorum vigeſimoquinto: Aufer rubiginem de argento. ¶Octauo facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd vitium istud postquam est in aliquo, ita eum occupat vt etiam exterius se ostendat. Vnde Cyprianus loquens de inuido dicit: Huic vultus minax, & toruus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida & effrænata, conuicia & manus ad violentiam prompta. Vnde poëta describit inuidiam: Pallor in ore sedet, macies in corpore toto, Nusquam recta acies, liuent rubigine dentes. Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno. Risus abest omnis, nisi quem fecere dolores. Nec fruitur somno vigilantibus excita curis: Sed videt ingratos, intabescítque videndo Successus hominum, carpítque & carpitur vnà, Suppliciúmque suum est. ¶Nono verò facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd vitium istud infeliciſſimum vitium, est, quia excæcatur vnde illuminari debuit. Vnde de inuidis legitur Iob 5. Per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte sic palpabunt in meridie. vbi dicit Gregorius: Mens inuidum de alieno bono afflígitur, de radio lucis obscuratur. Et subditur: Diues boni operis in proximo lucet exterius: sed quasi cæci nati palpant inuidi, quia liuore cæci aliqua quæ reprehendant inuenire satagunt. Ipsi sunt vt noctuæ lucem bonorum operum odientes, & tenebras malorum operum amantes. Bona opera proximi sunt velut candelæ lucem boni exempli præbentes, sed inuidi de ipsis candelis sibi oculos eruunt. Et ipsi sunt similes Heli, qui non poterat videre lucernam donec extingueretur, vt legitur 1. Regum 3. Infelicitas etiam inuidorum patet ex hoc, quòd ipsi de profectu aliorum deficiunt, de melioratione deteriorantur. vnde Gregorius: Inuidi debent perpendere quanta sint cæcitatis, qui alieno profectu deficiunt, aliena lætitia contabescunt: quantæ etiam infelicitatis sunt, qui de melioratione proximi deteriorantur. Inuidus infelix fit de felicitate aliorum, & de pinguedine aliorum macrescit. vnde: Inuidus deterius rebus macrescit opimis. Inuidi colligunt de vitibus spinas, & de ficubus tribulos. Inuidi etiam ex bonitate Dei detestores fiunt. Vnde Matthæi vigeſimo dicit Dominus inuidis: An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Inuidi adeò sunt infelices, quòd ipsi amittunt etiam, vbi alij lucrantur. Ipsi de facilitate aliorum infirmantur, & de vita moriuntur. Et sicut diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: ita inuidis omnia cooperantur in malum. Inuidus morietur de bono odore, de quo alij viuunt: sicut dicitur de Iuda super Ioan. 12. vbi Iudas murmurauit de effusione vnguenti. Inuidus profectum aliorum reputat suum defectum. Vnde Iudæi inuidi dicunt, Ioan. 12. Videtis quia nihil proficimus, ecce mundus totus post eum abiit. Inuidis sunt mala ipsa bona. ¶Decimo facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd vitium istud miserorum hominum est, vnde Iob 5. Paruulum occidit inuidia. Omnis inuidus in eo quòd inuidet, minor est eo cui inuidet. Miser est inuidus, & miseria ei accidit, vnde soli miseriæ parcit inuidia. Hierony. Difficile est in prosperis inuidia carere: sola miseria inuidia caret. Nobilium personarum est, liberalitas & communicatio suorum. vnde dominus liberaliſſimus est, & desiderio largiendi sua & communicandi fecit quicquid fecit. Leonem etiam qui est rex animalium, dicit Aristot. esse animal communicatiuum. Econtrario inuidia ignobi

ignobilium & vilium est personarum. ¶Vndecimo quia inuidia cruciat Dominum suum. Est enim sicut vermis in ligno natus, qui pòst illud vnde natus est consumit. Hiero. Inuidia est sui primùm mordax. Inuidia primum infestat. Isido. Iuuidus medullitus animo æstuans, à semetipso liuoris proprij semper exigit pœnas. Socrates: Vtinam inuidi in omnibus ciuitatibus aures vel oculos haberent, vt de omnibus profectibus torquerentur. Idem: Quanta sunt felicium hominum gaudia, tanti sunt inuidorum gemitus. Horatius: Inuidia Siculi non inuenere tyranni Maius tormentum. ¶Duodecimo facit ad detestationem huius vitij, quòd ipsa est infirmitas & corruptio maxima. Adeò corruptus est inuidus, vt ei redolentia fœteant, & econuerso, amara sint ei dulcia, & dulcia amara. vnde ad inuidos pertinere videtur illa maledictio Esaiæ 5. Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Hæc corruptio inuidiæ innuitur nobis Prouerb. 14. vbi dicitur, quòd putredo ossium est inuidia. Sicut vestis putrefacta non recipit ablutionem: sic peccatum inuidiæ non de facili abluitur. ¶Decimotertio facit ad detestationem huius vitij, quia hoc vitium est magnæ peruersitatis. Cum enim omne bonum in commune deductum pulchrius eluceſcat, secundum Boëtium, & secundum Senecam, nullius rei possessio iucunda sit sine socio: inuidus tamen potius vult carere bono, quàm habere socium in eo: potius vult habere socium in miseria, quàm in felicitate. Exemplum de quodam rege, qui concessit cuidam auaro, & cuidam inuido munus quod eligerent, ita tamen quòd munus eius qui posterior peteret, duplicaretur: & cum vterque differret, præcepit rex inuido vt prius peteret: qui petiit, vt erueretur sibi vnus oculus, volens quòd proximo eruerentur ambo. Noluit petere aliquod bonum, ne proximus eius acciperet duplicatum. ¶Quartodecimo facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd cum alia vitia vni bono tantum opponantur, vt incontinentiæ continentia, inuidia omni bono opponitur. Item cum alia vitia alicui malo opponantur, vt prodigalitas auaritiæ, inuidia nulli malo opponitur. ¶Decimoquinto facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd inuidia valde periculosa est. Inuidum enim occidunt & bona & mala. Bona eum affligendo, mala verò dando ei occasionem peccandi. vnde ad inuidũ pertinere videtur illud verbum quod dicit Cain Genesis quarto: Quicunque inuenerit me, occidet me. Videntur enim creaturæ esse contra inuidum. Et merito, quia degenerat inui-

uidus à creatore & à creaturis. Creator enim liberalis est, & vult communicare bona sua. Creaturæ etiam adeò communicare volunt bona sua, vt de hoc certamen videãtur habere. Ex hoc enim quòd ignis vult speciem suã communicare materiæ aquæ, & hoc pugna est inter ignem & aquam: Similiter sol vult communicare & lumẽ, & calorem suum. Aug. Indicium diuinæ manifestè bonitatis est, q̃ quælibet res cogitur dare seipsam. Ab hac liberalitate degenerat inuidus, diuidens se à Deo & creaturis, & socians se diabolo, qui bona omnibus inuidet, & socios vult esse omnes suæ miseriæ. Et ideo merito creaturæ persequũtur eum quam apostatam. ¶Decimosexto facit ad detestationem huius vitij hoc, q̃ inuidia valde damnosa est suo subiecto. Aufert enim homini societatem ecclesiæ. De qua societate dicit Dauid: Particeps ego sum omnium timentium te, &c. Bona proximi, quæ inuidi essent si ea diligeret, contra inuidum sunt. Aug. Pensent inuidi, quantum bonum sit charitas, quæ sine labore nostro plena bona nostra facit. Inuidia aufert homini proximum. Vnde magister Hugo de sancto Victore: Superbia mihi aufert Deũ, inuidia proximum, ira meipsum. Inuidia etiam aufert homini sapientiam, vnde Sapien. 6. Neque cum inuidia tabescente iter habebo, quoniam talis homo non erit particeps sapientiæ. Vnde scripta describens domum inuidi dicit, q̃ erat abdita, sole carens. Sol enim iustitiæ lumen sapientiæ abscondit ab inuidis. Inuidi etiam homines ad paupertatem & ignominiam sæpe perueniunt. vnde Prou. 28. Vir qui festinat ditari, & aliis inuidet, ignorat q̃ egestas superueniet ei. Et Eccles. 7. Improperium & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis. ¶Decimoseptimo facit ad detestationem huius vitij hoc, q̃ signum istud est signum, quo diabolus discipulos suos cognoscit. Vnde sicut dominus dicit Ioan. 13. discipulis suis: In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Sic dicit diabolus discipulis suis: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si inuidiam habueritis ad inuicem. ¶Decimooctauo facit ad detestationem inuidiæ hoc, q̃ sicut omnes inuidi sunt proditores. Prouerb. 23. Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: quoniam in similitudinem arioli, & coniectoris, æstimat quod ignorat. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum. ¶Decimonono facit ad detestationem huius vitij hoc, q̃ frequenter mala morte moriuntur inuidi. Vnde Eccles. 27. Laqueo peribunt, qui oblectantur casu iustorum: dolor autem consumet eos antequam mo-

riatur. Laqueo perit, qui improuise perit. Hieronymus: Non memini me vidisse in la morte mortuum, qui liberalem antea duxerat vitam. Econtrario sæpe accidit, ꝙ inuidus mala morte moritur, qui liberalem antè non duxit viram. ¶ Vicesimo facit ad detestationem huius vitij hoc, quòd inuidi socij sunt diaboli, & in lucro, & in damno. Quando diabolus lucratur, gaudent, quasi lucrum ipsius lucrum suum reputarent. ¶ Quando vero diabolus perdit, dolent, quasi damnum eius damnum suum reputarent. Speciales amici diaboli videntur esse tales secundum descriptionem amicitiæ, quam ponit Tullius: Habent enim idem velle & idem nolle cum diabolo. Idem enim velle & idem nolle, vera amicitia est. Inuidia vermis est, qui arefecit hederam Ionæ. Ionas interpretatur donum columbæ, & significat aliquem hominem gratiosum. Hedera verò prosperitas eius est, quam vermis inuidiæ vult consumere. Quàm citò enim videt inuidus aliquem prosperari, ipse vellet eius prosperitati aduersari. Inuidia etiam vermis est dissoluens charitatem, siue charam vnitatem ecclesiæ, pro qua filius Dei voluit mori. Inuidia etiam est similis passioni illi, qua percussi sunt Sodomitæ, Gen. 19. quæ dicitur auidentia auristia vel acristia. Et facit passio illa, non vt omnino nihil videatur, sed vt nõ videatur illud quod expedit nõ videre. Et dicitur acristia ab a, quod est sine, & cristis, quod est iudicium. Inuidia verò econuerso facit ꝙ illud non videatur, quod expedit videre. Inuidia enim sic excæcat hominem, quòd ipse nõ videt in bono nisi malum. Eccl. 14. Oculus malus ad mala tendit. Specialiter oculus inuidi malus est. Vnde in eodem capite, Nequam est oculus inuidi. Et Matth. 20. An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Inuidus plenus est malitia vsque ad oculum.

De speciebus Inuidiæ. PARS II.

POssumus distinguere duas species Inuidiæ, scilicet exultationem in aduersis proximi, & tristitiam in prosperis. Et notandum quod exultatio inuidi est quasi gaudium phreneticorum, qui de hoc gaudent, vnde flendum esset, imò gaudium diabolicum est, quum sit de malo alterius. De hoc gaudio legitur Prouerb 17. Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. & Iob 31. Si exultaui ad ruinã eius, qui me oderat, & exultaui quod inuenissem eum malum. supple, male mihi accidat. Mirum est, ꝙ inuidi gaudet de malo. quum enim gaudium debeat esse ex conjunctione conuenientis cum conuenienti, & inuidi natura sunt boni, naturaliter de bono gaudere deberent: sed hoc accidit ꝙ malitia quodammodo in naturam est conuersa, & ideo de malitia

sua gaudent, quum charitatis sit gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, vt legitur ad Rom. 12. Vnde Apostolus 2. ad Corinth. 11. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Inuidi etiam pares sunt porcis. Porci enim porcis qui occiduntur compatiuntur.

De remediis contra peccatum Inuidiæ. PARS III.

COntra vitium inuidiæ, possunt esse quatuor remedia. ¶ Primum remedium est, ꝙ homo amet bona quæ à multis haberi possunt, ita ꝙ ab vnoquoque plene. Grego. Qui faucibus inuidiæ carere desiderat, illam hæreditatem appetat, quam numerus possidentium non angustat. Idem: Homo vir iustus per hoc ꝙ in terris nihil appetit, alienis profectibus inuidere nescit. ¶ Secundum remedium est meditatio eorum, quæ suadent nobis fraternam dilectionem, quæ sunt quatuor. Primum est, fraternitas naturalis, quæ est inter homines. Omnes enim descenderunt ab vno patre & ab vna matre. Omnes angelos creauit simul, omnes verò voluit descendere ex vno patre & ex vna matre, ad commendationem dilectionis. Secundum est fraternitas spiritualis, quæ est inter Christianos, quia nati ex vno patre Deo, & vna matre ecclesia, & eandem hæreditatem, scilicet cælestem diuisuri sunt: & quanto plures diuident eam, tanto maior portio erit vniuscuiusque eorum. Vix posset pleniter ostendi quantum aliquis habebit gaudium de gloria vnius qui secum erit saluus. Tertium est, societas spiritualis, quæ est inter fideles. Socij enim sunt in lucro & in damno. Quartum est, ꝙ ipsi sunt membra vnius corporis, cuius corporis caput est Christus. Ad Ro. 12. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo. Et 1. ad Cor. 12. Si quid patitur vnũ membrum, compatiuntur cætera membra. ¶ Tertium remedium est, meditatio eorum quæ valent ad contemptum propriæ excellẽtiæ. Inuidia enim nascitur ex amore propriæ excellentiæ. Vnde illa quæ dicta sunt in tract. de Superbia, contra amorem propriæ excellentiæ, valent contra inuidiam. ¶ Quartum remediũ est, consideratio amaritudinis, quæ inuidiam cõcomitatur & dãni multiplicitas quod ex ea prouenit. Ipsa amaritudo est sicut acetum, quo ignis Græcus extinguitur. Solet ignis Græcus cum arena & aceto extingui. Sic inuidia ex consideratione infructuositatis quam habet, & aceto amaritudinis, quæ est cum ea, extinguitur. Damnum etiam quod ex ea prouenit, valet ad extinctionẽ eius. Et est vnum damnũ amissio proximi, sicut dictũ est prius. Aliud

damnum est, q̃ postquam inuidus dissolutus est à cæteris membris ecclesiæ, non viuificatur à Spiritusancto: sicut nec anima viuificat membrum, quod à corpore separatum est, & humor non ascendit ad ramum præcisum ab arbore. Præterea sicut inuidus non vult communicare bona sua proximo: sic non est dignus quòd Deus communicet sibi bona sua.

TRACTATVS VIII. de Ira.

De his quæ valent ad detestationem Iræ, PARS I. *quæ habet quinque capitula.*

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et verbis Sacræ scripturæ, quæ dissuadent Iram. Et quare Ira sit auferenda à corde.

CAPVT I.

POST superbiam & inuidiam, dicendum est de ira, quia tam superbia quàm inuidia frequenter occasio est iræ. De ira vero tractabimus hoc modo. ¶ Primo ponemus ea quæ valent ad detestationem iræ. ¶ Secundo ponemus diuersas diuisiones iræ. ¶ Tertio agemus de peccatis, quæ ex ira sequuntur. ¶ Vltimo de remediis contra iram. Iram vero hic intelligimus, appetitum vindictæ. ¶ Ad detestationẽ vero iræ valere possunt verba sacræ scripturæ, quæ nobis dissuadẽt illam Gene. 45. Ne irascimini in via. Vbi insinuatur causa quare fatuum sit irasci. Verbum est Ioseph ad fratres suos ituros ad patrem. Sic & nos sumus fratres in via ad patrem nostrũ cæleſtem tendentes, & iudicem, qui iustitiam nobis plenariè exhibebit. Singulis diebus facimus vnam dictam magnã ad iudicem magnum, & ideo debemus esse in pace. Matt. 5. Esto consentiens aduersario tuo, dum es in via, ne fortè tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Item Leui. 19. Non quæras vltionem: nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Et Iob 36. Nõ te superet ira, vt aliquem opprimas. Quo verbo insinuatur q̃ ira hostis sit nos impugnans. ¶ Magis timere debemus superari ab ira, quàm à quocunque homine. Quicquid enim potest inferre iniuriator, minus est quàm mors animæ, cuius causa est ira. Item Eccles. 7. Ne sis velox ad iram. Et Iacobi 1. Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Velox ad iram dicitur quis dupliciter. Vno modo, quia velox est ad saliendum in ignem iræ. De facili enim irascitur. Alio modo dicitur aliquis velox ad iram, sicut equus dicitur velox ad calcaria, & bos ad stimulum. Mul

Multum velox est ad iram, qui ira stimulatus transilit chaos magnum, quod est inter iram & pacem, & inter odium & amorem, quum ista maximè à se distent, contraria enim sunt. Multum velox est ad iram, qui quasi in puncto transilit à porta paradisi, scilicet à gratia ad portam inferni, scilicet ad peccatũ mortale. Peccatum mortale dicitur porta inferni. Matthæi 16. Portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quia nihil est inter peccatum mortale & infernum, nisi corpus, quia si anima discedit à corpore, citò est in inferno. Iob 21. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad infernum descendunt. Bene velox est ad iram, qui ira stimulatus prius salit quàm attendat quò saliat. Qui in odium cadit, in foueam cadit profundam. Item Ecclesiastic. 12. Auser iram à corde tuo. Auferenda est ira à corde, quia est quasi tempestas, mentem quasi grando destruens: sicut dicit Gregor. Vnde sicut tempestas timetur vineæ: sic ira timenda est cordi. Auferenda est etiam ira à corde, quia est ignis infernalis bona animæ exurens. Prouerbiorum 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimentum eius non ardeat? Ira etiam est de illis serpentibus ignitis nequissimis, de quibus legitur Numer. 21. qui vexauerunt filios Israël in deserto, & hodie homines multos in deserto claustri. Est etiam hostis auferẽs homini seipsum, sicut superbia aufert homini Deũ, & inuidia proximum, sicut dicit magister Hugo de sancto Victore. Auferenda etiam est ira à corde: quia ad modum trabis oculum cordis impedit: vnde, Impedit ira animum, ne possit cernere verum. Vnde cum festucam de oculo corporis festinemus auferre, mirum est quomodo trabem iræ non festinamus auferre de oculo cordis. Mirum est etiam quomodo qui trabem iræ habet in oculo, vult alios iudicare & corrigere. vnde Matth. 18. Hypocrita, eiice trabem primum de oculo tuo, & tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. Item Ecclesiastic. 10. Omnis iniuriæ proximi ne memineris. Ad Roman. 12. Nolite esse prudentes apud vosmetipsos, nulli malum pro malo reddentes, vult autem dominus amicos suos perfectæ bonitatis esse, & perfectæ nobilitatis, vt neque malum, neque rusticitas aliquo modo ex eis exeat. Curiales & nobiles huius mundi parum nobiles sunt, qui nulli malum faciunt, vel rusticitatem, nisi ipse prius eis simile fecerit. Quod constat non perfectæ nobilitatis esse. Cum enim non possit exire de sacco nisi quod in illo est, & rusticitas ex eis exeat, rusticitas prius in eis erat. Spinam enim & non lilium se esse ostendit anima illa, quæ conuitiis à proximo puncta proximum

pungit. Non talis est amicitia Christi. vnde Canti. 2. Sicut lilium inter spinas. Item ad Rom. 12. Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Cum ira ignis sit, ab iracundis debemus nos elongare, si non volumus ab eis exuri. Item in eodem cap. Noli vinci à malo. A malo vincitur quis, quum malus efficitur, & malitiæ sit subiectus. ¶ Secũdo valet ad iræ detestationem hoc, quia multum displicet Deo, placet diabolo, nocet suo subiecto & proximo. Ad primum facit illud Ecclesia. 27. Ira & furor vtraque execrabilia sunt. Et supplet glo. interlin. in conspectu Dei.

Quòd quinque de causis displiceat Ira Deo.

CAP. II.

QVinque de causis displicet ira multũ Deo. ¶ Primo quia hospitium eius turbat. Vnde ad Ephe. 4. Nolite contristare Spiritum sanctum. Greg. Dum ira animum pulsat, Spiritus sancto suam habitationem perturbat, imò quandoque Patrẽ, & Filium, & Spiritum sanctũ de hospitio suo expellit, & diabolum introducit. Sicut in pace factus est locus Dei: sic in ira factus est locus diaboli. ¶ Secundo imaginem Dei in templo eius dissipat, & imaginem diaboli ibi ponit. vnde super illud Iob 5. Virum stultum interficit iracundia. dicit Grego. Mansuetudo imaginẽ Dei in nobis seruat, qui semper tranquillus est: sed ira dissipat, quæ multis virtutibus priuat, quæ dum quietẽ mentis tollit. Spiritus sanctus non requiescit. Quòd autẽ multũ displiceat Deo, quum imago eius in homine dissipatur, ostendi potest, per hoc quod dicit Augu. super Psalm. Domine in ciuitate tua imaginẽ ipsorum ad nihilum rediges. Merito, inquit August. imaginem ipsorum ad nihilum rediget Deus in cælesti ciuitate: quia ipsi in tua terrestri ciuitate imaginem eius ad nihilum redegerũt. Et etiam per hoc ꝙ tantum peccatũ reputaretur, si aliquis imaginẽ Crucifixi in ecclesia Dei dissiparet, & idolum alicuius dæmonis in loco eius poneret. ¶ Tertio displicet ira Deo, quia tẽpla Dei incendit. Psalm. Incenderunt igni sanctuarium tuum. & 1. ad Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis vos, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. ¶ Quarto, quia nullum vitium sic contemnit Deum, quàm ira. Hoc vitium se erigit apertè contra Deum. Vnde ad hominẽ iratum videtur pertinere illud Iob 15. Tetendit aduersùs Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus eum erecto collo. Homo iratus Deum contumelia afficit, & nititur expuere in faciem eius. Iob 30. Faciem meã conspuere non verentur. ¶ Quinto displicet Deo, quia Deo aufert dominium suum in homine, & diabolum ibi facit dominari. Homo iracũdus quodammodo Deum se facit, dum vindictam vsurpat sibi, quam Deus sibi retinuit, dicens: Mihi vindictam, & ego retribuam, ait dominus, ad Ro. 12. & Deut. 32. Mea est vltio. Vnde in Vitis patrum, cum quidam frater venisset ad abbatem Philosium, & diceret ei, ꝙ vellet se vindicare de quodam fratre, qui dixerat ei contumeliam, incœpit orare Philosius in hunc modum: Deus, iam non est nobis necessariũ vt pro nobis solicitus sis, quia nosipsi, sicut frater iste dicit, & possumus & volumus nos vindicare. quod cum audisset frater pœnituit.

¶ Quòd quatuor de causis placeat ira diabolo.

QVATVOR verò de causis placet ira diabolo. Primo, quia valde potens est ad impugnationem hominum, & destructionem boni, quia ira est ignis spiritualis. Vnde sicut ignis naturalis potentior est ad destructionem, quàm alia elementa, sic ira, quæ est ignis spiritualis, &c. Et ideo malitiosi homines, qui multum volũt deturpare terram inimicorum suorũ, igne pugnant. Similiter & dæmones in inferno. Sic ignis iræ potens est ad destructionem bonorũ. Dominus etiam ignem amoris accendere voluit in mundo isto, ad destructionem regni diabolo. De igne iræ specialiter potest intelligi illud Ioel. 1. Ignis comedit speciosa deserti. Pulchriorem enim partem mundi magis exurit ignis iste infernalis: scilicet nobiles & diuites. vnde Eccle. 28. Secundum ligna syluæ, sic ignis exardescit: & secundum virtutem hominis, sic iracundia illius erit: & secundum substantiam suã exaltabit irã suam. Ira in exercitu diaboli incendiaria est. Ipsa enim causa est aliorum incendiariorum. ¶ Secundo placet ira diabolo, quia cæcitatem facit in homine, quæ multũ diabolo placet. Sicut enim cælesti regi minister intelligens acceptus est, Prou. 14. sic diabolo acceptus est minister cæcus. Ipse enim similis est corvo qui veniens ad cadauer, primò currit ad oculũ. Sic diabolus primo vult hominẽ excæcare, sciẽs ꝙ postea poterit eũ præcipitare in foueam peccati ad voluntatẽ suam. Exemplum in Vitis patrũ dixit quidã senex: Quando operiuntur oculi animalis, tunc circuit ad molendinũ: alioquin non ambulat in circuitu molæ. Sic diabolus quando cooperuit oculos mentis, in omne peccatũ humiliat hominem. ¶ Tertio placet ira diabolo, quia per irã multum dominatur diabolus homini. Homo enim iratus non timet facere quodcunque diabolus præcipit sibi, quantumcunque magnũ peccatũ sit: non enim parcit vxori, non parcit filio quin quãdoque proiiciat eum in ignẽ. Ipsi Deo & matri eius non parcit,

quin contumeliis eos afficiat. vnde ad ipsum specialiter referri potest illud Prou.18. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti in stultitia sua. ¶ Quarto placet ira diabolo, quia hoc peccato nō lucratur diabolus vnū hominē tantum, sed totā domū, vel villā, vel patriā. Homo iracundus est velut serpens ignē ore vomens, exurens eos igne iræ qui sunt iuxta se. Vnde Pro.15. Vir iracundus prouocat rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas. Vnde iracūdus rixas prouocat: more enim canis alios mordet, & latratu suo alios ad iram prouocat.

¶ Quòd ira multum nocet proximo.

PROXIMO etiam multum nocet ira, quia ferè omnia mala, quæ inferunt homines sibiinuicem, procedunt ex ira. Ideo multum deberet homo sibi cauere ab ira: quia nisi hoc fecerit, intolerabilis est hominibus. Prouerbio. 27. Graue est saxum & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior est. & in eodem capi. Impetum concitati spiritus sustinere quis poterit? Eccle. 22. Super plūbum quid grauabitur? & quod illi aliud nomē, quàm fatuus? Arenam & salem, & massam ferri facilius est ferre, quàm virū imprudentem, & fatuum, & impium. Prouerb. 18. Spiritum ad iracundum facilem quis poterit sustinere? Homo iracundus præcipuè est onerosus amicis suis & familiaribus. vnde Prouerbio. 22. Noli esse amicus homini iracundo.

¶ Quòd tribus de causis cauenda est amicitia iracundi hominis.

TRIPLICI ratione non debet homo quærere amicitiā hominis iracundi. ¶ Primo, quia parum durat talis amicitia. Ignis enim iræ comburit in eo vinculum amoris. ¶ Secundo, quia homines iracundi sunt velut lignū ignitū, quod consueuit exurere ea quæ tāgit. ¶ Tertio, quia sunt velut lignū spinosum, quod pūgit amplectentes se: ideo familiari amore complectendi non sunt. Licet aliquis homo amet omnes arbores quas habet, spinosas tamen libenter declinat. Sic licet omnes homines amandi sunt, tamen familiaritas iracundorum declinanda est.

¶ Quòd proprio subiecto multum noceat ira.

IRA etiam proprio subiecto valde nocet. Et hoc multis modis. ¶ Primo, nocet corpori. vnde Eccle. 30. Zelus & iracūdia minuent dies. ¶ Secundo, nocet etiam possessionibus. vnde Eccl. 20. Obiurgatio & iracundia adnihilabunt substantiam. Homo iracundus pro vna alapa amittit quandoque centum libras. ¶ Tertio, nocet ira, & hoc multipliciter. ¶ Primo excæcando eum. vnde Iob 17. Caligauit ad indignationem oculus meus. Et in Psalm. Supercecidit ignis, & non viderunt solem. Ignis iræ non sinit videre

videre solem iustitiæ. Psalm. Turbatus est à furore oculus meus. Et philosophus: Duo sunt maximè contraria cōsilio, scilicet festinantia & ira. Psalm. Turbatus sum &c. ¶ Secūdo nocet ira animæ, ei omnia bona auferendo. Aufert enim misericordiā. vnde Prou. 22. Ira non habet misericordiam, neque irrumpens furor. Cuius causa est: quia ira inquirit victoriam. Finis enim iræ est victoria. Aufert etiam homini ira veram iustitiā. vnde Iacob. 1. Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Vbi dicit glo. Qui iratus iudicat, etiā si iustitiam iudicat, tamen diuini examinis iustitiā, in quam perturbatio non cadit, non potest imitari. Sapiē. 12. Tu autem dominator virtutum cum tranquillitate iudicas. Et super illud Iob 16. Non te superet ira. dicit glo. Si ira correctionem superat, antè opprimit, quàm corrigat: & sub specie zeli iustitiæ, furor est. Zelus iustitiæ quasi ignis ardere debet oleo misericordiæ. Et sicut ignis lampadem destruit, nisi adsit oleum: sic zelus iustitiæ cor hominis destruit, nisi assit oleum misericordiæ. Legitur de Christo Lucæ 20. q̄ ipse destructionem Ierusalem, quam ex zelo iustitiæ facturus erat, prius fleuerit. ¶ Tertio ira nocet animæ omnia mala introducendo. vnde super illud Prouerbio. 15. Vir iracundus prouocat rixam. dicit Gregō. Ianua omnium vitiorum est iracundia: qua clausa, virtutibus intrinsecus datur quies aperta, ad omne facinus armabitur animus. Prou. 29. Qui ad indignandum facilis est, ad peccata est procliuior. Damnum quod facit ira homini, ostendit Salomon Prouer. 19. Qui impatiens est, sustinebit damnum. Primum quod sustinet impatiens, est damnum perditæ patientiæ. Secundū est, damnum eorū qui lucrati essent, si patienter iniuriam sustinuissent: velut enim lapidibus pretiosis obruimur, cum iniuriæ nobis inferuntur. Tertium damnum, est amissio suiipsius. Impatiens seipsum perdit, sicut patiens seipsum seruat. Vnde dominus in Euangelio Lucæ 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Quibus rebus comparatur iracundus. CAP. III.

TErtio valet ad detestationem iræ, si iracundus diuersis generibus rerum comparetur. Vnde notandū, quòd iracundus est velut homo habens domum ligneam, cui quandoque accidit, quòd in vespere dies est, in mane verò nihil habet, quia ibi totum ignis subitò abstulit. Ita homo iracundus ad sibilum vnius verbi, gratiam, quam habebat, perdit, dum in iram vel odium cadit. Ideo dicitur Eccle. 2. Væ illis qui perdiderunt sustinentiam. Homo etiā iracundus est quasi dæmoniacus, vel arreptitius. Vnde figurari potest per dæmoniacum illum, de quo le-

gitur Marci 9. Magister, attuli tibi filium meũ habentẽ spiritum mutũ, qui vbicũque eũ apprehenderit, allidit illũ, & spumat, & stridet dentibus. Matthæi etiam 8 legitur ꝙ occurrerunt domino duo habentes dæmonia terribilia nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Quibus satis assimilatur homo iracundus. Item iracundus est sicut olla nimium habens ignẽ, in qẽ ebulliendo emittit quod in ea erat. vnde Psa. 15. Cor fatui ebullit stultitia. Iracundus est homo insanus, licet non sit continua eius insania. Vnde Horatius: Ira furor breuis est. Item philosophus: Irrogata iniuria, eius est insania qui facit. Nunquid non insanus est, qui seipsum gladio iræ vel odii occidit? ¶ Homo iracundus est velut rhamnus ignem ex se producens ad impetũ venti, secundũ Iosephum. Sic iracundus ad ventũ superbiæ ignem iræ ex se producit. Homo etiam iracundus est velut aper in gladium iræ vel odij seipsum impingens. Gladius diaboli est ira vel odium.

¶ *De stultitijs iracundi multijs modis.*

CAP. IIII.

QVarto potest valere ad detestationẽ iræ, si ostẽdatur quãta stultitia laborat homo iracũdus, qui non vult odiũ dimittere, sed vult se vindicare. Et possunt assignari multæ stultitiæ ipsius. ¶ Prima stultitia eius est, ꝙ ipse vult sanare vulnus suũ de alieno vulnere, & sanitatem quærit de aliena infirmitate. In alieno malo quærit bonũ suũ: quod idẽ est ac si in igne quærat aquã, & in spinis vuas, & in tribulis ficus. Hanc stultitiã insinuat nobis Augu. dicẽs: Iesus, & iniuriam passus vindicari vult, quasi cuiquã pœna possit prodesse aliena. De aliena pœna quærit sibi medicamentum, & acquirit grande tormentum. ¶ Secunda stultitia est, quòd ipse vult se vindicare cum periculo animæ suæ, & interdum corporis, & magno labore & expensis, & tamen non potest se vindicare plenè. Maior enim vindicta quam ipse potest sumere, est mors asini hostis sui, scilicet et corporis. Prouerbiorum 20. Ne dicas, Reddam malum pro malo: expecta dominum, & liberabit te. Liberabit, in quam, à labore & expensis, & periculo animæ & corporis, & debito gehennæ, cui te obligares, vindicando te. Mira insania, quòd homo velit se occidere, vt asinum hostis sui occidat. Si autem expectaret dominum, dominus plenariè vindicaret eum, hostem suũ infernali patibulo affigendo. Non oportet ergo sumere vindictã de hoste suo, qui sibi iniuriatus est: quia nisi ipse pœnituerit, Dominus tantam vindictã sumet de eo, ꝙ totus mundus satiabitur inde. Vnde in fine Esaiæ: Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, &

erunt vsque ad satietatem visionis omni carni. Nullus est ita immisericors, quin moueri posset ad compassionem erga illos, qui cruciabuntur in inferno, si sciret qualis est cruciatus eorum. vnde legitur Lucæ 16. de diuite illo qui sine misericordia fuerat, qui tamen compassus est suis fratribus, timens ne venirent ad illum locum tormentorum. Expertus enim erat iam cruciatum infernalem. Si quis singulis horis membratim dilaniaretur, ipse non tãtam pœnam sustineret, quantam ille qui cruciatur in igne infernali. ¶ Item si totus mundus excogitaret quomodo puniret aliquem, & ille posset totum sustinere, ipse non posset eum tantũ punire, quantum Dominus puniet vno verbo, quando dicet, Ite maledicti in ignem æternum. Nisi sciret Dominus cruciatum illum ita grauem esse, non sustinuisset cruciatum passionis, vt nos liberi essemus à cruciatu illo. ¶ Tertia stultitia est, quòd ipse frangit pontem, per quem ipse necesse habet transire, alioquin peribit. Et quòd hæc stultitia valde magna sit, sic potest ostendi. Duo habentes capitales inimicitias adinuicem, transituri sunt per quendam pontem: qui autem prior venit ad pontem, cogitat quòd destruat pontem in odium sui hostis: sed ex alia parte videt quòd si pontem destruxerit, ipse ex necessitate peribit, hostis verò ipsius nihilominus transibit. Si post huiusmodi deliberationem pontem destruit, nónne insanus reputandus est? Simili stultitia laborat, qui delinquenti in se non vult dimittere. Pons enim per quem sumus de necessitate transituri ad Deum ex quò peccauimus, est ipsa misericordia. Sed hunc pontem sibi frangit, qui misericordiam negat proximo qui in eum deliquit. Iudicium enim sine misericordia erit illi, qui non fecit misericordiam. Iacobi 2. Proximus tamen nihilominus ad Deum peruenit, si fecerit quod in se est. ¶ Quarta stultitia est, quod ipse vult se occidere, vt tunicã hostis sui possit dilaniare. Tunica hostis ipsius, caro est eius. Vnde Psalm. Comedisti saccum meum, &c. Saccus vocatur ibi caro Christi. Si autem caro Christi saccus erat, id est, vestis humilis: multo fortius caro cuiuslibet potest dici vestis. Vnde qui animam suam occidit vt corpus hostis sui lædat, prædicta stultitia laborat. Hanc stultitiam ostẽdit Augustinus super illud Psalm. Gladius eorum intret in corda eorum. dicens de persecutoribus qui ita insaniunt. Quasi quis per corpus suum gladiũ mittit, vt tunicam alterius scindat. Gladius prius intrat in cor persecutoris, quàm in corpus eius quem persequitur. ¶ Quinta stultitia est, quòd ipse de se faculam facit, vnde ignem accẽdat in qua hostis eius cõburatur, sed se prius comburit. Hanc stultitiam

osten

ostendit Augustinus super illud Psal. In laqueum cadat in ipsum, sic dicens: Nemo malus est, qui sibi prius non noceat. Sic puto malitiam esse quasi ignem. Si incendere vis aliquid, illud quod admoues igni prius ardenti, nisi ardeat, nō incendit aliud. Verbi gratia, Cum faculam apponis igni, prius ardet vt aliud possit incendere: Ita ergo malitia quæ procedit ex te, quid vastat antè, quàm te? Qui profundum ramum lædit, vbi radicem habet, non lædit. Malitia tua vt alteri non noceat fieri potest: quòd autē tibi nō noceat, fieri non potest. Item impossibile est, quòd iniquitas prius lædat hominem iustum, in quem tendit, quàm cor iniustū vnde procedit. ¶ Sexta stultitia est, quòd in ipsum, quem amauit sanum, desæuit, cū factus sit infirmus vsque ad mortem, quod nō solum modo stultitia est, sed etiam proditio & crudelitas magna: quia ille qui amatur sanus, tenerius amādus est, cum sit infirmus. Hanc stultiam ostendit Boëtius in libro consolationum, dicens: Apud sapientes locus nullus odio prorsus relinquitur. Nam bonos quis nisi stultissimus oderit? Malos autem odisse, ratione caret. Nam sicut corporis languor: ita vitiositas quasi quidam morbus est animarum. Cum ergo ægros corpore minimè dignos odio, sed potius miseratione iudicemus: multo magis tales miserendi sunt, non insequendi, quorum mentes improbitas omni languore atrocior vrget. ¶ Septima stultitia est, quòd cum aliquis sibi abstulerit aliquid de suo, ipse in vindictam eius proiicit ea quæ sibi remanserunt. ¶ Fatuus esset cum aliquis abstulisset pallium, si ipse in vindictam & tunicam & supertunicale proiiceret in Rhodanum: vel cui aliquis viginti libras abstulisset, si ipse quadraginta proiiceret vel à tota sua hæreditate se exhæredaret. Sic fatuus est cui aliquis abstulit pallium, suæ famę detrahendo, si ipse hac de causa proiicit illam pulchram & pretiosam vestem innocentiæ, quam in die iudicij toti mundo ostensurus est. Hanc stultitiam ostendit Seneca dicens: Ridiculum est odio nocentis innocentiam perdere. Et Psalm. Custodi innocentiam &c. Fatuus est, qui illata sibi iniuria ob hoc à cælesti se hæreditate exhæredat. ¶ Hostis abstulit sibi terram, & ipse aufert sibi cælum. Primo perdit sua, & modo perdit seipsum. ¶ Octaua stultitia est, quòd cum ipse dicit dominicam orationem, ipse maledicit sibi secūdum cōmunem modū loquendi, dicendo, scilicet istud verbum, Dimitte nobis debita nostra, &c. sicut aliquis sic dicens: Sic Deus me adiuuet, sicut verum dico, maledicit sibi, secundum vsum communem loquendi, nisi verum dicat. Hāc stultitiā ostendit Anastasius. dicēs: Si nō dimittis iniuriam quæ tibi facta est

t, non orationem pro te facis: sed maledictionem super te in-
cris, cum dicis, Sicut & nos dimittimus, &c. Vnde de tali po-
est dici istud Ecclesia. 33. Vnus orans, & vnus maledicens, cuius
ocem exaudiet Dominus? Timendum est ne vocem maledi-
entis, nisi pœnituerit. Forsitan tamen si in persona ecclesiæ sic
iceret, non peccaret: vel si sic simplex esset, vt verba illa intellige
t. ¶ Nona stultitia est, quòd cum ipse sit oneratus multis debi-
s, pro quibus poneretur in carcerem horribilem, nisi ea hic sol-
erit, & aliquis velit eum delere de tabulis creditoris, & se scri-
ere, & pro eo respondere, ipse tamen renuit. Qui alicui facit
iuriam, Deo pro debitis eius respondet, si tamen ille patien-
er sustinet. vnde Matth. 6. Si dimiseritis hominibus peccata eo-
am, dimittet & vobis Pater cælestis peccata vestra. Et Ecclesia.
8. Dimitte proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi pecca
a soluentur. Ibi dicit glossa interlin. Indignum est Deum ei esse
ropitium, qui crudelis est in proximum. Augustin. Vnusquis-
que talem indulgentiam accepturus est à Deo, qualem ipse dede-
it proximo suo. Via valde congrua ad obtinendum à Deo remis
onem peccatorum suorum, est remissio iniuriarum suarū. quòd
gnificatum est 4. Reg. 4. in muliere illa quæ debita sua soluit
e oleo sibi ab Eliseo multiplicato. In oleo enim misericordia
elligitur, qua iniuriæ illatæ remittuntur. Homini vero, qui
ō vult dimittere alteri, nō dimittitur aliquid, nec suis precibus,
ec alienis. Vnde super illud Ecclesiast. 28. Quis exorabit pro de-
ctis illius? Dicit Glos. interlin. Frustra quis pro illo orat qui
atri debitā charitatem negat. Et in principio eiusdem capituli,
Qui vindicari vult, à Domino inueniet vindictam, & peccata
uis seruans seruabit. Orationem illius, qui non vult fratri suo di
mittere, despicit Dominus. Vnde in eodem cap. Homo homi-
i seruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem enim si-
ilem sibi non habet misericordiam, & pro peccatis suis deprecā
r? Ipse cū caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo?
ec solum oratio talium à Deo despicitur, imò etiam oblatio.
Vnde Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus
eris quia frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi
munus tuum ante altare, &c. Oratio autem eius qui sibi illatas
iurias dimittit, non solum valet sibi, sed etiam aliis. vnde Ie-
re. 15. Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima
ea ad populum istum: vbi dicit glossa, Quid est quòd Moy-
es & Samuel præ cæteris patribus in postulationem præferun-
ur, nisi quòd isti duo tantum in omni testamenti veteris serie

etiam

etiam pro inimicis orasse leguntur? Vnus à populo lapidibus impetitur, & tamen pro lapidatoribus ille precatur. Alter ex principatu eiicitur, & ait: absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. ¶ Decima stultitia est, quòd ipse similibus contra similem pugnat, cum potius contrariis sit pugnandum. Amore contra odium pugnandum est, sicut aqua pugnat contra ignem. vnde Prouerbior. 23. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Sic enim carbones congeres super caput eius. Patientia cõtra impatientiam pugnandum est, bonitate contra malitiã, sapientia contra stultitiam. Prouer. 26. Ne respondeas stulto secundum stultitiam suam, ne efficiaris ei similis. Et ad Roma. 12. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. ¶ Vndecima stultitia est, quòd ipse occiso vno filio matris suæ ecclesiæ vult ei alium occidere, luctum volens ei addere super luctum. Ad hoc potest referri quod legitur 2. Regum. 14. de muliere instructa à Ioab, quæ dixit Dauid regi, quòd cum duos filios haberet, & alter alterum interfecisset, venerat cognatio defuncti volens interficere illum qui remanserat, &c. ¶ Duodecima stultitia est, quòd ipse sæuire vult in mortuum: quod non solum stultitia est, imò etiam magna crudelitas. vnde lancea quæ Christum mortuum vulnerauit, dira vocatur, cum claui dicantur dulces. Membrum Christi mortuum est, homo existens in charitate. Quasi membrũ Christi mortuum est, homo existens in mortali peccato. vnde vnguenta dulcis admonitionis paranda essent, & non esset sęuiendum in illum qui iam mortuus est. De vnguentis quæ præparauerunt sanctæ mulieres ad corpus Christi mortuum inungendum, legitur Marci vltimo. ¶ Decimatertia stultitia est, quòd ipse conqueritur de fratre suo hoc quod fecit sibi, vel dixit tempore insaniæ, & vult inde vindicari. Hanc insaniam insinuat nobis Seneca, dicens: Homines malè de te loquuntur? supple, ita tu dicis mihi. Et subdit, Moneor, si hoc iudicio facerent: verè morbo faciunt. Et Lucæ 23. Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Si quis haberet fratrem insanum qui ei conuicium diceret, vel alapam daret, & ex alia parte seipsum gladio interficeret: ipse plus doleret de malo, quod frater insanus sibimet faceret, quàm de hoc quod ab eo sustineret. Sic qui iniuriam patitur, magis dolere debet de peccato iniuriantis, quàm de iniuria sibi illata. Vnde Actuum 7. legitur de beato Stephano, quòd positis genibus pro lapidatoribus suis exorauit. Quãdo autem orauit pro se, non legitur genua flexisse. Nõ debet aliquis admirari vel indignari, si cæcus in eum impingat: sibi potius irasci debet, quia sibi ab eo non cauit. Vt

hic cæcus est homo iratus: ideo debet sibi cauere ille, qui iratus nõ est, ne ad eum offendat. ¶ Decimaquarta stultitia est, quòd cum aliquis habet aliquem odio, captus teneatur à diabolo, & sciat quòd diabolus mortem eius sitit: tamen ille non vult dimittere illam, quod nihil sibi valet, imò valde sibi noxium est, scilicet odium, vt à diabolo dimittatur. Odium tenere velle, est retinere peccatum suum. Non remittenti odium, nihil remittitur. Lucæ textor: Dimittite, & dimittetur vobis. Imò retinere odium, est retinere diabolum. Mira insania iracundorum, qui odium, quod non habet nisi amaritudinem, Deo & regno eius præponunt, qui de odio thesaurum suum faciunt, nec volunt illum commutare pro thesauro Dei. ¶ Decimaquinta stultitia est, quòd ipsi odiunt & persequuntur illum, qui aurum & argentum & lapides pretiosos proiecit eis vnde se redimant, & coronam æternam fabricent. De redemptione ista legitur Prouerb. 23. Redemptio animæ viri propriæ diuitiæ. ¶ Propriæ diuitiæ hominis sunt tribulationes, quas sibi procurauit homo & non Deus. De fabricatione coronæ dicit Psalmus, Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Fabricauerunt, inquam, coronam perpetuam. Qui facit alicui malum, si patienter sustinet, lapidem vnum pretiosum in eius coronam ponit: ideo tales diligendi sunt tanquam benefici. Luc. 6. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, benedicite maledicentibus vobis. Et ad Roma. 12. Benedicite persequentibus vos: benedicite, & nolite maledicere. ¶ Duabus de causis benedicendi sunt persecutores, quia nobis benefaciunt, & quia aliam remunerationem non expectant. Ideo dixit Apostolus bis Benedicite. Qui se vindicant de persecutione, reddunt malum pro bono, & ideo malum accidet eis. Prouerbio. 20. Qui reddit malũ pro bono, non recedet malum de domo eius. Si quis dicat quòd illud bonum non facit ex bona intentione, & ideo non est diligendus: Respondeo, quòd spina quæ claudit vineam alicuius, pungens intrantes in eam, amatur ab eo cuius est vinea, licet illud bonum quod ei facit, ex intentione non faciat. ¶ Decimasexta stultitia est, quòd quum iracundi amorem suum venalem habeant, nolunt tamen vendere ei qui carius eum emeret, scilicet Deo. Quòd ipsi amorem suum venalem habeant, patet ex eo quòd nolunt amare nisi suos benefícos, & se amantes nolunt habere amorem vel aliquod beneficium, amoris sui prætium. Sed si ipsi pro Deo inimicos vellet diligere, Deus valde carè emeret amorem eorum. Daret enim pro illo amorem suum & regnum cęlorum. ¶ Nota quãdo Dominus

nus in die iudicij ponet rationem de amore, de quo est maximũ præceptũ,& dixerit aliquis se amasse aliquẽ,quia ab eo amabatur, & quia beneficus suus erat: Respondebit Dominus, De hoc amore nihil tibi debeo:de illo iam solutum est tibi.Cum autem dixerint aliqui,se amasse propter eum illos,qui conuiciis & iniuriis offendebant se, ne amarentur. Tunc dicet Dominus: Istum amorem vobis debeo. Venite benedicti, percipite regnum,&c.Ad hoc pertinet illud Matth.5.Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nónne & publicani hoc faciunt? Et Lucæ 6. Si diligitis eos qui vos diligunt, quæ vobis est gratia? Et pòst:Veruntamen diligite inimicos vestros.Et sequitur: Et erit merces vestra multa.Et cum homines ita sitiant lucrum,mirum est quomodo cũ Deo lucrari nolunt,& quomodo amorem suum nolunt Deo dare pro regno eius,quem darent alicui homini pro modico beneficio. ¶Decimaseptima stultitia est, quòd ipsi reputant honorem, quod in veritate est vilitas,scilicet vindicare se. Diceret aliquis: Non possum sustinere tantum dedecus,quòd de malo mihi illato me non vindicem,reputans vilitatem esse,non vindicare se,cum tamen vindicare se potius sit vilitas in multis casibus. Vnus casus est, quando stultus & insanus est, qui sibi conuiciatur. Alius casus est, quando est vilis persona,vel leprosus, vel loripes. Tunc enim homo magni cordis dedignatur vindicare se de illis,nolens manus suas ibi maculare.Seneca:Quibusdam libenter parcas,à quibus te vindicare fastidias. Ab his non aliter quàm ab animalibus paruis,& inquinantibus reducenda est manus. Cum igitur non possis vindicare te absque spirituali inquinatione manuum, & cum ille qui infert tibi iniuriam in hoc insanus & stultus sit:non est vilitas,sed potius honor,si te non vindices. Seneca: Magni animi est iniurias in summa patiẽtia pati.Idẽ, Si magnanimus fueris, nunquã dicas tibi contumeliam fieri. De inimico dices, Non nocuit mihi, sed animum nocendi habuit. Et cum illum in potestate tua videris, vindictam putabis vindicare potuisse. Scito enim, honestum & magnum & maius genus vindicandi esse, ignoscere. Prouerbiorum 20. Honor est homini, qui separat se à contentionibus: omnes autem stulti miscentur contumeliis. Sicut honor est se separare à contentionibus: sic vilitas est in contentione os suum conuicio alicuius maculare. ¶Decimaoctaua stultitia est, q̃ ipsi odiunt illos qui sibi prosunt:contra Dei prohibitionem scilicet iniuriantes:peccata vero odij, & alia peccata, quæ eis summè nocent,

quæ dominus præcipit odio haberi, nolunt odire. In Psalmo. Qui diligitis Deum,odite malum.De nocumento peccatorum, dictum est in principio tractatus.Hoc tamen additur,quòd peccatum est occasio omnium miseriarum,quæ nobis accidunt.Fames enim & sitis,frigus,calor, labor, infirmitas,mors, sequelæ sunt peccati.Si enim homo non peccasset, non sensisset eius pœnas.Si quis interfecisset alicui fratrem suum, ipse odiret eum, præcipuè si sine peccato hoc posset facere. Quare ergo non odimus peccatum, quod interfecit illos de parentela nostra, qui mortui sunt,& illos qui remanserunt occidet,& nosipsos ? ¶In omnibus miseriis quas in mundo isto videmus,possemus odium peccati colligere. Quando aliquem mori videmus, debemus cogitare quàm malum sit peccatum facere, ex quo talia stipendia sequuntur.Apostolus ad Rom.6.Stipendia peccati mors.Legitur quòd Adã & Eua luxerunt centum annis,quando viderunt mortuum Abel, intelligentes illam mortem sequelam esse peccati. Mirum est quomodo homines peccatum amare possunt, cum occasione illius tot miserias incessanter sustineant. Ad miserias enim huiusmodi odiũ peccati deberet in eis renouari.

¶ *Quòd homo iracundus stultus sit iram recipiendo,conseruando & indicando.*

Homo qui alium odit,valde stultus est. Amat enim societatem eius quem odit,& vult cũ eo ire in infernũ, quod valde mirum est.Mirum etiam est,quòd ipse malitiam,quam in hoste odit,in se diligit: propter vnum delictum quod videt in homine, omnia bona quę in ipso videt odit:propter modicũ quod diabolus habet in eo,odit quæ Deus habet ibi. In quo assimilatur illi, qui castrũ patris sui odiret,propter domũ vnã hostis sui,qui esset ibi:vel totum agrum vnũ odiret,propter vnam vrticã quæ esset ibi.Et vt breuiter dicã,homo volens se vindicare, stultus est,irã recipiendo,conseruando,indicando. Irã recipiendo stultus est: quia cũ frater eius dicat ei verbum durũ,& ex alia parte diabolus gladio iræ voluerit eum interficere,non curat de gladio diaboli,sed solum de verbo fratris. Hæc stultitia insinuatur Iob. 5. Virum stultum interficit iracundia,quasi diceret,Ex stultitia est, quòd ab iracundia se permittit occidi.Stultus etiam est irã conseruando,cum ira sit ignis.quod innuit Salomon, dicens Ecclesiast. 7. Ira in sinu stulti requiescit. Quis non excuteret carbonem de sinu suo,nisi stultus sit? Prouerbiorum 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta eius non ardeant?Stultus est etiam iram indicando, Prouerbio. 12.

Fatuus autē statim indicat iram suam hominibus, quum ira furor sit, est indicare se esse hominem insanum. Item qui indicat iram suam hominibus, succendit domos vicinorum suorum, eò quòd domus sua ardeat, cum potius cogitare deberet quomodo domui propriæ subueniret. Sicut nō esset ferēda sententia, quam insanus dictaret: sic nō est proferendus sermo quē ira dictat, cum ira sit furor. Homo iratus nisi taceat, ostendit se magis stultum quàm ipse sit. Multa enim comminatur quæ non faciet. Vnde Prouerb. 14. Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam.

De sex iniquitatibus iracundi volentis se vindicare. CAP. V.

QVinto potest valere ad detestationem iræ, si ostendatur multiplex iniquitas, quæ est in homine irato, qui se vult vindicare. ¶ Prima eius iniquitas est, quòd ipse authoritate sua constituit se iudicem inter se, & iniuriatorem suum. ¶ Secunda est, quòd ipse in eadem causa vult esse actor & iudex. ¶ Tertia est, quòd ipse vult vindicare se pendente die, quæ sibi assignata est, vt ei plenè iustitia fiat. Dies hæc dies iudicij est. Aposto. 1. ad Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare. ¶ Quarta iniquitas est, quòd ipse impunitū relinquit illum, à quo debuit incipere, scilicet seipsum, qui sibi magis nocuit, quàm alius. Quicquid alius potuit inferre ei, minus est odio quo ipse animā suā interficit. ¶ Quinta iniquitas est, quòd ipse iustitiam, quæ ex solo iudicio debet procedere, ex iniquitate vult elicere, quia ex ira & odio. ¶ Sexta iniquitas est, quòd ipse nō reddit patientiam iniurianti quam ei debet, sicut iniurians debet ei innocentiam.

¶ *Exempla ad detestationem Iræ.*

SEXTO possunt valere ad detestationem iræ, exempla. Et præcipuè exemplum Christi, quem videmus patientissimum esse, qui vltimo faciet vindictam de inimicis suis. Bene deberet sufficere vermiculo, quòd ira citò vindicaretur de inimicis suis. Sicut dicit Augustin. Summæ religionis est imitari quem colis. ¶ De beato Bernardo legitur, quòd appropinquante morte eius, cum requireretur à fratribus, quòd doceret eos aliqua salubria, dixit eis: Alieno sensui magis quàm meo credidi. Læsus vindictam non expetii. Nulli scandalum facere volui. Et si feci, sedaui vt potui. ¶ Septimo potest valere ad detestationem iræ, quòd dominus ab eo, qui vult vindicare, videtur etiam remissa repetere. Sicut patet de illo, qui noluit dimittere conseruo, à quo dominus eius repetiit vniuersum debitum prius sibi dimissum. Matthæi 18.

DIcto de his quæ pertinent ad detestationem iræ, consequenter ponendæ sunt diuisiones ad irā pertinentes. ¶ Notandum ergo, quòd est quædam ira quæ bona est, qua homo irascitur vitio. de qua Eccles. iast. 7. Melior est ira risu. Quasi dicet, per tristitiam vultus, corrigitur animus delinquentis. ¶ Est alia ira, quæ mala est, qua homo irascitur personæ. De qua intelligenda sunt prius dicta. Et hæc duas habet species. Quædam enim subita est, & sine deliberatione rationis, quæ venialis est. Alia verò cum deliberatione & consensu rationis, quæ mortalis est. Has duas species tangit Dauid, dicens: Irascimini, & nolite peccare &c. Si subita ira surgat in nobis nō cōsentiat ratio. Ira vero quæ cū deliberatione est, si inueterascat, odium dicitur. Est enim odium ira inueterata. Quod videtur prohibere Apostolus dicens ad Eph. 4. Sol non occidat super iracundiam vestram.

¶ *De his quæ valere possunt ad detestationem odij.*

AD detestationem odij possunt ista specialiter valere. ¶ Primo illud Gene. 49. Maledictus furor eius, quia pertinax, & indignatio eius, quia dura. ¶ Secundo illud 1. Ioan. 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. ¶ Tertio, quia odium specialiter est charitati contrarium, quæ est maxima virtus, maximè placens Deo, & maximè displicens diabolo. Quòd maximè displiceat diabolo, patet ex verbis Gregorij dicentis: Non curat antiquus hostis vt terrena nobis tollat, sed vt charitatem in nobis feriat. De placentia verò Dei manifestum potest esse per hoc quod dicit dominus Ioan. 15. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem. ¶ Quarto, quia cum torqueatur homo per quem peccat, & ille qui manet in odio iniurias sibi illatas nolit remittere, ipse punietur in hoc, quòd nec peccata sibi remittentur. Patuus est qui vnam iniuriā non vult remittere, vt mille vel plura peccata sibi remittantur. ¶ Quintum est hoc, quòd ira vel odium contra naturam videntur esse in homine, cum homo sit animal mansuetum natura & misericors. vnde Iob 31. Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum. Mansuetudini verò quæ est in homine, attestatur forma & dispositio exterior hominis. In omni enim specie animalis, figura corporis, & membrorum naturæ corporis exteriori attestatur: sicut vngues acuti, fortes & magni, & aduncati dentes, & fissio oris magna attestatur rabiei, vt patet in leonibus. Contrarium verò mansuetudini attestatur in hominibus. ¶ Sextum est hoc, quòd cum cupiditas & alia vitia consistant in appetitu alicuius boni, sed inordinatè,

odium consistit in appetitu ipsius mali. Vnde maioris peruersitatis & malitiæ videtur esse quàm cupiditas & similia peccata.

¶Item diuisio Iræ.

ITEM notandum quòd ira potest diuidi in iram occultam, quæ non prorumpit in exteriorem iniuriam, & iram prorumpentem in exteriorem iniuriam, siue sit iniuria verbi vel facti. De prima ita dicit dominus Matthæ. 5. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Et pòst subdit de secunda ira: Qui dixerit fratri suo raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: reus erit gehennæ ignis. Raca interiectio est indignantis, sed nominat aliquam specialem contumeliam. ¶Item ira potest diuidi in iram, qua homo irascitur sibi, & in iram qua homo irascitur proximo, & in iram qua irascitur Deo. De prima ira dicit Socrates: Iracundus quum aliis irasci desierit, sibi irascitur. De secunda ira dictũ est prius. De ira verò qua aliquis irascitur Deo, qualis est ira iniquè blasphemãtium Deum, potest intelligi illud Ecc. 27. Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.

De peccatis prouenientibus ex Ira. PARS III. *quæ habet tria capitula.*

De guerra, & de duodecim quæ homines à guerra cohibere deberent. CAP. I.

SEquitur de peccatis quæ proueniunt ex Ira. Prouenit autẽ ex ira, lis. Vnde Prou. 26. Sicut carbones ad prunas, & lignà ad ignẽ: sic homo iracundus suscitat rixas. Item Eccl. 26. Homo iracundus incendit litẽ. Ex ira etiã sequuntur guerræ, incendia, homicidia, & alia iniectio manũ iniusta, & rapinæ, & similia. De lite non dicemus modò, quia de illa dicetur cum aliis peccatis linguæ. De rapina vero dictũ est in tractatu de auaritia. De aliis vero hic dicemus. ¶Et primo de guerra, quã habemus cũ hostibus. Duodecim verò sunt quæ deberẽt homines cohibere à guerra. ¶Primum est guerra, quam habemus cum hostibus inuisibilibus. Iob. 7. Militia est vita hominis super terrã. Itẽ dictũ est Gen. 3. ad serpentẽ: Inimicitias ponã inter te & mulierẽ, & semẽ illius, & semẽ tuũ. Guerra ista multũ periculosa est. Et propter callidita tẽ dæmonũ. Gen. 3. Serpẽs callidior erat omnib. animantibus terræ. Et propter longum exercitiũ pugnæ. Pugna enim nõ cessauit ex quo Adã deiectus est in terram, & longus vsus, & experientia multum videtur docuisse eũ. Et propter continuitatem pugnæ. Vnde Grego. Assidua tentatione diabolus tentat nos, vt saltem tædio vincat. Et propter malitiam dæmonum qui incessanter sitiunt sanguinẽ nostrũ. vnde diabolus sanguisuga vocatur, Prou. 30. Sanguisugæ duæ sunt filiæ. Et quia dæmones inuisibiles sunt. Hier. Tunc maximè impugnaris, si te impugnari nescis. Et quia magnũ damnũ est si quis vincitur. Regnũ enim æternum perdit, & patibulo infernali affigitur. Si autẽ vincit, multũ lucratur, quia remunerabitur regno æterno. Non accipitur redẽptio de guerra ista. Et, vt breuiter dicam, sicut diabolus peior est homine: ita guerra, quã habemus cum diabolo, peior est quàm guerra, quam aliquis habet cum hominibus. Sicut enim aliquis princeps quando habet aliquam guerram fortem & periculosam, studet pacificare alias guerras superemergentes: Sic debet homo cum hominibus pacificari, ne à dæmonibus vincatur. Ad hoc videtur pertinere illud Iob 40. Memẽto belli, & nõ addas amplius quicquam loqui. vbi dicit glo. Si occulti hostis bellũ contra te consideras, quicquid à me pateris, non accusas. Hieron. Gladium tenet hostis vt me perimat: mira insania, verbũ durum sibi dictũ plangere, & gladiũ capiti imminentem nõ timere: Mira etiã & magna fatuitas, quòd aliquis captum diabolo se tradat, vt præualeat fratri suo, cũ scriptum sit, q̃ crudelis est, & nõ miserebitur. Ideo reges & principes huius mundi de facili vincuntur à diabolo, quia habẽt alias guerras, & non sufficiunt resistere vbiq;. Habac. 1. Ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt. ¶Secundo deberet homines cohibere à guerra hoc, quòd dominus amat pacem, & per contrarium guerram odit.

¶De signis quòd dominus amet pacem.

ET possumus multa signa ponere per quæ apparet, q̃ dominus multum amet pacem. ¶Primum signum est, q̃ dominus nasci voluit tẽpore pacis, quæ durauit 11ᵐ annis. Tunc impletum fuit illud Esa. 2. Tunc conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Spiritualiter autem non vult Deus habitare alicubi, vbi non est pax, quia in pace factus est locus eius. ¶Secũdum signum, quòd dominus amat pacem, est hoc, q̃ in natiuitate eius cõmendata est pax hominibus, multitudine angelorũ dicẽte, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. vti legitur Lucæ 2. ¶Tertium signũ est, quòd ipse voeauit pacificos specialiter filios Dei, dicens Matthæi 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. ¶Quartum signum est hoc, quòd ipse mittens apostolos, voluit vt homines ad pacem hortarentur, dicens Matthæi 10. Intrantes autem domum salutate eam dicentes, Pax huic domui. Mittens etiam discipulos suos dedit eis similiter mãdatum de exhortatione ad pacem, dicens Lucæ 10. In quamcunq; domum intraueritis, primũ dicite,

Pax huic domui. ¶ Quintum signum est hoc, quòd dominus relicturus discipulos suos, pacem specialiter tanquam hæreditatem eorum reliquit eis, dicens Ioan. 14. Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis. Post resurrectionem etiam veniens ad discipulos suos, pacem commendauit eis, dicens: Pax vobis. vt habetur Ioan. 20. in duobus locis. ¶ Sextum signum est hoc, quòd dominus ita carè emere voluit pacem nostram, mori enim voluit, vt nos reconciliaret sibi: maritari voluit filius Dei naturę nostræ infirmæ, vt pax ista reformaretur. Adhuc etiam pacem peccatorum paratus est emere valde carè, quia paratus est eis remittere omnem offensam, & emere pacem ipsorum regno æterno, si pœnituerint. Honorabilis est ista pax peccatorum. Si peccator haberet Deum in carcere, non deberet partem honorabiliorem ab eo requirere. Et vt breuiter dicam, speciale officium filij Dei fuit, pacem reformare inter Deum & hominem. Hac de causa venit ipse in mundum istum, & fuit ibi plus quàm triginta & duobus annis. Vnde ad Ephes. 2. Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. ¶ Tertio deberet homines cohibere à guerris propter mala quę inde fiunt, & bona quæ inde omittuntur. Primum malum quòd de guerra sequitur, est odium. De vna guerra sunt quandoque mille homines in peccato odij. Illi autem qui sunt in peccato odij, homicidæ sunt: iuxta verbum Ioan. in 1. Canonic. sua. Sequuntur etiam inde homicidia: & frequenter illi qui moriuntur in bellis, moriuntur morte ęterna, quod maximum periculum est. hoc enim damnum irrecuperabile est. Vnde Matth. 2. Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Sequuntur etiam ex guerra incendia locorum sacrorum & non sacrorum, rapinæ & furta. Filij agricolarum fures efficiuntur, filiæ prostituuntur, omittuntur etiam infinitæ eleemosynæ, & infinita alia bona. ¶ Quarto deberet homines cohibere à guerris hoc, quòd in guerris præcipuè malum infertur his, qui non metuerunt. Si in guerris illi mala reciperent, qui in culpa sunt, hoc tolerabilius esset, sed illi parum aut nihil mali recipiunt. Innocentes verò deprædantur, iuxta illud Esa. 59. Qui recessit à malo, prædæ patuit. Horatius: Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui. In hoc tyranni huius mundi peiores sunt diabolo, qui non nocet nisi his qui meruerunt. Tyranni verò in guerris suis potius nocent illis qui innocentes sunt, quod non est parua culpa, quum specialiter Deo adhæreant, & in eo fiduciam habeant, & sunt in eius protectione. Psal. Innocentes & recti adhæserunt mihi. Prouer. 2. Deus custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes simpliciter. In guerris etiam infertur

tur malum pauperibus: plus enim damnificatur aliqua pauper mulier, quando vna gallina aufertur ei, quàm aliquis, qui multum diues esset, damnificaretur in mille marcis. Sicut vidua pauperula, de qua loquitur dominus Luc. 21. Plus misit in gazophylacium, mittendo duo æra minuta, quàm omnes alij secundum iudicium domini. ¶ Quinto deberet homines cohibere à guerris hoc, quòd vix est quin malũ accidat eis, qui guerram faciunt. Aut enim malum infertur eis, & sic malum eis accidit. Aut ipsi inferunt malum aliis, & tunc deterius eis accidit: melius est enim mala sustinere quàm mala facere. Vnde Prouerb. 16. Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. ¶ Sexto deberet homines cohibere à guerris, difficultas consulendi illis, qui guerris intersunt. Cum enim vnus alium paratus sit iuuare vt fortiores sint, ex eo quòd sunt simul, vnusquisque videtur esse occasio quædam omnium malorum quæ ibi fiunt. Vnde Iob 41. dicitur de corpore diaboli: Corpus eius quasi scuta fusilia, & compactum squamis sese prementibus. ¶ Septimo deberet cohibere homines à guerris hoc, quòd nulla vel parua vtilitas inde sequitur, quando aliquis facit guerrã, vt sua recuperet. Plus enim valet quod ipse in guerra expẽdit, quàm quod ibi in guerra acquirit. Quando verò aliquis guerram facit vt vindicet fratrem vel cognatum sibi occisum, nulla vtilitas sequitur illi qui mortuus est: melius esset defuncto, quòd procuraretur, quòd homicida pro anima eius iret ad partes transmarinas, vel quòd processio fieret à ministris Dei super interfectum cum aqua benedicta, & cruce, quàm cum igne maledicto, & lanciis & vexillis à ministris diaboli, sicut multoties fit. ¶ Octauo debet cohibere homines à guerris, fraternitas quæ inter homines est. Omnes enim homines naturaliter sunt fratres, quia ex vno patre & vna matre processerunt, scilicet Adam & Heua. Fideles verò propter hoc quadam spirituali fraternitate fratres facti sunt, quia ex vno patre, scilicet Deo nati sunt, & ex vna matre, scilicet ecclesia, & cælestem hęreditatem diuisuri. Vnde inimicitia inter fideles, inimicitia Cain est: quia inter fratres lupi vel serpentes videntur esse huiusmodi homines, qui bella mouent contra homines. Senec. Ferina rabies est ista, sanguine & vulneribus lætari: & hoc est, abiecto homine in syluestre animal transire. Inter serpentes & homines naturales sunt inimicitiæ. Vnde Gen. 3. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius. Vnde serpentes se esse ostendunt, qui ad homines inimicitias habent, imò etiam tales peiores serpentibus & lupis videntur esse. Serpens serpenti non

nocet, vel lupus lupo, etsi animalibus alterius speciei noceant: homo verò nocet homini. Seneca: Immitissimus est homo homini. Leo leoni non nocet, lupus lupum non lædit. Verè canes videntur esse tales homines, qui adinuicem certant. ¶ Nono debet cohibere homines à guerris hoc, quòd homines, qui guerras amant vel habent, speciales filij diaboli sunt, sicut pacifici speciales sunt filij Dei, sicut prius dictum est. ¶ Decimo debet cohibere homines à guerris, miseria quam sustinent homines qui guerras faciunt. Ipsi enim de nocte vadunt armati, in fame & siti, & huiusmodi. Si tantum sustinerent pro Deo, quantum sustinent pro diabolo, magni meriti essent apud Deum. vnde in Psalmis, Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt. ¶ Vndecimo debet cohibere homines dubius euentus belli: quandoque enim ille qui fortiorem se credit, deterius cadit in bello. Vnde 2. Reg. 11. Varius est euentus belli, & nunc hunc, nunc illum consumit gladius. Si aliquis fortis est, inuenit aliquem æquè fortem vt ipse. Ierem. 47. Fortis impegit in fortem, & ambo corruerunt. Si aliquis malus est, vix erit quin aliquem æquè malum aliquando inueniat. Vnde Prouer. 17. Semper iurgia quærit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum, vel post hanc vitam, quando diabolus ad eum mittetur, vt eum deferat in infernum: vel in præsenti quando aliquis homo æquè malus mittetur ad reprimendam malitiam eius. Vulgariter dicitur, quòd canis bellicosus defert aures scaturientes vermibus. Et frequenter accidit, quòd qui amant bella, moriuntur gladio. vnde 1. Reg. 15. dicit Samuel ad Agag regem Amalech: Sicut fecit mulieres absque liberis gladius tuus, sic absque liberis inter mulieres erit mater tua. ¶ Duodecimo debet cohibere homines à guerris hoc, quòd sapientes tantum timent guerras & tantum amant pacem. vnde Salomon, qui legitur sapientissimus fuisse, regnum suum in pace summa tenuit x l. annis. vnde etiam ob hoc nomen habuit. Salomon enim interpretatur pacificus. Christus etiam vocatus est rex pacificus: & in veritate nihil est, quod tantum noceat ecclesiæ Dei, quantum guerra. Luc. 11. Omne regnum in se ipsum diuisum, desolabitur. Ambr. Paruæ res concordia crescunt, magnæ vero res discordia dilabuntur. licet tantum bonum sit pax, quòd etiam suo contrario quæratur, secundum verbum Aug. tamen valde rarò esset facienda guerra. Cum enim guerra & pax maximè sint contraria, maximè à se distant. Et ideo valde longa est via quæ est per guerram ad pacem. Et quandoque prius homo deficit, quàm ad pacem per viam istam veniat. Citius peruenit homo

homo ad pacem patiendo, quàm bella faciendo. Et facilius acquirit homo largiendo, quàm auferendo.

De peccato incendiariorum. CAP. II.

INcendiarius dicitur, qui propria authoritate incendit ciuitatem, vel villam, vel domum aliquam, vel segetem, vel rem similem, malo studio aut pro vindicta. si autem hoc faceret authoritate illius, qui habet potestatem indicendi iustum bellum, non iudicaretur incendiarius, ex quo guerra esset iusta.

¶ Octo quæ deberent cohibere à peccato incendij.

OCTO verò sunt quæ deberent cohibere hominem ab hoc peccato. ¶ Primum est hoc, quòd istud peccatum diabolicum est. Diabolus enim in inferno igne impugnat homines: sic faciunt incendiarij in hoc mundo. vnde cum ipsi diabolo assimilentur in facto, meritò assimilabuntur ei in tormento. ¶ Secundum est, quòd peccatum istud puræ malitiæ est, & nullius vtilitatis est. Peccatum rapinæ vel furti aliquid habet lucri vel vtilitatis, sed peccatum incendij nihil. Nullius etiam strenuitatis est peccatum istud. Mulier enim aliqua posset facere idem. Præterea, quum sufflatores ignis in seruitio hominum sint viles personæ, quomodo non erunt viles personæ sufflatores ignis in seruitio dæmonum? Sine culpa etiam sunt pauperes homines, quorum domus incenduntur, sed propter solam superbiam dominorum fit. vnde Psalm. Dum superbit impius, incenditur pauper. Peccatum igitur incendiariorum, cum sit puræ malitiæ, ideo est peccatum in Spiritum sanctum. ¶ Tertio deberet cohibere hominem à peccato hoc, quòd peccatum istud valde damnosum est proximo. Pauper enim ille homo exhæredatur, cum domum suam amittit, & oportet eum & vxorem suam & familiam ire mendicando per domos aliorum, quod valde graue est homini inconsueto. vnde Eccl. 29. Vita nequam est hospitandi de domo in domum. Interdum autem accidit, quòd nunquam redibit ad pristinum statum, & quòd filij eius hac de causa fures efficiuntur, & filiæ prostituuntur, & ille qui domum incendit, reus est omnium peccatorum qui occasione illius incendij fiunt. ¶ Quarto debet cohibere hominem ab hoc peccato, quòd peccatum istud valde damnosum est actori suo. Damnosius etiam est illi quàm proximo. vnde refert Greg. in dialogo, quòd cum quidam incendisset messem cuiusdam sancti viri nomine Stephani, quidam videns messem eius combustam: venit ad illum, dicens quòd messis sua esset combusta, adiungens, Væ væ pater Stephane, quid contigit tibi? Cui ille placidè respondit: Væ quidem illi contigit, nam mihi

quid contigit? Ille qui credit incendere domum alienam, incendit suam. Sua enim est domus illa quo ad emendam, & ibi amittitur. Sicuti miles, qui est in exercitu alicuius principis, equum quē amittit, non sibi amittit, sed domino cum quo est. Incendiarius dum ponit ignem ad comburēdum domum, sibi etiam præparat ignem ęternum. Igne etiam peccati exurit seipsum. Aug. Sic putato malitiam esse, quomodo ignem. ¶ Quinto debet cohibere hominem ab hoc peccato hoc, quòd peccatū istud multum impedit à salute autorē suum, & propter restitutionē domus inēsæ quam oportet eum facere propter maledictiones, quę fiunt eis. Quando enim pauper aliquem defectū habet occasione illius incendij, vel videt filios suos lugentes in alieno hospitio, ipse maledicit ei qui domum suam incendit. Quæ maledictio defert incendiarium in ignem æternum. vnde Eccl. 4. Maledicentis tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius. exaudiet autem illum qui fecit eum. Et eiusdem 35. Deprecationē lęsi dominus exaudiet. Non despiciet preces pupilli: nec viduam, si effundat loquelā gemitus. Nónne lacrymæ viduæ ad maxillas descendunt, & exclamatio eius super deducentes eas? A maxilla enim ascendunt vsque ad cælos, & dominus exauditor nō delectabitur in illis. De materia ista in tractatu de Rapina, dictum est. ¶ Sexto debet cohibere hominem à peccato isto, pœna magna qua in præsenti puniuntur incendiarij. Pœna autem eorum secundum leges humanas est, Vt qui dolo ignem apposuerit, igne cremetur, aut capite puniatur; nec debet absolui, nisi damno restituto, & præstito iuramento, quòd ignem vlterius non apponat. A Deo etiam sæpe puniuntur in hoc, quòd mala morte moriuntur: sicut patet de Absalon, qui fecit succendi messem Ioab, qui postea suspensus est & occisus est tribus lanceis missis in cor eius: vt legitur 2. Reg. 14. legitur etiam Iud. 13. Quòd Samson fecit succendi segetes Philisthinorum, qui postea captus est à Philisthæis, & exoculatus est, & à semetipso occisus. ¶ Septimo debet cohibere hominem à peccato isto, magna pœna, qua puniendi sunt incendiarij in futuro. Quod potest ostendi per hoc quod legitur Mat. 25. quòd dominus dicturus est, Ite maledicti in ignem æternum. Et subditur causa huius damnationis: Hospes eram, & non collegistis me. Si dominus puniturus est igne æterno eos qui in proprio hospitio non receperunt eum, qualiter credendū est illos esse puniendos qui hospitium domini, in quo ipsi nihil iuris habebant, combusserunt? Quot pauperes hospitati fuissent in domo, quam ipsi combusserunt, toties domino suum hospitium abstulerunt. Merito etiam in præsenti & in futuro

futuro crematur incendiarius, cùm ipse alios cremet, quia per quę peccat homo, per hæc & torquetur: &, non est lex æquior vlla, quā necis artifices arte perire sua. ¶ Octauo debet cohibere homines ab hoc peccato, quia peccatum istud multum displicet Deo. Quod patet per hoc, quòd hospitalitas tantum placet Deo: quam hospitalitatem hoc peccatum destruit. Quòd hospitalitas multum Deo placeat, patet ex eo quod legitur ad Heb. vlt. Hospitalitatem nolite obliuiscī. Per hanc enim quidam placuerunt angelis hospitio receptis. & Orig. Domos hospitales ingressi sunt angeli: Domos vero hospitibus clausas, ignis & sulphur succendit. Domus quas angeli ingressi sunt, fuerunt domus Abraham & domus Loth. Domus verò succensæ, fuerunt domus Sodomorum & Gomorrhęorum. Hospitalitas tantum placet Deo, quòd ipse in propria persona legitur ad hospitales homines declinasse. Vnde refert Greg. in quadam homilia, quòd quidam paterfamilias multum fuit hospitalis, & quadam die cum peregrinos susciperet, & aquam daret manibus ex humilitate, vnus fuit inter eos, in cuius manibus debuit aquam fundere, & cum reuersus vnam accepisset, non inuenit eum, in cuius manibus aquam debuit fundere. cúmque ob hoc apud se miraretur, eadem nocte per visionem dominus dixit ei: Cæteris diebus me in membris meis, hesterna autem die me in memetipso recepisti.

De peccato homicidij, & de his quæ deberent homines cohibere ab homicidio. CAP. III.

SEquitur de homicidio, à quo primo deberet homines cohibere hoc, quòd ipsum est contra naturam. Docuit enim natura, quòd animalia diligunt ea quæ sunt eiusdem speciei cum ipsis. Vnde Eccl. 13. Omne animal diligit simile sibi. Vnde mirum est, quomodo homo vult alium hominem occidere, cùm natura doceat vnum lupum alium amare. ¶ Secundo deberet cohibere homines ab hoc peccato, quòd ipsum multum est contra rationem. Dictat enim ratio homini, quod non debet facere alij quod sibi odit fieri: vt legitur Tobiæ quarto: Vnde cum ipse super omnia mortem odio habeat, ipse super omnia cauere debet ne mortem inferat. ¶ Tertio deberet homines cohibere ab hoc peccato, quòd istud peccatum diabolicum est, & diabolo assimilatur. vnde Ioannis octauo: Ille homicida erat ab initio. Diabolus fuit homicida suiipsius ab initio, & pòst parentum nostrorum. Vnde sanguisuga vocatur Prouerbiorum trigesimo, vbi dicitur, Sanguisugæ duæ sunt filiæ. ¶ Quarto deberet cohibere homines ab hoc peccato, quòd videtur ab homine degenerare &

in

in bestiam transire, quæ sanguinem humanum sitit. vnde Senec. Ferina rabies est ista, sanguine & vulnere lætari. Et hoc est abiecto homine in sylvestre animal transire. ¶ Quinto deberet cohibere homines ab hoc peccato, pœna magna qui homicidæ puniuntur, & in præsenti, & in futuro. De pœna eorum legitur Mat. 25. Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. & Apoc. 13. Qui in gladio occiderit, oportet eum in gladio occidi. Et Gen. 9. Quicunque fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius. Et possunt hæc auferri ad mortem æternam, vel temporalem: vtraque enim reus est, quia authoritate sua gladium accipit. Ad significandum quòd multum punietur peccatum homicidij, dictum est Gen. 4. Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. Vox sanguinis potest dici vox consanguinitatis: vt sit sensus, generatio quæ ex Abel exisset, nisi interfectus fuisset, requirit quòd vindictam sumam de te. Pœna etiam homicidæ ostenditur, cui subditur: Maledictus igitur eris super terram. Et fuit tanta maledictio illa, quòd etiã ipsam terrã tetigit. vnde subditur: Cum operatus fueris terram, non dabit fructus suos. Et subditur pòst: Vagus & profugus eris super terram omnibus diebus vitæ tuæ. Et pòst factus est Cain tremulus. vnde ait: Omnis qui inuenerit me, occidet me.

¶ *De quatuor peccatis clamantibus ad Deum.*

Et notandum quòd quatuor peccata dicuntur clamare ad Deum, scilicet oppressio innocentium. Exo. 2. Ascendit clamor filiorum Israël ad Deum. Et peccatum Sodomiticum. vnde Gen. 18. Clamor Sodomorum, & Gomorræorũ multiplicatus est. Et detentio mercedis mercenariorum. vnde Iacobi vlti. Ecce merces operariorum vestrorum, quæ fraudata est à vobis, clamat, & clamor eorum in aures domini sabaoth introiuit. Et peccatum homicidij. vnde Gene. 4. Vox sanguinis fratris tui, &c. Tria verò de peccatis nominatis ideo dicuntur clamare ad Deum ad modum homicidij, quia sunt quasi homicidium. In peccato enim contra naturam effunditur illud quod potuit esse materia corporis humani, & ideo est quasi homicidium. In oppressione vero innocentium & detentione mercedis auferrur pauperibus vita eorum, & ideo à Deo quasi homicidũ reputatur. vnde Eccl. 33. Panis egentiũ, vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. & ibidem: Qui aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Et ibidem: Qui effundit sanguinẽ, & qui fraudẽ facit mercenario, fratres sunt. Puniuntur etiam homicidæ irregularitate. Licet enim de peccato homicidij condignam pœnitentiam egerint,

rint, tamen non possunt promoueri. Vnde 1. Paralip. 28. dicit dominus ad Dauid: Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd sis vir bellator, & sanguinem fuderis. ¶ Sexto deberet cohibere homines à peccato homicidij fraternitas quæ est inter Christianos. Omnes enim Christiani fratres sunt, & fraternitate naturali & spirituali. Ex vno enim patre & matre sunt omnes: ex Adam scilicet, & Heua. Fratres etiam sunt spiritualiter ex Deo patre & ecclesia matre. vnde homicidium inter Christianos est fratricidium. Ad quod potest referri illud Gen. 27. Quid nobis proderit si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? melius est vt venundetur Ismaëlitis, & manus nostræ non polluantur. Frater enim & caro nostra est. ¶ Septimo deberet cohibere homines à peccato hoc, quòd fideles sunt filij Dei. Vnde Augustinus: Filij Dei sumus. vnde hoc probamus? Mortuus est vnicus, ne remaneret vnicus. Et 1. Ioan. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij eius nominemur & simus. Et in eodem: Filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus: sed cùm apparuerit, scimus quoniam similes ei erimus. & Matth. 23. Patrem nolite vocare vobis super terram: vnus enim est Pater vester qui in cælis est. Igitur qui aliquem fidelem occidit, filium Dei occidit: quod constat nimiæ temeritatis esse. Quomodo ante conspectum Dei stare audebit, qui filium eius occidit? ¶ Octauo deberet cohibere homines ab hoc peccato, quòd quilibet homo angelum bonum habet deputatum sibi ad custodiam: qui contumeliam facit, qui hominem occidit, vel iniustè manus in eum iniicit. vnde Matthæi 18. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis quia angeli eorum semper vident faciẽ Patris mei qui in cælis est. Si quis verberaret aliquem qui haberet militem de mensa regis Franciæ sibi ad custodiam deputatum, non parum offenderetur rex: quantum ergo putandus est offendi rex cælestis, quando ille occiditur vel verberatur, cui ipse vnum de angelis suis ad custodiam deputauit: qui sunt quasi milites de mensa eius. ¶ Nono deberet cohibere homines ab homicidio hoc, quod homo ad similitudinem Dei creatus est. Mirum enim est quomodo aliquis audet destruere creaturam illam quam Deus ad similitudinem suam dignatus est creare. vnde Gene. 9. postquã Dominus dixit, Quicunque fuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius. Subditur causa ista: Ad imaginem quippe Dei factus est homo. Si aliquis artifex tantum habet amorem ad opus suum quod parui valoris est, quòd non potest sustinere vt & verbo ei detrahatur, vt patet in versificatore,

tore, qui non potest sustinere vt versibus eius detrahatur: quantum putandus est Deus amare creaturam suam, quam creare voluit ad similitudinem suam, & quantū offenditur in eius destructione? ¶Decimo deberet cohibere homines ab homicidio hoc, quòd Dominus ita carè emit hominem: non parum enim offenditur Deus, quando res illa quam ipse emit sanguine suo, et auferetur. 1. Petr. 1. Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra cōuersatione: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Iesu Christi. hoc pretio debemus hominem appendere, ne nobis vileſcat. ¶Vndecimo deberet homines cohibere ad homicidio hoc, quòd homo templum est Spiritus sancti. vnde templum Dei violat, qui hominem occidit vel verberat. 1. ad Cor. 3. Nescitis quia templum Dei estis vos, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit, disperdet illū Deus. ¶Duodecimo deberet cohibere homines ab homicidio hoc, quòd tota trinitas habitat in homine tanquā in hospitio suo. vnde Ioan. 14. Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vnde toti Trinitati contumeliam facit, qui viro iusto, in quo ipse habitat, violentiam facit.

¶De occisione iustorum hominum.

Sed ista ratio non videtur extendi ad mortem iniustorum hominum, & in rei veritate homicidium iniustorum hominum quantum ad aliquid, periculosius est, quàm homicidium iustorū: cum scriptum sit, Mors peccatorum pessima. De morte vero sanctorum scriptum est, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Mors peccatorū pessima est, quia est velut quædā porta per quam in infernū intratur, & est quidam transitus ad mortem æternam: Mors verò iustorum quædam porta est, per quam fit egressus de miseria huius vitæ. & ideò non solùm magnum peccatum est homicidium iustorum, sed etiā impiorum interfectio, nisi hoc fiat imperio Dei. Imperio autē Dei fit, quando fit authoritate legis diuinæ: aliter non placet Deo. Ezech. 18. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt conuertatur à viis suis, & viuat? Et eiusd. 33. Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat. & Mat. 2. Rachel plorans filios suos, noluit consolari, quia non sunt. vbi dicit glo. Ecclesia plorat non tam morte translatos, quàm supplicio peréptos. Supplicio inquam infernali. De morte vero iustorum dicit Sapiens: Non est lugēda mors, quam immortalitas sequitur, peccatum homicidij est tantum quòd Cain ponderositatem eius non valens sustinere, dixit verbum desperationis, Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam

veniam merear. Mirum est, quòd postquam humana natura cōiuncta fuit & vnita diuinæ, quomodo aliquis ausus fuit manum mittere in hominem, vel eum occidendo, vel verberādo, nisi diuino imperio, quod fit authoritate legis diuinæ. Quando aliqua mulier nupsit alicui regi, omnes de regno illo deferunt etiam minimo de genere ipsius: quantū ergo deferendū est hominibus, cū humana natura maritata est filio Dei? Præterea si cruci tanta reuerentia exhibetur, quia cōiuncta fuit corpori Christi per modicum tempus: quanta reuerentia exhibenda est humanę naturę, quæ vnita est diuinæ, ita q; nunquā ab ea separabitur? & hæc sufficiant de peccato homidij. De alia vero iniectione manuum iniusta, de qua videbitur hic esse dicendum, nil dicetur: quia in magna parte sunt eadem, quæ debent hominem cohibere à peccato isto, cum his quæ sunt dicta contra peccatum homicidij.

De remediis contra iram propriam & alienam. PARS IIII.

Notandum quòd contra iram alienam triplex potest esse remedium. Contra iram verò propriam octo assignabimus remedia. ¶Primum remedium contra iram alienam, est mollis responsio. vnde Prouer. 15. Mollis responsio frangit iram: sermo durus suscitat rixas. & Prouer. 25. Lingua mollis confringet duritiem. & hoc est vnum de miraculis spiritualibus, quòd molle facit durum. vnde legitur in Vitis patrum de abbate Machario, quòd cum properaret ad quendam locum, discipulus eius præcedēs ipsum obuiauit cuidam sacerdoti idolorum portanti lignum grande. Cui dixit discipulus Macharij: Quò vadis dæmon? At ille iratus percussit eum ita quòd fere mortuum reliquit. Cui postea obuians Abbas Macharius ait: Salueris laborator, salueris. At ille, Quid in me boni vidisti, vt ita me salutares? Cui senex, Quia vidi te laborantem. Cui sacerdos, Et ego ex tua salutatione cognoui te seruum magni Dei. Sed quidam monachus male me salutauit, quem ego plagis affeci: & statim compunctus est sacerdos idolorum, petiitque veniam: & duxerunt vulneratum vsque ad cellam, & sacerdos idolorum monachus factus est. & dixit Hier. Vide quid lenitas sermonis fecerit, & quid austeritas. Homo iratus est velut olla bulliēs. Pro. 15. Os fatuorum ebullit stultitiam. Ideo aqua frigida mollis responsionis superfundenda est. Eccl. 18. Nonne ardorem refrigerabit ros? Dulce verbum est vel ros refrigerans ardorem iræ: & sicut ex ore exit flatus vnde ignis materialis accēditur, & spurum vnde extinguitur: sic ab ore exit verbum durum vnde ignis iræ accēditur, & dulce verbū vnde ignis iræ extinguitur. Ad quod videtur pertinere illud Eccl. 28.

Si

Si sufflaueris,quasi ignis exardebit: & si spueris super illam,extinguetur.Vtraque ex ore proficiscũtur. Nec mirum si duris verbis ignis iræ accenditur,cum collisio durorum corporum ignem materialem producat. ¶ Secundum remedium contra iram alienam est silentium.vnde Prouer.26. Cùm defecerint ligna extinguetur ignis. Velut ligna se habent verba,quæ respondentur homini iracundo, vnde ignis ira nutritur. Eccles.8. Ne litiges cum homine litigioso,& non struas ligna in igne eius.Securius etiam esset omnino recedere ab irato,sicut aliquis recedit ab igne,quãdo non vult comburi, neque calefieri ab eo.vnde ad Ro.12. Non vos defendentes charissimi,sed date locum iræ. ¶ Tertium remedium contra iram alienam,vel odium, est beneficiũ. vnde Prou. 25. Si esurierit inimicus tuus,ciba illum : si sitit,da illi aquam bibere. Prunas enim congeres super caput eius. Beneficia quæ inimico exhibentur, sunt velut prunæ accendẽtes inimicos eorũ ad amorem. vnde legitur in Vitis patrum de quodam eremita nomine Theon, qui habebat gratiam sanandi ægros,& cum venissent latrones putantes eum habere multum auri, ipse fecit stare eos foribus affixos, & mane cum incolæ vellent eos comburere pro furto, ipse ait: Sinite eos abire illæsos, alioquin à me effugiet gratia sanitatũ : & statim ipsi latrones conuersi sunt ad Dominũ. Legitur etiã de quodã qui vocabatur Amõ,qui in Ægypto in eremo morabatur, & latrones ei auferebant panes quibus ipse vescebatur. Vnde Amõ præcepit duobus draconibus vt custodiret ostiũ cellæ.Et cũ latrones venissent ad ostiũ cellæ,vidẽtes dracones obstupuerũt,quos inuenit Amõ præ timore semimortuos,& fecit eis parari mensam, & compũcti facti sunt sancti homines.

¶ De remediis contra iram propriam.

SEQVITVR de remediis contra iram propriam.¶ Quorum primum est consideratio Dominicæ passionis.Greg. Si passio domini ad memoriam reuocetur,nihil adeò durum quod nõ æquo animo toleretur. quod remedium nobis insinuatum est in libro Num. 21. vbi legitur quòd filij Israël respicientes serpentẽ in palo,sanabãtur à morsibus serpentũ ignitorum. Vnus de serpẽtibus ignitis est ira,à quo quis sanatur,si diligẽter intẽdat quid Christus pro eo in cruce passus sit. Tunc enim patiẽter sustinebit quicquid oportebit eũ pro amore Christi pati. ¶ Secundum est silentium. vnde super illud Prouerb. 12. Fatuus statim indicat iram suam. dicit gloss. Natura iræ est vt prolata magis ferueat, ocultata langueſcat.& Prou.26. Qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Stultus est homo superbus,quasi stãs altus,præcipuè si iracũdus sit. Homo

Homo enim iracundus nõ solum est stultus, sed etiam quasi insanus.Vnde si silẽtium ei imponatur,iræ mitigãtur. Ad hoc potest referri quod legitur in Vitis patrũ de abbate Isaac,qui requisitus à quodam fratre quare dæmones eum timerent. Respõdit, ex quo factus sum monachus stetui apud me, vt iracundia extra guttur meum nõ procederet,& ideo timẽt me ita dæmones.Legitur etiam de beato Achille, & quidã senex venit ad eũ, & vidit ipsum sanguinem expuentẽ,& requisiuit quid hoc esset.Cui Abbas Achilles respondit: Sermo erat cuiusdam fratris qui me cõtristauerat,sed repugnaui,vt non illum dicerem,sed petij dominũ vt tolleretur à me,& factus est ille sermo sanguis in ore meo. Et postquam expui in eum,requieui, sed ipsam tristitiam & sermonem illum sum oblitus. Ad istud secũdum remediũ videtur pertinere illud Psal.Posui ori meo custodiã. ¶ Tertiũ remedium est,cõsideratio diuinæ ordinationis.Nullũ malum pœnæ potest inferri nobis,nisi diuina ordinatione,quod magnũ solatium debet esse fidelibus.Omnis enim tribulatio velut oratio est,quã celestis medicus qui discretissimus est, & fidelissimus, habet quasi in vtre suo,iuxta illud Psal.Statuit aquas quasi in vtre,& inde dispẽsat eã filiis suis prout videt expedire.Ideo mansuetè & patienter toleranda est tribulatio. Istam rationẽ insinuat nobis dominus Ioan.18.dicens:Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum?Tribulatio etiam est quasi virga in manu matris amantissimæ:quia in manu Dei,qui filios suos diligit super omnem matrẽ.Esa,49. Nũquid obliuiscitur potest mulier infantem suum, vt nõ misereatur filio vteri sui?Et si illa oblita fuerit,ego tamen nõ obliuiscar tui.Non est multũ timenda virga,quæ est in manu matris amantissimæ,scilicet misericordiæ Dei,præcipuè quãdo aliquis sperat per virgam huiusmodi à gladio pœnæ æternæ liberari. Ad hanc ordinationem respiciebat Dauid,de quo legitur 2.Reg.16.& cũ Semei malediceret sibi, & Abisai comminaretur maledicenti, ait Dauid:Dimitte eum, vt maledicat iuxta præceptum domini. ¶ Quartum remedium est,considerare vtilitatem quam habet tribulatio, quæ toleratur tam in præsenti, quàm in futuro.Hanc vtilitatem insinuat Dauid quando dicit de persecutoribus:Circundederunt me sicut apes.Apes aculeo pungunt,sed ex alia parte mel tribuunt,& licet timeãtur quia pungunt, amãtur quia mel tribuunt.Sic persecutores licet pungant,dum tribulationem inferunt:tamen amandi sunt, quia mel cælestis dulcedinis quodammodo conferunt.Materiam enim æternæ coronæ homini ministrant.¶ Quintum remedium est, consideratio sta-

rus in quo est iniurians. Insanus enim est, sicut prius est ostẽsum. Irrogata enim iniuria, ipsius est insania qui facit, vt dicit philosophus. Ideo compati debemus ei, potius quàm irasci. ¶ Sextum remedium est, cõsideratio propriorum defectuum. Facilius enim quis portat defectus alienos, quando ipse suos nouit, quos oportet ab aliis portari. Vnde Prou. 19. Homo indigẽs misericors est. Ideo aliqui defectibus aliorũ ita de facili irascũtur, quia suos non agnoscunt. Seneca: Regum animos induimus. Illi obliti suæ infirmitatis alienę deseruiunt, quasi iniuriam acceperint. Aug. Irascere ris seruo tuo ne pecces, irascere tibiipsi ne tu pecces. ¶ Septimum remedium est, consideratio finis nostri, mortis scilicet, & eorum quæ post mortem sequuntur. Vnde Eccl. 28. Memẽto nouissimorum, & desine inimicari. Et subditur: Memento timorem domini, & ne irascaris proximo. ¶ Octauum remedium est, consideratio propriæ impotentiæ. Multi sunt qui ideo iram seruant contra proximum suum, quia reputant dedecus esse non vindicare sede eo qui eis iniuriatus est: qui attendere debẽt, quòd nec etiam potestatem habent defendendi se à muscis & à pulicibus. Vnde August. Homo tibi conuicium dicit, & rumes, & iratus es: pulicibus resiste vt dormias, &c.

TRACTATVS IX. De peccato Linguæ.

De ordine dicendorum in hoc tractatu. Et de his quæ deberent mouere hominem ad diligentem custodiam linguæ. PARS I.

VLTIMO inter peccata dicendum est, de peccato linguæ, quia istud peccatum remanet post alia peccata. Multi cauent sibi ab aliis peccatis, qui non cauẽt à peccato linguæ. Agemus autẽ de peccato linguæ hoc modo. ¶ Primo agemus de custodia linguæ in communi. ¶ Secundo, enumerabimus diuersa peccata linguæ, & de vnoquoque eorum secundum ordinem prosequemur. ¶ Tertio verò tãgemus de remediis contra peccatum linguæ. ¶ Multa verò sunt quæ deberent homines mouere ad diligentem custodiam linguæ. ¶ Primum est, q̃ dominus hominem in lingua honorauit præ cæteris creaturis. Nulli enim creaturæ dedit Deus linguam materialem ad vsum loquelæ, nisi homini: quod non paruus honor est, nec paruum beneficium. Si verò non credis beneficium istud esse magnum, cogita si mutus es, quantum beneficium putares, si redderetur tibi loquela. Plus enim amares hoc, quàm si daretur tibi infinita pecunia. Vnde valde ingratus est homo qui Deum peccando inhonorat in membro illo, in quo Deus hominem præ cæteris creaturis honorauit. ¶ Secundum est hoc, quòd lingua quantum ad vsum loquelæ, organum est rationis: verbum verò nuntius est rationis, sicut dicit Aug. & in solis habentibus rationem inuenitur naturaliter. Vnde à ratione regi debet, & solùm ad imperium rationis debet lingua exire ad actum loquelæ. Indecens est, vt rationis nuntius sine ratione mittatur. Ex quo secundum Psal. Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, de iure posset ei à Deo auferri vsus loquelæ. Ad iumentum enim non pertinet loquela. ¶ Tertium est, quòd aues quæ non receperunt tantum beneficiũ in lingua, quantũ homo, nec aliquam mercedem à Deo expectant, pro vsu linguæ suę laudant creatorem suum. Vnde multum potest Deus offendi, si homo ei in lingua contumeliam irrogat, ex quo cõgregatio auium eum laudat. ¶ Quartum est hoc, quòd lingua est membrum valde nobile, & in quo multum indecens est omnis immunditia. Nulla etiam immunditia maior est immũditia peccati, imò non reputatur corporalis immunditia comparatione ad peccatum. Vnde Matth. 15. Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem. Diligenter ergo custodienda est lingua, ne à peccato inquinetur: qui etiam non plus timet inquinare linguam suã peccatõ, quàm cætera membra, porcus videtur potius quàm homo. Porcus enim rostrum in lutũ ponit sicut & pedẽ, nec magis pertinet ori, quàm pedi. Homo qui nõ timet inquinare os suũ peccato, velut canis macelli est, qui labia solet habere sanguinolẽta. Abominabilis etiam hominibus potest esse & Deo: quia permittit in os suum intrare ea quæ immundiora sunt muscis & pulicibus. Diabolum etiã permittit excreare sibi in gulã. Immunditia enim peccati sputũ diaboli est. Potius toleranda esset excreatio leprosi in ore, quàm excreatio diaboli. Multum turpis est, qui diabolum, qui immundissimus est, permittit nidificare in ore suo. ¶ Quintũ quod deberet homines mouere ad diligentem custodiam linguę, est officium ad quod lingua deputata est. Est enim deputata ad orandum, & ad Deum laudandum, ad susceptionem corporis & sanguinis Christi, & ad proferenda verba sacra, quorum quodlibet linguæ sanctitatem magnã requirit. Oratio magnam sanctitatem linguę requirit: quia secundum Greg. cum indignus ad intercedendũ mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Vnde lingua quæ toties Deum offendit, non de facili oratione exaudiatur. Laus etiã Dei similiter sanctitatẽ magnã requirit, quia nõ est speciosa laus in ore peccatoris: vt dicitur Ecc. 15. Dominicũ etiam corpus quod in ore recipitur, sanctitatem magnam requirit: vnde

sicut multũ peccaret, qui in calice vbi corpus Christi recipitur, lutũ immundum poneret: sic multum peccat qui os suum, in quo corpus Christi recipitur, per peccatum inquinat. Verba etiam sacra, quæ in ore hominis debẽt versari, sanctitatẽ similiter oris requirunt, cum sint reliquiæ domini. Vnde Matt. 7. sanctum vocatur, vbi dominus ait: Nolite sanctum dare canibus. Si vestes quæ Dominicũ corpus tetigerunt pro reliquiis habentur, multo plus verba quæ ex ore eius processerũt. Quòd verba domini reliquiæ sint, probant miracula spiritualia quę per ea fiunt. Cæci enim spiritualiter per ea illuminantur. Vnde Psal. Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Et mortui spiritualiter viuificantur. Vnde Ioan. 5. Venit hora, & nunc est quando mortui audient vocem filij Dei: & qui audierint viuent. Inter alia membra os maximè videtur esse deputatum diuino officio: & bene iustum esset cum Dominus omnia membra hominis fecerit, vt saltem vnum membrorum sibi mundũ seruaretur: vnde sequitur ei. ¶ Sextum est hoc, ꝙ lingua custodita, anima custoditur. Vnde Prou. 13. Qui custodit os suum, custodit animam suam. Homo qui os suũ non custodit, est quasi ciuitas absque muro. Vnde Prou. 25. Sicut vrbs patens & absque murorũ ambitu: ita vir qui nõ potest in loquendo cohibere spiritũ suũ. Est etiam sicut castrũ vel domus absque porta. Vnde legitur in Vitis patrũ, ꝙ quidã senex cũ quibusdam fratribus ibat ad beatum Antoniũ, & audiuit multa ab illis in via de sacra scriptura, & de operibus manuũ suarũ, sed ipse per omnia tacebat: & cũ venissent ad Antoniũ, dicit Antonius seni: Bonos fratres habuisti comites itineris tui. At ille: Boni sunt quidẽ, sed habitatio eorũ nõ habet ianuã. Qui vult, intrat in stabulũ eorũ, & soluit asinũ. Qui vult custodire castrum aliquod, oportet ꝙ diligentiam habeat circa ostium portæ. Vnde ibi turres solẽt fieri. Etiã in claustris ad portã custodes consueuerunt poni. Sic qui vult custodire animã suam, oportet ꝙ diligentiam adhibeat circa custodiã oris. Homo etiam os non custodiens, est vas absque operculo: & ideo immundus est, iuxta illud Num. 19. Vas nõ habens operculum, neque ligaturam desuper, immundum erit. Est etiam velut equus absque fræno, & nauis sine gubernaculo. Vnde Iac. 3. Si equis fræna in hora mittimus, ad consentiendũ nobis omne corpus eorum circumferimus. Et naues, quanuis magnæ sint, & à ventis validis minentur, circumferuntur tamẽ à modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit. Ita & lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat, id est, ad magna præmia vel tormenta ducit. ¶ Septimum est pronitas ad malum quæ

quæ in lingua est. Quam insinuat Iac. 3. dicens: Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentum, & cæterorũ domantur, & domita sunt à natura humana: linguam autem nullus hominum domare potest. Et subditur: Est enim inquietũ malum plena veneno mortifero. Et in eodem 3. Lingua nostra ignis est, vniuersitas iniquitatis. vbi dicit glo. Vniuersitas, quia per eam ferè cuncta facinora aut concinnantur, vt latrocinia & stupra: aut patrantur, vt periuria, falsa testimonia: aut defendũtur, vt cũ quilibet scelus suũ excusat quod commisit. Lingua enim in humido siue in lubrico est, & ideo de facili labitur. Ideo scriptũ est Eccl. 14. Beatus vir qui nõ est lapsus verbo ex ore suo. Propter pronitatem ad malum, quæ in lingua est, ponitur sal in ore paruulorum qui baptizantur, ad ostendendũ ꝙ membrum illud de facili putrefiat, & vermibus vitiorũ scaturiat. Propter eandẽ causam Spiritus sanctus in linguis igneis apparuit, potius quàm in manibus vel aliis mẽbris, vt ostenderetur ꝙ membrũ illud maximè inflammatum erat igne infernali. Vnde necessariũ erat multũ, vt in igne cęlesti inflãmaretur. Propter eandem causam, etiã quũ manus, & cętera membra in patulo sint, lingua tamen inclusa est quodammodo à natura. Et merito, cum propter falsitatẽ suã, & pronitatẽ ad malum, bene conclusione indigeat. ¶ Octauũ, quòd deberet homines mouere ad diligentem custodiam linguæ est hoc, ꝙ lingua multum potens est ad nocendum. Quam potestatẽ nocendi vult ostendere Iacobus, quando linguam ignem vocat. Iac. 3. Ignis enim inter omnia elementa potentior est ad destruendũ. Eandem etiã potestatem insinuat, quando dicit quòd lingua inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna, id est, suggestione diaboli, vt dicit glo. interlin. Rota autem natiuitatis vocatur vitæ præsentis cursus. Potestas nocendi quæ est in lingua, apparebit si ostendatur quòd noceat, & quantũ noceat, quàm velociter, & quot modis. ¶ Nocet autem lingua & ipsi loquenti, & ei cui loquitur, & ei, de quo loquitur. Ipsi loquẽti nocet multipliciter. Primo, gratiam Dei auferendo. Vnde Bern. Leuis res sermo: sed grauiter vulnerat, aptissimũ euacuandis cordibus instrumentum. Aufert etiã gratiã hominum. Vnde Eccl. 20. Sapiens in verbis amabilem se facit: gratia autem fatuorũ effundetur. Prou. 10. Os stulti confusioni proximũ est. Eccles. 5. Honor & gloria in sermone sensati: lingua imprudentis subuersio illius. Nulla enim bestia adeò nocet hominibus, sicut lingua si non custodiatur. Os vnius mali consiliarij vel suggestoris quãdoque destruit totam vnã pattiam, quod non facerent centũ lupi. Centum etiã tem-

pla spiritualia vel plura per irã accendit lingua vna. Lingua etiã vnius aduocati destruit abbatiã vnã, vel archiepiscopatũ vnum, dum facit illum poni in manus alicuius qui ex parte diaboli est. Vnde Eccl.28. Lingua tertia multos commouit, & dispersit illos de gente in gentem. Ciuitates munitas diuitum destruxit. Nocumentum vero quod facit lingua, valde magnum est. Vnde Ecclesia.28. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic quasi qui interierũt per linguã. Qui enim intereunt per linguã, morte animæ intereunt: illi autem qui gladio, corpore intereunt. Item in eodem: Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa. Cordi enim letale vulnus infligit. Multis etiam modis nocet. Nocet enim occultè: & ideo comparatur serpenti. Vnde Psalm. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum. Nocet etiã à remotis, ideo sagittæ comparatur Ierem. 9. vbi dicitur: Sagitta vulnerans lingua eorum. Item ibidem 9. Extenderunt linguam suam arcum mendacij & veritatis. Lingua eius qui est in Gallia, nocet ei qui est vltra mare, dum eum infamat. Item existens in terra nocet ei qui est in cælo, dum Deum & sanctos blasphemat. Vnde Psalm. Posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiuit in terra. Nocet etiã lingua proximo: & ideo gladio comparatur. Vnde Psalm. Exacuerunt vt gladium linguas suas. Et iterum: Lingua eorum gladius acutus. Velociter etiam nocet lingua. Vnde Bern. loquens de illo verbo, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem, dicit: Vtique tam veloces quàm velociter currit sermo. Vnus est qui loquitur, & tantũ vnum verbum profert, & tamen vnum verbum vno momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. ¶ Nonum, quod deberet mouere homines ad diligentem custodiam linguæ, est hoc, quòd nisi lingua diligenter custodiatur, primo sæuit in dominum suum. Vnde prouerb.18. Os stulti contritio eius. Et 26. Os lubricum operatur ruinas. ¶ Decimum est cruciatus linguę, quem sacra scriptura commemorat Lucæ 16. vbi dicit dives, qui erat in inferno: Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarũ, vt intingat extremum digiti sui in aqua: vt refrigeret linguam meam. Gloss. Cruciatus linguæ specialiter exprimitur, vt peccatum linguę specialiter declinetur. Similiter cruciatus linguæ exprimitur Apocaly. 16. vbi sic legitur: Commanducauerunt linguas suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis. Non dicit quòd manducauerunt manus suas, sed linguas suas. Eadem de causa qua prius. ¶ Vndecimum est difficultas custodiendi

endi linguam. Propter quam difficultatem legitur in Vitis patrum de quodã sancto, qui clamabat incessanter: Domine Deus meus, libera me à lingua. Eccles. 22. sic legitur: Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certũ, vt non cadã ab ipsis, & lingua mea perdat me? Et Psal. Domine labia mea aperies, &c. Et iterũ, Pone domine custodiam ori meo. & Pro. 16. Hominis est præparare animũ, & domini est gubernare linguã. ¶ Duodecimum est, vtilitas magna quæ sequitur ex custodia linguæ, quæ vtilitas insinuatur Prou. 12. vbi sic legitur: Vnusquisque de fructu oris sui replebitur bonis. Non est autẽ aliquis ita pauper, qui in breui non possit ditari de fructibus oris sui, si illud diligenter excoleret. De his fructibus dictũ est in tractatu de Acedia, in capitulo de Otio. Vtilitas bonæ linguæ innuitur Prouerbiorum 10. vbi sic legitur: Vena vitæ os iusti. Propter vtilitatem huius membri potius apparuit Spiritus sanctus in linguis, quàm in manibus, vel in aliis mẽbris. Membrũ enim vtilius voluit sibi eligere. ¶ Tertiumdecimum est, periculum quod accidit nisi lingua custodiatur. Sine custodia enim linguæ non potest homo bonus fieri, & si bonus est, fit malus. Ad primum videtur pertinere illud Iob 11. Nunquid verbosus iustificabitur? Et Grego. Vera sententia est quæ legitur, Cultus Iustitiæ, silentiũ. & Leuit. 15. Vir qui patitur fluxum sanguinis immundus est. Ideo dicitur Iac. 1. Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam à malo, sed seducens cor suum, huius vana est religio, quia vadit in nihilum. & in Psal. Quis est homo qui vult vitam? quasi aliquis respondisset, Ego. subditur, Prohibe linguam tuam à malo. Et Pro. 18. Mors & vita in manibus linguæ. Et Matt. 12. Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Ad periculum illud ostendendum valet quod legitur de Secundo philosopho, qui cum rediisset à studio Athenienſi, & mater eius interpellaret est de turpitudine, & instaret, ipse dixit: Non intrabo vnde exiui. Quod intelligẽs mater, dolore mortua est. & tũc dixit ille, Quid est optimum, & quid est pessimum verbum? & perpetuo silentio se damnauit. Si etiam aliquis est in bono statu, nisi linguam suam custodiat, citò corruet. Vnde Prouerb. 12. Propter peccata labiorum ruina proximat malo. Ideo dicitur Eccle. 18. Beatus est qui rectus est à lingua nequam. ¶ Decimumquartum est, q̃ magna pars nostræ bonitatis est in custodia linguæ. Vnde Iac. 3. Si quis in verbo nõ offendit, hic perfectus est vir. ¶ Decimũquintum est hoc, quòd magna pars sapiẽtię in moderatione ipsius linguæ cõsistit. vnde Prouerbiorum 17. Qui moderatur sermones suos,

doctus & prudés est.& eiusdem 10.Qui moderatur labia sua prudentissimus est. Non solum prudens est vel prudentior, sed etiã prudentissimus.Prudens est,qui loquitur quando loquẽdum est. Vnde Eccle.20.Homo sapiens tacebit vsque ad tempus.Prudentior est,qui loquitur talia,qualia debet loqui,vt qui loquitur verba pura à falsitate, & à proximi nocumento, & à cõtumelia Dei, vnde Prou.15.Sermo purus pulcherrimus est.Prudentissimus verò est ille,qui modum seruat in verbis:qui scilicet dulciter loquitur absque clamore & asperitate,quod non parum est vtile.vnde Prou.16.Qui sapiens est corde,appellabitur prudens:& qui dulcis est eloquio,maiora reperiet. Magis enim proficiunt qui habent dulcedinem linguę,quàm qui habent sapientiã magnam in corde.Sed videtur q̃ potius Salomon debuerit dicere, Qui moderatur cor suum, prudentior est, quàm qui moderatur,&c.Ad quod respondendum est, quòd non potest esse sermonis moderatio absque cordis moderatione. Folia enim non possunt se habere moderatè radice commota.Et ille maximè dominatur animo suo,qui adeò habet suum in potestate sua, quòd non licet ei vti armis suis etiam paratissimis in sua defensione,quę sunt verba.Verbis quasi sagittis hostes de longe percutimus.

¶ Quòd in moderatione prædicationis habendus est respectus ad quinque.

NOTANDVM quòd in moderatione prædicationis habendus est respectus ad quinque.Specialiter autem ad personam quę loquitur.Vnde Prouerb.17.Non decent stultum verba composita,& ad materiã de qua homo loquitur.vnde Hieronymus:Materias grandes ingenia parua non sustinent.& ad personã cui homo loquitur:quia sicut dicit Greg.secundum capacitatem auditorum, formandus est sermo doctorum, & hoc quantum ad proli xitatem sermonis,& quantum ad sublimitatem. sunt qui minus capacibus tot & tanta dicere volunt,quòd ipsi nihil retinent. Isti volũt mittere doliũ vnum vini in lagenã vnam, vel in scyphum vnum.¶ Quarto respectus est habendus ad tẽporis opportunitatem.Vnde Eccl.20.Ex ore fatui reprobatur parabola, quia non dicit eam in tempore suo.Et Prouer.15. Sermo opportunus optimus est. ¶ Quinto, habendus est respectus ad feruorẽ. vnde Eccle.7.Noli esse iustus multum. Sunt qui quærunt ensem ad mussã occidendã,& securim ad ouum frangendũ:qui scilicet ad minimã negligentiam cũ tanto feruore mouentur, sicut si esset magnum peccatũ:quod rarò expedit fieri,& si in casu multũ conandũ sit,etiã contra paruas negligentias,quando aliter corrigi non possunt.Gre.super Ezeckie. Obsecro disce qualiter vnũquenque alloqui

alloqui debeas quem corrigi vis: & noli in parte ista ambulare in sensu suo,imò in furore tuo.¶ Decimo sexto,debet mouere ad custodiã linguæ exhortatio sacræ scripturæ:vt est illud Eccle.28. Ori tuo facito ostia.& ibidẽ:Verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos,& attende ne fortè labaris in lingua.& Eccle. 5.Ne temerè quid loquaris, ne cor tuũ sit velox ad proferendum sermonẽ coram Deo.& Prouer.4.Remoue à te os prauum.¶ Decimoseptimo debent mouere ad custodiam linguæ exempla, vt est illud 1.Reg.3.Creuit Samuel,& Dominus erat cum eo:& non cecidit ex omnibus verbis eius in terram, & in descriptione viri iusti dicitur in Psal.Et foliũ eius non defluet. Et alibi in Psalmis: Dixi custodiam vias meas,vt nõ delinquam in lingua mea.¶ Decimooctauo debet hominem mouere ad custodiam linguæ hoc, quòd oportebit verba nostra trãsire per districtũ iudicium Dei. Ideo debent hęc verba nostra saltẽ transire per iudiciũ nostrum. vnde in Psal.dicitur de lingua iusti,quòd loquitur iudicium, id est,sententiam examinatã, & vt breuiter dicam, sicut per loquelam perpenditur vtrũ aliquis sit Gallicus,vel Theutonicus,vel alterius nationis.vnde in Euangelio, Verè tu ex illis es:nam & loquela tua manifestum te facit. sic per loquelam perpenditur in aliquo vtrum sit bonus vel malus.vnde Eccle.4.In lingua sapientia dinoscitur.Item Ecclesiastici vigesimoseptimo:Ante sermonem non laudes virum. Hæc enim tentatio est hominum. Hieronymus:In pondere verborum probatio existit humanæ vitæ.

De vigintiquatuor peccatis linguæ, PARS II. *quæ habet* XXIIII. *cap.*

De ordine dicendorum in ista parte.Et primo de Blasphemia.

CAP. I.

DIcto de custodia linguæ in communi, consequenter enũmeranda sunt diuersa peccata linguæ, vt de his prosequamur. Ex quibus 24.enumerare sufficiat,quæ sunt blasphemia,peccatũ murmuris,peccati defensio,periurium,mendaciũ,detractio,adulatio,maledictio,conuiciũ,contentio,bonorũ derisio,prauũ conticium,peccatũ seminantium discordias, peccatũ bilinguium, rumor,iactãtia,secreti reuelatio,indiscreta cõminatio,indiscreta promissio,otiosum verbum, multiloquium, turpiloquium, scurrilitas, & indiscreta taciturnitas. ¶ Et primo prosequamur de quatuor primis,quia illis directè peccatur in Deum.Inter quæ incipiemus de peccato blasphemię,quia maius est. De quo peccato hoc modo agemus.Primo notificabimus istud peccatũ.Secundo ponemus ea quæ valere possunt ad detestationem huius pec-

cati. Tertio, dicemus de personis, quæ videntur esse consentientes blasphemātibus. Quarto, tāgemus aliquid specialiter de spirituali blasphemia. ¶ Notandū ergo secundū Aug. Blasphemia est, quādo aliquid attribuitur Deo, quod Dei nō est, vel quādo negatur de Deo quod ipsius est, vel quando aliquis sibi vsurpat quod Dei est. Nos autē hic blasphemiā intelligimus verbū in contumeliam Dei prolatum, vt cum aliquis iratus vindicare se volens de Deo, aliqua membra de ipso nominat, quæ nominānda non sunt.

¶ De his quæ valent ad detestationem huius peccati, & de pœnis blasphemorum.

MVLTA verò sunt quæ possunt valere ad detestationem huius peccati. ¶ Primum est, pœna qua legitur dominus punisse blasphemos: de qua legitur Leuit. 24. Ecce egressus filius mulieris Israëlitidis, quē peperat de viro Ægyptio, iurgatus est cū viro Israëlita. Cúmque blasphemasset nomen domini, & maledixisset ei, adductus est ad Moysen, miserúntq; eum in carcerē, donec nosceret quid iuberet dominus: qui locutus est ad Moysen: Educe blasphemū extra castra, & ponēt omnes qui audierunt manus suas per caput eius, & lapidabit eum populus vniuersus. & deinde promulgauit legē de pœna blasphemorū, dicens: Loquere ad filios Israël. Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum: & qui blasphemauerit nomē domini morte moriatur: lapidibus obruet eū omnis multitudo populi. De pœna etiam blasphemiæ exemplū refert Greg. in dialogo, q̄ quidā Romæ tenere dilexit quendam puerum quinq; annorū, qui cōsuetus erat blasphemare nomen domini statim quando animo eius aliquid obstitisset: quadam autē die cum pater eius teneret eū in brachiis, clamauit puer, Nigri homines veniunt qui me tollere volūt. qui cū hoc dixisset, nomen domini blasphemauit, & animā reddidit. Si Deus in puero quinque annorū peccatū illud sic vindicauit, nunquid parcet adultis, & discretis qui hoc peccatū cōmittunt? Peccatum istud punitur etiā frequenter à Deo in præsenti, vel spiritualiter, vel corporaliter. Spiritualiter, quia multoties subitanea morte moriūtur homines blasphemiis assueti. vnde Pro. 20. Qui maledicit patri vel matri, extinguetur lumen eius in mediis tenebris. Patri maledicit blasphemus, dū domino maledicit. Matri etiam maledicit, dum triumphantē ecclesiam blasphemat, quæ mater nostra est, & ideo lux in mediis tenebris ei extinguetur, quia in peccatis suis morietur. Peccatum istud vix remittitur: iuxta illud Mat. 12. Spiritus blasphemię nō remittetur, id est, vix remittetur. vnde peccatum ad mortē vel in mortē dicitur. Eccle. 23. Est alia loquela

loquela contrariā ia morti, nō inueniatur in hæreditate Iacob. Protulerat author de loquela iuramenti, & subdit, Est alia loquela contraria, &c. Blasphemia contraria dicitur esse iuramento, quia à iuramento nominatur Deus: in blasphemia diabolus. In iuramento quando fit cò modo quo debet, honoratur Deus, quando nomen eius ad confirmationem veritatis assumitur. In hoc enim Deus ostenditur veritatis cultor & author. In mortem verò blasphemia dicitur esse, quia frequēter moriuntur blasphemātes in peccato. Vnde blasphemi multum deberent rogare viros sanctos, vt orarent Deum quòd sibi dimitteretur peccatum istud. Non enim impetrat quicunque remissionem huius peccati: imò oportet hominem esse magni meriti ad hoc, quòd impetret alteri remissionē huius peccati. vnde 1. Ioan. vltim. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico vt roget quis. id est, quicūque. Pœna etiam corporali punitur peccatū blasphemiæ frequentius quàm aliud peccatum. vnde accidit quòd luxoribus qui Deum blasphemant, facies quandoque ptæposteratur. Cuidam etiam militi dum occasione ludi per oculos Dei iuraret, proprius oculus à capite exiliit, & in alearium cecidit. ¶ Secundo potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur ingratitudo magna quę est in eo qui blasphemat. Dupliciter verò ingratus est blasphemās, & quia in membro illo Deū inhonorat, in quo Deus præ cæteris creaturis honorauit homines, scilicet in lingua: & quia membra illa infirmita tis humanę quę propter salutē ipsius Deus assumpsit, ipse ad cōtumeliā Dei nominat, & ingratus est de beneficio incarnationis, & quasi Deus non satis fuerit affectus cōtumeliis à Iudæis pro amore ipsius, ipse adhuc contumelias supra contumelias addit. In hoc deterior Iudæis, quia ipsi affecerunt eum contumeliis mortalem & infirmū, & in statu humilitatis, sed blasphemus Deū contumeliis afficit immortalē & regnātem in cælis. Iudæi aliquantulū per ignorantiā excusantur. Nesciebant enim Deum esse quē contumeliis afficiebant. Si enim cognouissent, nunquā dominū gloriæ crucifixissent. 1. ad Cor. 2. Blasphemus verò eum cōtumeliis afficit quem credit esse Deum. ¶ Tertio debet cohibere à peccato istos homines, quòd blasphemus videtur esse deterior omnibus creaturis. Aliæ enim creaturę Deū laudāt & benedicūt, ostēdendo eius potentiā, bonitatē, & sapiētiam. Nec solū Deū laudant, & benedicūt, imo etiā ad eū laudandum homines inuitāt. vnde Greg. Mirū est quòd aliter homo Deū semper non laudat, cum omnis creatura semper ad eum laudandum inuiter. Vnde valde miser est homo blasphemus, qui specialiter propter hoc linguā accepit vt Deum laud

laudaret,qui Deum non laudat,sed contra admonitionem aliarum creaturarum eum blasphemat.

¶ Quibus circunstantijs pateat huius peccati magnitudo.

QVARTO debet cohibere à peccato isto, magnitudo huius peccati,quæ multis circunstantiis potest manifestari. ¶ Primo ex hoc,quòd in isto peccato infertur contumelia Deo in propria persona,cui alij peccatores contumeliam inferunt in rebus suis.Fur vel raptor contumeliam inferunt Deo in possessionibus seruorum eius:homicidæ enim in seruis eius. sed blasphemus infert ei contumeliã in propria persona:& ideo non parum displicet Deo peccatum blasphemiæ.Multum displicet Principi, quando infertur ei contumelia in subditis eius, sed amplius displicet, quando in eo qui est de propria familia:sed longe magis quando in filio, vel in filia.sed super omnia ista quando infertur ei contumelia in propria persona.¶ Secũdo potest ostendi magnitudo huius peccati per sublimitatẽ personæ cui blasphemia infertur.Secundum enim sublimitatem personæ,cui infertur aliqua offensa,augmentatur culpa.Offensa magna est cum conuicium dicitur alicui burgensi,sed maior si dicatur militi,sed longe maior si dicatur principi:ergo in infinitũ maior est,si in infinitum maiori dicatur.vnde cũ in peccato blasphemiæ cõuicium dicatur Deo, qui in infinitum maior est omni domino terreno, peccatum illud nimis magnum est. ¶ Tertio facit ad magnitudinem huius peccati hoc, quod in peccato isto Dei contumelia principaliter intẽditur.Alij peccatores etsi contumeliã Deo inferant,tamen præter intentionem & voluntatẽ illorũ est contumelia illa, & bene vellent abstinere à contumelia illa,si possent habere delectationem quam quærunt absque contumelia illa. Sed blasphemus in contemptum & contumeliã Dei blasphemat,volẽs se vindicare de Deo, quum tamen Deus sine culpa sit. ¶ Quarto facit ad detestationẽ huius peccati,peruersitas magna quæ est in peccato isto.Multum enim peruersi sunt homines blasphemi, qui bona quæ agunt sibi attribuunt,mala verò Deo adscribunt:quum econtrario mala propter culpas eorum eis eueniant, bona vero ex gratia Dei recipiant. ¶ Quinto facit ad detestationem huius peccati, magnus contemptus qui est in blasphemantibus, qui potest manifestari ex hoc quòd ipsi dicunt quòd non possint se à blasphemia cohibere.Si autem quæratur ab eis vtrum aliquãdo conuicium dixerint episcopo vel archiepiscopo, vel alicui principi: ipsi respondent quòd non. Imò multi sunt qui dicerent se nunquam dixisse conuicium alicui gartioni, nisi ipse prius dixerit eis:& tamen non possunt

possunt abstinere,sicut ipsi dicunt,ne Deo contumeliam dicant. Ista insania,potest aliquis abstinere ne dicat contumeliam garcioni nisi ipse meruerit,tamen dicit se non posse abstinere quia negi gloriæ contumeliam dicat,quum tamen ipse nunquã ei conuicium dixerit,nec aliquid mali meruerit:magis procul dubio videtur talis contemnere Deum,quàm gartionem vnum. ¶ Sexto facit ad magnitudinem huius peccati hoc,quòd istud peccatũ est in patrem cælestem,& ideo morte dignum est.vnde Matthæi 15. Qui maledixerit patri vel matri,morte moriatur.Blasphemi sunt illa generatio, de qua legitur Prouerb. 30. Est generatio quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit. Blasphemi etiam assimilantur Cham filio Noë,qui verenda patris fratribus suis ostendit.Propter quod filius eius maledictionem suscepit, vt legitur Genesis 9.¶ Quinto deberet cohibere à peccato isto hoc, quòd blasphemia peccatum diabolicum est, & quasi loquela infernalis,cuius signum est horripilatio quam facit istud peccatum in audientibus.vnde Eccles.27.Loquela multum iurans, horripilationem capiti statuet, & irreuerentia ipsius obturatio auriũ. Vnde satis videtur quòd diabolus in blasphemis loquatur, quando ex hoc audiens horripilationem habet. Sicut aliquis à Theutonica lingua Theutonicus perpenditur:sic blasphemus ex loquela ista de familia diaboli esse dignoscitur,& ad infernum videtur pertinere. Vnde sicut dictum est Petro Matthæi 26. Vere tu ex illis es, nam & loquela tua manifestum te facit. Sic posset dici de blasphemo. Verè tu de inferno es: nam & loquela tua manifestum te facit.Illi qui in inferno erunt,blasphemabunt Deum propter magnitudinẽ doloris. vnde Apocaly. 16. Blasphemauerunt Deum cæli præ doloribus & vulneribus suis. Sicut filij Dei assuescunt benedictioni & laudi diuinæ, volentes addiscere officium in terris quod facturi sunt in cælis:sic filij diaboli assuescunt blasphemijs addiscentes in mundo isto officium quod facturi sunt in inferno. ¶ Sexto deberet cohibere à peccato isto hoc,quòd blasphemia Dei conuicium est dictum ei à proprio seruo illius,& ideo non de facili consequitur homo remissionem huiusmodi peccati.vnde Eccle.22.Mittens lapidem in volucria,deiciet illa: sic & qui conuiciatur amico, dissoluit amicitiam.Ad amicũ etsi produxeris gladium,non desperes:est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste,ne metuas:est enim concordatio excepto cõuicio & improperio,& superbia,& mysterij reuelatione. Ad literam, nobiles post magnas guerras postquam in bello se læserint,amici efficiuntur.Si quis autẽ conuiciũ

aliquod

aliquod dixerit eis, toto tempore vitæ suę memores sunt conuicij illius. Si conuicium vnum dictum alicui cum tanta difficultate à corde illius recedit, quantum timere possunt illi qui regi gloriæ toties conuiciati sunt? Qui delectantur Deum blasphemando, Iudæis deteriores videntur, qui in consuetudine habebant quòd audita blasphemia aures ostruebant sibi. vnde super illud Act. 7. Cõtinuerunt aures suas. dicit interlin. ne blasphemiam audirent. In signum etiam doloris scindebant vestimẽta sua. vnde super illud Matth. 26. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicit glos. Mos est Iudæorum, cum aliquid blasphemiæ audiunt, scinde re vestimenta sua. Canibus etiam peiores videntur. Canis enim non mordet dominum suum, nec dilacerat. Ipsi verò dilacerant dominum, dum Deum blasphemant. Ipsi eodem ore quo vinũ à Deo creatum biberunt, incõtinenti eum mordent, & cõtumelijs afficiunt, similes canibus rabidis, qui manum quæ sibi panem porrigit, mordent. Maius etiam peccatum videtur esse blasphemia, quàm hæresis. Hæreticus enim ea loquitur de Deo, quæ credit esse vera: blasphemus verò contra conscientiam suam de Deo dicit quæ scit non esse dicenda.

¶ Quàm culpabiles sint, qui blasphemos tolerant, cùm possint prohibere.

Nec solùm blasphemi culpabiles sunt apud Deum, sed etiam illi qui tolerant peccatum istud, cum prohibere possint: vt pater & mater, qui non corrigunt filios suos blasphemantes, & quandoque hac de causa amittunt eos. Dominus enim eos interficit: vt patet exẽplo Gregorij prius posito in eodem cap. Similiter illi culpabiles sunt qui permittunt contumeliam Deo fieri in domibus suis, cùm prohibere possint. Nullus homo timens Deum permitteret alicui, quem sanctum crederet, contumeliã inferri in domo sua, ex quo posset hoc prohibere. Quanto magis tolerare nõ debet, vt contumelia creatori suo inferatur in domo sua, ex quo potest prohibere? Vix possunt homines sustinere quòd coram eis conuicium dicatur patri suo vel domino terreno. Quomodo ergo possunt hoc sustinere de patre suo cælesti? Nunquid culpabilis esset, qui permitteret in cellario suo templũ alicui dæmoni fieri, & in ipsõ sacrificari? Nónne taberna in qua luditur & blasphematur, verè diaboli tẽplũ est, in quo Deus inhonoratur & diabolus honoratur? Quomodo ergo potest sustinere hoc qui fidem veram habet? Domini etiam culpabiles sunt, qui in terra tua talia permittunt fieri. Sicut illi culpabiles sunt, qui in terra sua pagano rũ idololatriã tolerant. Blasphemia etiã idololatria deterior esse videtur in hoc, quòd idololatria honorem suum aufert Deo: sed blasphe

blasphemia non solũ honorem aufert, sed etiã cõtumeliã infert. ¶ Magna peruersitas est principum, qui bona subditorũ suorũ accipiunt, quando Deus hoc prohibet: quando verò possunt accipere ad honorẽ Dei, & salutẽ animarum nolunt. Domini enim possent pœnã pecuniariã imponere meritoriè illis qui blasphemãt. Nõ sunt etiã sine culpa qui locãt eis taxillos, & similia, & qui assistunt ludentibus vel blasphemantibus, quasi velint habere de fœtore blasphematium, Iudæis deteriores, in hoc quòd Iudæi obturant aures suas audita blasphemia, & signa doloris ostendunt. Et, vt breuiter dicam, in hoc distingui possunt filij Dei à filiis diaboli, quòd filij Dei possunt tolerare quòd pater eorum à blasphemantibus sagittetur. Filij verò diaboli non curant quando videt Deum ita sagittari. Quod tali exemplo potest ostendi. Fuit quidam vxorẽ habens, & ex ea tres filios, secundum opinionẽ suam. Cui vxor eius cùm quadam die litigaret cum eo, obiecit, quòd ipse credebat habere tres filios, sed vnus tãtum erat suus. Requisiuit verò ab ea quis suus esset, noluit ei indicare. Deinde cùm pater infirmaretur ad mortem & vxor defuncta esset, ipse faciens testamentum omnia dimisit illi qui filius suus erat. Post mortẽ verò eius contentio facta est inter illos tres, quos ipse tanquã filios suos nutrierat, cuius esset hæreditas. Quilibet enim dicebat quod ipse filius erat, & quòd sua debebat esse hæreditas, vnde cum delata esset ad iudicẽ, præcepit iudex vt pater mortuus alligaretur ad arborẽ, & ille qui directius sagitã in eum mitteret, hæreditatem haberet. Vnde alligato patre ad arborem, duo ex illis sagittauerunt eum. Tertius verò videns patrem suum sagittari, offensus est vltra modum contra alios duos, & dixit quod patrẽ suum nullo modo sagittaret. Ex quo cognitũ verè est, quòd ipse filius erat ipsius, & data est ei hæreditas. Simile iudicium fecit Salomõ 3. Reg. 3. de duabus mulieribus quæ litigabant de puero vno. Illã enim perpendit esse matrem, quæ non potuit tolerare pueri interfectionem. Sic filij Dei non possunt tolerare quòd blasphemantes patrem eorum sagittent.

¶ De duplici blasphemia, scilicet oris & cordis.

Et notandum quòd duplex est blasphemia. Quædam est oris, & quædam est cordis. De blasphemia cordis legitur in Vitis patrum, quòd quidam frater impugnabatur spiritu blasphemiæ, & cum sæpe pergeret ad senes, & ad abbatem Parmenem pro cura illius, & non aperiret causam, abbas Parmanes videns eũ habere cogitationes blasphemiæ, dixit, Quid habes? At ille aperuit quòd impugnaret eum spiritus blasphemiæ. Et statim vt aperuit,

apparuit

apparuit impugnatio leuior. Cui abbas Parmenes. Quãdo hęc cogitatio te arripuerit, dic: Ego causam non habeo, blasphemia tua sit super te, ô satã. Hãc enim causam anima nõ vult. Et innuitur in verbis duplex causa, propter quã nõ sit tantũ periculum in hac blasphemia, sicut multi credũt: non enim habet delectationẽ cogitatio blasphemiæ propter quam ipsa placeat homini, sed vehemens timor offensæ diuinæ adducit cogitationes istas. Sicut homini timido in tenebris existẽti & solitario, velit nolit adducit timor terribilia ad cor suũ, & nimius amor quẽ habuit mater ad filiũ, adducit ei memoriã ipsius quãdo defunctus est, licet etiam ipsa nolit. Præterea diabolus, quia scit q; displicet viro iusto cõuicium, & cõtumelia Dei, interdũ loquitur cõuicia Dei in homine, ipso homine audiente: & blasphemia illa diaboli est, non hominis, & meretur homo in hoc, quod displicet illi blasphemia illa, & hæc duo insinuantur exemplo prædicto, cùm dicitur blasphemia tua: & cum dicitur, hanc enim causam anima non vult. Summum autem remedium contra vitium hoc, est occupatio quæ animum impleat, & contemptus blasphemiæ talis. Debet enim homo parum appretiare cogitationes tales.

De peccato murmuris, & ordine dicendorum de eo, & de his quæ faciunt ad eius detestationem. CAP. II.

SEquitur de peccato murmuris. Est autẽ murmur, oblocutio indebito modo facta contra Deum vel factũ alicuius. Specialiter autẽ dicemus de murmure quod fit cõtra Deum, vel cõtra eum qui est loco ipsius. Dicemus autẽ hoc modo de hoc peccato. ¶ Primo ponemus ea quę possũt valere ad detestationẽ ipsius. ¶ Secundo tangemus diuersas diuisiones murmuris. ¶ Tertio vero specialiter agemus de murmure clausträliũ. ¶ Quartoverò de remediis contra peccatũ murmuris. ¶ Ad detestationẽ verò huius peccati possunt valere verba sacræ scripturæ quæ dissuadent nobis hoc peccatũ, vt est illud Sap. 1. Custodite vos à murmuratione quæ nihil prodest. Murmur quod fit cõtra ea quæ Deus facit nihil prodest homini, imò plurimũ nocet. Non enim propter murmur cessãt tribulatio: sed quod potuit esse meritorium, propter murmur fit demeritoriũ. Inquinatur homo vnde debuit mũdari, & destruitur vnde debuit emendari. vnde, Destruxisti eũ ab emũdatione, vel emẽdatione. Itẽ Iob 6. Nolite murmurare inuicẽ. & 1. Cor. 10. Neque murmuraueritis. & ad Phili. 2. Omnia facite sine murmurationib. & 1. Pet. 4. Hospitales inuicẽ sine murmuratione. ¶ Secũdo possunt valere ad detestationẽ huius peccati, exempla. Vt est exẽplũ Christi, de quo Esa. 53. Quasi agnus coram tondente se, obmutescet. & exẽpla sanctorũ, de quibus cantat ecclesia, Non murmur resonat, non querimonia. & iterum, Ecce homo sine querela. & Sap. 18. Properans homo sine querela deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutũ orationem, & per incensum deprecationẽ allegãs, restitit iræ. & Lucæ 1. legitur de Zacharia & vxore sua, quòd erant iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela. ¶ Tertio potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd murmuratores maledicti sunt. Vnde Eccles. 28. Susurro & bilinguis maledictus. Multos enim turbauit, pacem habentes. ¶ Quarto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd murmuratores odibiles sunt Deo. Vnde ad Rom. 1. Susurrones & detractores Deo odibiles. ¶ Quinto potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd nescimus quid nobis magis expediat. Alicui enim magis expedit aduersitas quã prosperitas: ideo nullus de aduersitate murmurare debet. Vnde Eccl. 39. Non est dicere, hoc melius illo est. Omnia enim tẽpore suo cõprobabuntur. ¶ Sexto potest valere ad detestationẽ huius peccati hoc, quòd quũ simus filij Dei, & ratione creationis & redemptionis, ideo non debemus murmurare quicquid placeat sibi facere de nobis. Bernar. Iustè sibi vendicat meã vitam, qui pro mea posuit suã. Apostolus Rom. 14. Siue morimur, siue viuimus, domini sumus. Idẽ: Empti estis pretio magno, glorificate & portate Deũ in corpore vestro. 1 ad Cor. 6. Auguſt. Scit cælestis medicus quid nobis daturus sit ad cõsolationem, & quid subtractus ad exercitationẽ. Non enim homo sine causa iumẽto suo cibaria detrahit. & esa. 45. Væ qui contradicit factori suo, & post, Nunquid dicit lutum figulo suo, quid facis? & 29. Peruersa est hęc cogitatio, quasi lutũ cõtra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Quid feci sti me? ¶ Septimo potest valere ad detestationem huius peccati vindicta quam Dominus legitur sumpsisse de peccato isto. legitur Num. 12. quod Maria soror Mosi lepra percussa est, propter peccatum murmuris. Propter peccatum istud Dathã & Abiron à terra sunt absorpti, vt legitur Num. 16. & Core igne consumptus est: vt legitur ibidẽ. Propter peccatum etiã istud misit dominus ignitos serpentes in filios Israël. Propter peccatum istud maior pars filiorum Israël in deserto periit. vnde Num. 14. Omnes qui numerati estis à xx. annis & supra, & murmuraſtis contra me nõ intrabitis terram super quam leuaui manũ meam vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun. Murmurante etiam populo contra dominum de la-

bore,ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem, vt legitur Num. Et, vti breuiter dicam, sicut dicit authoritas, Nulla re Deum magis offendisse dictus est populus ille, quàm murmurando. De pœna etiam murmurantium in futuro, dicit Iud. in epistola sua: Hi sunt murmuratores, querulosi, secundum desideria sua ambulantes. Et præmittit pœnam, dicens: Quibus procella tenebrarum seruata est. Gregor. Regnum cælorum nemo qui murmurat, accipit: nemo qui accipit, murmurare potest.

¶ De tribus diuisionibus murmuris.

SEQVITVR de diuisionibus murmuris. Quarum tres ponere sufficiat. ¶ Prima talis est. Est murmur inuidiæ, murmur superbiæ, murmur auaritiæ, murmur impatientiæ, murmur sanæ conscientiæ. De primo sic legitur Mat. 20. Et accipientes murmurabant aduersus patremfamiliàs, dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstus. De secundo legitur Lucæ 7. Videns Pharisæus, qui vocauerat eũ, ait intra se: Hic si esset propheta, sciret vtiquæ quæ & qualis est mulier quæ tãgit eum, quia peccatrix est. De tertio legitur Ioan. 12. Quare hoc vnguentum non venditur trecentis denariis? De quarto Num. 11. Ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore, contra dominum. Quintum murmur est, quando aliquis murmurat de hoc quòd aliquis iniustè vult cogere eum ad hoc quod cõtra Deum est. Et illud murmur videtur esse significatum per murmur asinæ murmurantis contra Balaã. De qua legitur Numeri 22. Aperuit dominus os asinæ, & locuta est, Quid feci tibi? cur percutis me? Ecce iam tertiò volebat cogere Balaã asinam ad id quod erat cõtra domini voluntatem. Ad hanc speciem pertinet murmur conscientiæ murmurantis contra peccatum. ¶ Item potest diuidi murmur in murmur de bonis quæ conferimus, & murmur de illis quæ sustinemus. Primum murmur dissuadetur Eccle. 18. vbi legitur, In bonis ne des querelã, & in omni dato ne des tristitiã mali verbi. De alio murmure legitur Ec. 10. Vir prudens & disciplinatus nõ murmurabit correptus. Prudens est qui futura præuidet, scilicet præmia & tormenta, & talis non murmurat de flagello. Libẽter enim virgã tolérat quæ à gladio pœnæ æternæ eum conseruat. Patienter etiã ab eo sustinet flagellari, à quo cælestem hæreditatem expectat. Disciplinatus etiã qui circa vtilitates tribulationũ est instructus, similiter nõ murmurat de correctione. ¶ Tertia diuisio murmuris est in murmur cõtra Deũ, & murmur cõtra proximũ. Murmur vero cõtra Deum multiplex potest esse: vel de infirmitate, vel de paupertate, vel de tẽporis importunitate, vel de prosperitate malorũ, & de aduersitate bonorũ, & similibus. Valde fatuũ est murmurare de infirmitate, cũ vtilior sit frequẽtius infirmitas, quã sanitas. Vnde in Vitis patrũ cũ quidã peteret à Ioanne eremita, vt à tertiana sanaretur: ipse respõdit, Rẽ necessariã tibi cupis abiicere. Vt enim corpora intus, ita animæ langoribus purificantur & castigationibus, & tamen postea dedit ei oleum benedictũ, & sanatus est. Item quidam miles rogauit quendam sanctũ virum, vt à morbo liberaret eum præcibus suis. Sed audito ab eodem quòd melior esset in ægritudine quã in sanitate: dixit vir sanctus, Oro dominum vt seruet te in statu, in quo magis humilieris. ¶ Fatuũ etiam est de paupertate murmurare, cum sciamus pauperes electos esse ad regnũ æternũ. Iac. 2. Nónne Deus elegit pauperes in hoc mũdo, diuites in fide, & hæredes regni? ¶ De importunitate etiam temporis fatuum est murmurare. Et propter hoc qui facit, nunquam pacem habebit. Vnde Iob 9. Quis restitit ei, & pacẽ habuit? & propter hoc quia Deus scit melius quid expediat mundo, quem ipse habet regere, quàm alius, & quandoque expedire videntur quæ non expediunt. Vnde quidam eremita seminauerat olera, & visum est sibi pluuiam necessariam esse oleribus suis, & petiit à Deo, & obtinuit. Deinde visum est ei serenitatem necessariam esse oleribus suis, & petiit, & obtinuit: &, vt breuiter dicam, tale tempus dedit ei dominus quale voluit, & tamen nec vnum olus de terra exiuit: qui credens vniuersalem defectum olerum in anno illo, patienter sustinuit. Sed cum declinasset ad domum eremitæ alterius, & pulcherrima olera ibi vidisset, multum admiratus est. Et enarrauit eremitæ illi quæ ei acciderant. Cui eremita respondit: Meritò hoc aduenit tibi: putabas te sapientiorem Deo, qui ei indicabas quid facere deberet. Econtrario verò magnæ pacis occasio esset, & quandoque etiam magnæ abundantiæ bonorũ temporalium, si quis voluntatem suã in talibus voluntati diuinæ conformaret. Vnde refertur de quodam agricola, qui semper habebat in agris & vineis suis vberiores fructus quàm alij. Et cum requireretur à vicinis quare hoc esset: respondit, nõ esse hoc mirũ, si fructus vberiores haberet, cum semper haberet tale tempus, quale ipse vellet. Super quo cum alij mirarentur, & inquirerent quomodo hoc esset: Respondit, Ego nunquam volo aliud tempus habere quàm Deus velit. vnde cum tale sit tempus, quale Deus vult, semper habeo tale quale ego volo. In pace magna erat vir ille, quia voluntatẽ suã conformauerat voluntati diuinæ. Et propter hoc bonorũ tẽporaliũ habe-

bat abundantiam. Cum artifices ita offendi soleant, quando instruuntur in operibus in quibus ipsi periti sunt: non est mirum si multum Deus offendatur, quando de operibus suis ita à quibuscunque diudicatur. Non est aliquis artifex, qui non offenderetur vltra modum, si de operibus suis tantū diiudicaretur, sicut iudicatur de operibus Dei. ¶ De prosperitate verò malorum & aduersitate bonorū, multū videtur murmurasse sancti. Vnde Iob 21. Quare impij viuunt, sublimati sunt, confortatíque sunt diuitiis, &c. Ierem. 12. Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & iniquè agunt? Et in Ps. Mei autem penè moti sunt pedes, quia zelaui super iniquos pacem peccatorum videns. Et Habacuc 1. Quare respicis contemptores, & taces conculcante impio iustiorē se? Et in Psal. Vsquequo peccatores Domine, vsquequo peccatores gloriabūtur? Et malachi. 3. Vanus est, qui seruit Deo: & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? Sed cessat murmur illud, si quis respiciat causam quare hæc fiant. Fidelis medicus ægro desperato vniuersa concedit quæ ipse appetit. Aegro verò, de cuius salute spes habetur, multa negat. Sic dominus reprobis abundantiā bonorū tēporaliū tribuit, vt si qua bona egerunt, in mūdo isto mercedē recipiāt. Et secundū Gregorium. Iste successus bonorum tēporaliū signum est æternæ reprobationis. Similiter secundum Greg. mactādi vituli in liberis pascuis relinquuntur, seruādus iugo premitur: ita mali per amœna prata ad foueam, bonus per aspera ad patriam venit. Omnia mala pœnæ sine murmure toleranda sunt, quia iusto Dei iudicio & ordinatione eueniunt. Eccl. 8. Non iudices contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est iudicat.

¶ *De murmure claustralium.*

SEQVITVR de murmure claustraliū. De quo specialiter tangemus, quia hoc peccatū multū infestat claustrales. Peccatū murmuris quādoq; fuit Iudæorū, sed modo dicitur esse monachorū. Notandū ergo, q̄ claustralis murmurās de cibo vel potu, deficit in ipso principio belli spiritualis. Principium belli spiritualis est cōtra gulā. Vnde super Mat. 4. dicit Gloss. In pugna Christi prius cōtra gulā agitur: quia nisi hæc prius refrænetur, frustra contra alia vitia laboratur. Talis claustralis in primo cōflictu dicit vltimū verbū siue malū verbū, ab ancilla deuict*, carne scilicet. Quod magna vilitas est. Hieron. Nihil vilius quàm à carne vinci. Cū de viro iusto cantetur: Ecce homo sine querela, verus Dei cultor. De tali claustrali dici potest: Ecce homo plenus querela ventris sui cultor. Tales enim nō domino Iesu Christo, sed vētri suo seruiunt,

uiunt, secundum verbum Apostoli ad Roma. 16. Ipsi de ventre suo Deum fecerunt. iuxta illud Philip. 3. Quorū Deus venter est. Dum verò murmur proferunt, quasi pater noster, Dei sui, scilicet ventris, dicunt. Ipsi etiā vasa vacua à gratia Dei se ostendunt, dum murmur in eis resonat, & dum ad ignem tribulationis crepant, satis apparet quòd aqua diuinæ gratiæ in eis non sit. Ad literam: olla vacua ad ignē crepat, & doliū vacuū multū resonat, plenum verò non sic. Isti enim debent, domino escam apponere cum grata salsa hilaritatis. Hilarem enim datorē diligit Deus, iuxta verbum apostoli 2. ad Cor. 9. Ipsi fel murmuris in escā eius ponunt pro salsa, vt verè dominus possit de eis dicere: Dederunt in escam meam fel, quasi non legerint de domino, quòd cùm gustasset acetum felle mistum, noluit bibere. Tales respiciūt retro sicut vxor Lot, & in statuam salis vertuntur. Statua videtur esse homo, & non est sic. Tales videntur monachi esse, & non sunt. Vnde Pastor in Vitis patrū: Qui querulosus est, monachus non est. Claustralis murmurans, est rota non bene vncta vnctione gratiæ: & ideo murmurat sicut rota carri. Vnde Eccles. 33. Præcordia fatui quasi rota carri. Claustralis etiam murmurans omne bonum claustri dat pro modico fœni ad opus iumenti sui. Omne bonum claustralium est pax. Vnde super illud, Pax super Israël. dicit expositor, omne bonum vno verbo dixit. Claustralis etiam murmurans intromittit se de hoc quod ad ipsum non pertinet. Ipse enim iam suus non est, sed Dei vel abbatis sui. Nec solum Dei est ratione creationis vel redemptionis: sed etiā ratione suæ redditionis. Vnde quādo se intromittit de se, de re aliena se intromittit. Vnde Bern. Qui curam vestri semel nobis cōmisistis, quid adhuc vos de vobis intromittitis? Claustrali murmuranti dicit dominus illud Ioan. vlt. Quid ad te? tu me sequere. ¶ Claustralis etiā murmurans, authoritate propria vult dispensare sibimet de cruce religionis, quam assumpsit, contra omnia iura. Bernard. Suspecta est mihi, fateor, tua ipsius dispensatio, & vereor tibi illudi sub tegmine & nomine discretionis à carnis prudentia. Claustralis etiam murmurans Christo postposito, discipulus factus est Galeni. Vnde Bernardus, Dominus docet perdere animas, Galenus & Hypocrates saluare: cuius consilio potius acquiescis? aut cuius vis esse discipulus? Idem: Puta te quæso monachum, non medicum: nec de complexione iudicādum, sed de professione. Claustralis etiam murmurans, quendam cæcum qui eum in foueam multoties præcipitauit, ducem sibi constituit. Iste cæcus est proprius sensus, qui in foueam peccati mul-

toties præcipitauit,quem tamen adhuc vult sequi.Talis claustralis ad Deum tergum vertit,& ad iumentum suum faciem, potius eligens voluntatem facere sui corporis,quàm Dei.Ipse etiam vult æquè abundanter victum & vestitum habere in præsenti,sicut illi qui nullam aliam retributionem expectant in futuro,quasi pro nihilo reputet terram desiderabilem quæ ei pro mercede danda est, cum tamen consuetudo communis habeat, quòd operariis, quibus magna merces soluitur,in vespere de victu non prouideatur: aliis autem,quibus alia merces in vespere non soluitur,prouidetur. Mirari debent qui vident claustralem murmurantem, quasi si viderent iumentum loqui,cum claustralis iumentum debeat esse,iuxta illud,Vt iumentum factus sum apud te.Vnde cum quidam volens ingredi religionem, quæreret à beato Bernardo, quid sibi maximè esset necessarium: ipse dixit eis, Vis esse asinus? Illo quærente, quomodo posset hoc esse: respondit,Qui vult esse in religione,debet quodlibet opus sibi iniunctum facere,indifferenter comedere.& is est modus asini.Sed in quibusdam claustris adeò assueti sunt huic monstruositati, quòd non pauent cum audiunt claustrales murmurare.Sicut dicitur de Balaam,quòd adeò assuetus erat monstris,quòd non expauit ad vocem asinæ.In vno casu videtur claustrali licitum murmurare, quando scilicet præcipitur ei aliquid voluntati diuinæ contrarium. In simili etenim casu asina Balaam murmurauit. Item cum murmur sit loquela veteris hominis, vetus autem homo mortuus debet esse in claustro: mirandum est de murmure claustralium, ac si mortui homines loquerentur.Claustralis debet esse mortuus mundo,& iam habet sudarium indutum. Habitus enim claustralium sudarium eorum est, cum in eo sepeliantur. Monachi etiam cum benedicuntur, non debent loqui per nouem dies, in signum quòd mortui sunt:ideo murmur omnino longe deberet esse à claustralibus, quicquid eis fieret,sicut à mortuis hominibus.

¶ *De quatuor remediis contra peccatum murmuris.*

SEQVITVR de remediis contra peccatum murmuris.Et possumus contra hoc peccatum quatuor remedia assignare. ¶ Primum est exemplum Christi. Vnde August. Omnia terrena contempsit homo Deus,vt ab omnibus contemnenda monstraret,& omnia aduersa sustinuit,vt sustinenda doceret,vt nec in illis quæreretur felicitas, nec in istis timeretur aduersitas. ¶ Secundum remedium est,quod homo cogitet murmur quod fit de malo pœnæ alicui illato, murmur esse contra Deum, cùm omne malum pœnæ à Deo sit.Vnde Exo.16.Non contra me murmur est istud, sed

sed contra Dominum. Et Num.14. Vsquequo multitudo pessima murmurat contra dominum? Ideo quicquid infertur à persecutoribus, patienter tolerandum est, & potius debet homo habere oculum ad Deum,qui habet persecutorem in manu sua, quàm ad ipsum persecutorem. Cuius formam dedit nobis Dominus in cruce, quando dimissis persecutoribus dixit: Deus meus, Deus meus,vt quid dereliquisti me?Matt.27.Vnde super illud,Timeat dominum omnis terra.dicit Aug.Si creaturę seruiant,Deum time, non illas:quia omnia sub ipso sunt.Item glo.Cupiditatem nocendi per te habes, potestatem autem nocendi, si ille non dat, non habes.Ideo Deus homo ante hominem stans ait Ioan.19.Non haberes in me potestatem, nisi esset tibi datum desuper. Nec etiam ipse diabolus vel vnam ouiculam potuit tollere viro sancto Iob, nisi prius diceret, Mitte manum tuam: hoc est, da potestatem. ¶ Tertium remedium est,quòd homo cogitet intentionem, qua Deus permittit filios suos aduersitatibus flagellari.Qui enim magnum amorem cogitaret, ex quo dominus filios suos flagellat, ipse non murmuraret.Vnde Greg.Ille solus de flagello murmurat,qui causam percussoris ignorat.Et Apoc. 3. Ego quos amo,arguo & castigo. ¶ Quartum remedium & præcipuum est gratia Dei. Cùm enim murmur prouenit ex defectu cælestis vnctionis in corde hominis, summum remedium est postulare vnctionem cælestis gratiæ,vt faciat murmur istud cessare,& non vnctionem carnalis voluptatis, quæ licet ad tempus murmur cessare faciat, tamen in posterum magis reddit querulosum. vnde ab Hebr.vlt. Optimum est gratia stabilire cor,non escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Æquè de facili posset homo impetrare à Deo gratiam per quam talia contemneretur,si quis ex corde eam peteret,sicut ab homine ea pro quibus murmurat.Sen.Quare potius impetrem à fortuna quod det,quàm à me ne petam?

De defensione proprij peccati,& de his quæ possunt valere ad eius detestationem. CAP. III.

SEquitur de tertio peccato linguæ, scilicet de defensione proprij peccati,quo vitio multum laborat humanum genus.quod figuratum est Gen.3. vbi legitur de parentibus nostris,quòd cum cognouissent se esse nudos,consuerunt folia ficus,& fecerunt sibi perizomata. ¶ Ad detestationem huius peccati,Primo possunt valere verba sacræ scripturæ dissuadentia illud ad Rom.12. Non vosmetipsos defendentes charissimi. Et super illud, Nolite exaltare cornu. dicit Gl. Si iam feciſtis iniquitatem per cupiditatem, non defendatis per elationem. ¶ Secundo possunt facere ad hoc

exempla sanctorum, qui culpabiles se agnoscunt, vbi etiam culpabiles non sunt. Greg. Piarum mentium est, ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Prouerb. 18. Iustus prior est sui accusator. Et Gen. 27. Iacob qui lenis erat, nuda colli & manus pellibus hœdinis texit: in signum, quòd vir iustus etsi innocens sit, peccatorem tamen se debet reputare. Et Genes. 44. Scypho inuento in sacco Beniamin, Iudas qui tenet figuram confessionis, accusauit se, licet sine culpa esset de illa re, dicēs ita: Quid respondebimus domino nostro, &c. & subdit: Deus inuenit iniquitatem seruorum suorum. Ille etiam qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, signa peccati habere voluit. Voluit enim circuncidi, & cum iniquis reputari. ¶ Tertio potest valere ad hoc, si ostendatur quanti meriti sit humilis confessio & accusatoria. Vnde Gregor. Non minus admiror humillimam confessionem peccatorum, quàm sublimia gesta virtutum. Item in Psal. Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Prouer. 15. Responsio mollis frangit iram. Mollis responsio, est suiipsius accusatio, quæ multum frangit iram Dei. Item super illud, Iniustitias meas non abscondi, &c. dicit gl. Quando homo detegit, Deus tegit: cum homo tegit, Deus nudat: cum homo agnoscit, Deus ignoscit. Item latro regnum in cruce meruit, quia se accusauit. Vnde Augustinus loquens de illo verbo, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei, dicit: Latro in cruce quare meruit? quia illam viam tenuit, vbi ostenditur salutare Dei, à qua tibi pes non exeat. In eo enim quòd se accusauit, Deum laudauit. & super illud: Veritas de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit. dicit Augustinus, quasi diceret Deus, Parcamus ei, quia non parcit sibi: ignoscamus ei, quia non ignoscit sibi. ¶ Quarto, potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd peccatum istud multum impedit peccatorem: non enim vult Deus à peccatis suis liberare illum qui defendit ea. vnde Augustinus: Tu factus es peccati tui defensor, quomodo erit Deus liberator? Vt sit ipse liberator, & tu esto accusator.

¶ *De stultitia illius, qui peccatum suum defendit.*

QVINTO potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur multiplex eius stultitia, qui peccatum suum defendit. Et primo stultus est talis, quia ipse defendit pessimum hostem quem habet. ¶ Peccatum ostenditur esse pessimus hostis, quem homo habeat, ex hoc quòd nullus alius hostis, nec homo, nec diabolus potest nocere homini, si ab hoc hoste sibi cauerit. Gregor. Nulla

Nulla enim nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas. ¶ Secundo verò stultus est, qui defendit peccatum suum: quia cum abyssus miseriæ abyssum inuocet misericordiæ, ipse debuit miseriam suam plenè exprimere, vt amplius misericordiam Dei posset mouere: ipse verò miseriam attenuat, quasi nolit quòd miseria sua misericordiam Dei moueat. Non sic faciunt pauperes qui eleemosynas volunt impetrare, imò paupertatem & infirmitatem, si quam habent, hominibus denudant. ¶ Tertio, stultus est, quia non vult manifestare in curia misericordię peccatum suum, & reseruat illud in foro iustitiæ, vbi manifestabitur ad pœnam quod non vult manifestare ad veniam. ¶ Sexto, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur in illis magna peruersitas qui peccata sua defendunt. Peruersitas verò eorum patet ex hoc, quòd illud quod Deus persecutus est vsque ad mortem propriam, scilicet peccatum, sicut ostensum est in principio Summę, ipsi defendere volunt ad læsionem propriæ conscientiæ, & vsque ad offensam: cum tamen omnes creaturæ peccatum debeant persequi tanquam opus diaboli, & tanquam illud quod solum indecens est, in mundo isto. ¶ Septimo, potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur ingratitudo eorum, qui peccatum suum defendunt. Ingrati vero omnes tales sunt Dei misericordiæ & bonitati, dum beneficium ipsius volunt attenuare. Bonitatis diuinæ beneficium attenuat, qui culpam suam diminuendo beneficium remissionis quodammodo diminuit. Vnde in Spiritum sanctum videtur peccare, cui bonitas attribuitur. Ad detestationem etiam huius peccati potest facere hoc, quòd illi, qui peccata sua defendunt, in culpa sua ipsum Deum inuoluere volunt. vnde super illud Gen. 3. Vocem tuam audiui in paradiso. dicit Gregor. Proprium est, peccantibus Deo velle attribuere. vnde accusantur, quod inde est, quia sic peccauit homo, cum vellet esse par Deo, liber scilicet sicut ille ab omni dominio: quoniam ergo illi in maiestate par esse non potuit, in peccato sibi parem eum facere contendit: imò vult eum ostendere nocentem, se autem innocentem. & super illud: Nolite inique agere. dicit glossa: Malum est peccare, & peius est perseuerare, perniciosius est, in Deum defendendo culpam suam proiicere. Ad detestationem etiam huius peccati videtur facere, quòd Dauid videtur specialiter petere custodiam ori suo, propter peccatum istud. vnde in Psal. Pone custodiam ori meo, & subdit: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis. Non declines, id est, declinare non permittas. Excusationes vero in

pecatis dicuntur verba malitiæ: vel quia sunt contra bonitatem Dei, dum beneficium Dei volunt attenuare: vel quia ille qui excusat se, Deum vult infamare, dum culpam suam in Deum nititur refundere: vt Adam Genes.3. quando dixit domino: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. & quia ipse defendit quod omnes persequi deberent, peccatum scilicet.

¶ De diuersis modis excusandi peccatum.

Et notandum quòd multis modis solent homines peccatum suum excusare vel defendere. Alij propter infirmitatem carnis, contra illud Eccl.5. Ne dederis os tuum, vt peccare facias carnem tuam. Alij multitudine peccantium, iuxta illud Eccl.32. Peccator homo vitabit correctionem, & secundum voluntatem suam inueniet comparationem. Illis verò, qui se excusant in multitudine peccantium, dici potest illud: Non minus ardebunt qui cum multis ardebunt. Imo maior ignis erit secundum quod plura ligna erunt in igne: quia secundum ligna syluæ exardescet ignis, vt legitur Eccl. 28. Contra hunc modum excusationis est illud Exod. 33. Non sequeris turbam ad faciendum malum. Turbam sequitur qui eam imitatur. Et Eccl.7. Ne pecces in multitudine ciuitatis. Alij verò excusant se per nobilitatem suam, qui magnum decus faciunt nobilitati suæ, quando rei vilissimæ & immundissimæ de ea scutum faciunt. Immundissima res est peccatum. Turpius est nobilitate sua peccatum defendere, quàm si aliquis miles clypeo suo vile sterquilinium protegeret. Alij vero excusant se per iuuentutem suam, qui videntur dicere, quòd iuuentutem suam à diabolo teneant, cum credant diabolo in iuuentute esse seruiendum.

De peccato periurij, & de duabus speciebus eius. CAP. IIII.

Sequitur de peccato periurij. Et notandum quòd duæ sunt species periurij. Vna est iuratio peruersa, alia est iuramenti liciti transgressio. Ad detestationem verò secundæ speciei periurij notandum est, quòd ille qui iuramentum licitum facit, ipse quasi laqueum ad collum suum ponit. iuxta illud Prouer. 6. Illaqueatus es verbis oris tui, & captus propriis sermonibus. Quando vero iuramentum licitum transgredietur, ipse laqueo illo quasi propriis manibus se strangulat. Potius expediret ei quòd solummodo contritus esset, & quòd laqueo ad collum suum posito ipse strangularetur, quàm quòd iuramentum licitum transgrederetur.

¶ De duodecim quæ debent retrahere hominem à peccato periurij.

De

De alia verò specie iuramenti notandum, quòd xii. sunt quæ deberent homines cohibere à peccato illo. ¶ Primum est, quòd ille qui scienter peierat, in primo periurio suo manum illam diabolo dat, qua ipse tangit Euangelium, vel qua tangit manum illius cui iurat, & donec ipse pœniteat de periurio illo, manus illa diaboli est, & quandocunque se manu ista signat, hoc facit manu diabolica, & cibus, quem manu illa signat, manu diaboli signatur. ¶ Secundum est hoc, quia cum alia peccata fugiant, & quasi timeant res sacras, peccatum periurij non timet eas, sed illis appropinquat. Si quis vult fornicari, si est intra ecclesiam, ipse exit inde, si est in cœmeterio, ipse exit inde, si propinquus est cœmeterio, vel ecclesiæ, elongat se ab eis. Ille vero qui vult peierare, intrat ecclesiam, si ipse erat extra, intrat ad altare & committit peccatum periurij, quandoque super altare, quandoque super Euangelium, quandoque super ipsum corpus Christi, quod horrendum est dictu. Mirum est quomodo ipsa terra eum non absorbet, vel quomodo angeli qui assistunt circa corpus Christi eum non perimunt. Ipse etiam diabolus timet res sacras, & quasi reueretur, quod non facit ille qui periurat. ¶ Tertium est hoc, quòd ille qui peierat, fur & sacrilegus esse videtur. Contrectat enim rem alienam inuito domino, & rem sacram, quia nomen domini sanctum assumit contra prohibitionem illam Exod. 20. Non assumes nomẽ Dei tui in vanum. ¶ Quartum est hoc, quòd ipse falsarius est. Si quis sigillo alicuius domini sibi commisso ad confirmandam aliquam veritatem, vteretur ad aliud confirmandum, ipse falsarius iudicaretur. Et si faceret hoc de sigillo domini Papæ, ipse esset excommunicatus ipso iure, nec posset absolui ab episcopo suo. Sic quum Deus permiserit hominibus vt assumant nomen suum ad confirmationem veritatis, si vtantur nomine ipsius ad confirmationem falsitatis, ipsi falsarij sunt, & quo ad Deum excommunicati excommunicatione illa quæ dicitur 1. ad Corin.16. Si quis non amat dominum Iesum Christum, anathema sit. ¶ Quintum est hoc, quòd ille qui scienter peierat, ipse præter morem aliorum peccãtium vult Deum inuoluere in peccato suo. Cum enim iurare, secundum Augustinũ, sit Deum in testem adducere, cum ipse iurat falsum, ipse vult adducere Deum ad testificandum falsum. Talis inquantum in se est, vult maius malum facere Christo, vt videtur, quàm eius crucifixores. Ipsi enim intulerunt Christo tantùm malum pœnæ. Ipse verò vult eum inuoluere in malum culpæ, quod deterius est. Ipse vult facere reputari Deum deceptorem, dum in nomine eius quasi per manum

num eius, vult homines seducere, quod genus peccati non legimus commissum fuisse etiam à diabolo, licet diabolus mendax sit, & pater eius. & per mendacium homines seducat: non tamen legimus quòd ipse iuramentum mendacio addat, vt melius possit seducere, sicut faciunt illi qui peierant. ¶ Sextum est hoc, quòd cum in nomine Iesu flectatur omne genu cęlestium, terrestrium, & infernorum: vt legitur ad Philip. 2. ille qui peierat, quum in nomine Iesu Christi contumeliam Deo faciat, deterior videtur esse illis, qui in inferno sunt, qui in nomine eius genu flectere dicuntur. ¶ Septimum est hoc, quòd cum homo per hæc torqueatur per quæ peccat, & talis in nomine domini peccet, ipse in nomine domini merito punietur: vt cum illud inuocauerit, non exaudiatur, & cum ad illud fugerit, non protegatur, quum aliis hominibus nomen domini refugium sit: iuxta illud Prou. 18. Turris fortissima, nomen domini: ad ipsam currit iustus, & saluabitur. ¶ Octauũ est hoc, quòd periuriũ enumeratur inter ea, quæ dominus odit, Zach. 8. vbi sic legitur: Vnusquisque malum contra amicum suum ne cogitetis in cordibus vestris, & iuramentum mendax ne diligatis: omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit dominus. ¶ Nonum est maledictio, quę est super periuros, & in præsenti, & in futuro. vnde Zacha. 5. Vidi hominem, &c. Et subditur: Et dixit ad me dominus. Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur. Et omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Educam illud, dicit dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius & lapides. ¶ Decimum est hoc, quòd peccatum istud replet hominem iniquitate. vnde Eccl. 23. vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. In fine huius verbi tangitur pœna periurorum in præsenti. ¶ Vndecimũ est hoc, quòd periurus perdit Deum, dum iurat. Perdit etiam iustitiam siue fidem suam. Repellitur enim post periurium à testimonio: claudit etiam sibi ingressum regni cælestis. Vnde in Psalmo: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius? Et subditur: Qui non iurauit in dolo proximo suo. Ibi per contrariũ innuitur, quòd ille qui iurat in dolo proximo suo, non intret. ¶ Duodecimum est hoc, quòd Sacra scriptura propter magnum periculum periurij, adeo dissuadet iuramentum, quòd quibusdam visum est, quòd iuramentum omnino prohibeat. vnde Matt. 5. Ego autem dico vobis non iurare, neque per cælum neque per terram, &c.

Septem

¶ *Septem quæ sacra scriptura dissuadet circa iuramentum.*

Et notandum quòd circa iuramentum septem dissuadentur in sacra scriptura. ¶ Primum est, appetitus iurandi, siue affectio. vnde Iaco. 5. Ante omnia fratres mei nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque per aliud quodcũque iuramentũ. Sit autem sermo vester, est, est, non, nõ, vt non sub iudicio decidatis. Secundum est assiduitas iurandi. vnde Eccle. 23. Iurationi non assuescat os tuum. Multi sunt casus in illa. Et iterum: Nominatio Dei non sit assidua in ore tuo. ¶ Tertium est, iurare ex leui causa vel nulla. Vnde Deut. 5. Non vsurpabis nomen Dei tui frustrà: quia non erit impunitus qui super re vana illud assumpserit. Tria alia, quæ dissuadentur circa iurantem sunt, falsitas eius quod iuratur, subita iuratio, & iuratio iniusta, qua per oppositum innuitur Ierem. 4. vbi sic legitur: Iurabis, Viuit dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia. ¶ Septimum est, iurare per creaturas. vnde Matthæi quinto, Ego autem dico vobis non iurare omnino: neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum eius est. Ideo autem dissuadetur iurare per creaturas, ne assiduitate sic iurandi labantur homines in idololatriam.

De peccato mendacij. CAP. VI.

Sequitur de peccato mendacij. De quo hoc ordine dicemus. Primo dicemus quid sit mendacium, & ponemus ea quæ possunt valere ad detestationem huius peccati. Secundo tangemus aliquid de diuersis diuisionibus mendacij.

¶ *Quid sit mendacium secundum Augustinum, & de his quæ faciunt ad eius detestationem.*

Est autem mendacium secundum Aug. falsa significatio vocis cum intentione fallendi. ¶ Ad detestationem huius peccati, Primo possunt valere verba sacræ scripturæ quę dissuadent nobis mendacium. Vt est illud Eccl. 4. Ne accipias faciem aduersus faciem tuam, nec aduersus animam tuam mendacium. Facie aduersus faciem suam accipit, qui veritate exclusa à corde suo, quæ est Dei similitudo, falsitatem, quæ diaboli est facies, assumit. & Eccl. 7. Noli amare mendacium. & post in eodem cap. Noli velle mentiri omne mendacium. ¶ Secundo potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd peccatum istum est diabolicum. Primum enim mendaciũ dixit diabolus, Gen. 3. Nequaquam moriemini. vnde Io. 8. legitur de diabolo: Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quia mendax est & pater eius. Ipse est pater mendacij, quia primus inuentor est, & pater eius, scilicet homi-

nis

nis mendacis. Homo enim mendax, filius est diaboli imitatione. Io. 8. Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. ¶ Tertio potest valere ad detestationem huius peccati hoc quòd peccatum istud membrum inquinat, in quo magis est indecens immunditia, scilicet os. Reddit enim illud abominabile Deo. Vnde Prouerbiorum duodecimo: Abominatio est domino labia mendacia. Si quis os suum apertum haberet muscis & aliis rebus immundis quęcunque vellent ibi intrare, & permitteret ea ibi nidificare, os eius abominabile esset hominibus. Sic os mendax est abominabile Deo, cum immunditia mendacij multo amplius displiceat Deo, quàm immunditia muscarum vel similium rerum. ¶ Quarto, potest valere ad detestationē huius peccati hoc, quòd peccatum istud hominē falsum reddit: quātum prævalet bonus denarius denario falso, tantum pręualet homo verax homini falso & mendaci. Vnus bonus denarius valet centum falsos, & vnus homo verax centū mendaces. Vnde multum melioraret se aliquis, si remoto peccato mēdacij vera de cætero loqueretur: quia cui non displiceat si aliquem de denarijs suis inueniret falsum? quis est, qui non potius velit habere denarios bonos, quàm falsos? Sed de seipsis non dolent miseri homines, quando seipsos falsos inueniunt, & potius se volunt esse falsos, quàm veros. In quo apparet cæcitas eorum qui amplius amāt denarium vnum quàm seipsos. ¶ Quinto potest valere ad destationem huius peccati hoc, quòd mendacium est quasi quoddā venenum, quod tantæ efficaciæ est, quòd in ipso ore existens hominem interficit: iuxta illud Sap. 1. Os quod mētitur, occidit animā. Vnde mirū est quomodo miseri homines non timent quū venenum istud in ore sentiunt. Peius est venenū istud veneno materiali: sicut causa deterior solet esse suo effectu. Mendacium enim quod fuit in ore serpentis, occasio videtur fuisse veneni quod in ore habet serpēs. ¶ Sexto potest valere ad detestationē huius peccati, hoc quòd omnis mentiens proditor est. Vult enim quòd ille cui mentitur, fidē sibi adhibeat: fidem tamen ei non seruat, imò vult eum decipere. ¶ Septimo potest valere ad detestationē huius peccati magnitudo ipsius, quæ insinuatur nobis. Eccles. 20. vbi sic legitur: Potior est fur, quàm, assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt. Ideo videtur esse peior qui assuetus est mendaciis, quā fur: quia fur nocet corpori: ille autem qui mētitur, nocet animę, dum eam in errorē inducit. Item appetitus malus qui est in furore, quo ipse appetit rem alienā, est appetitus rei bonę: sed appetitus eius qui mentitur, est appetitus rei malę. Fur enim suū bonum temporale quęrit, sed mentiens alienum malum, scilicet errorem proximi. Vnde peccatum mēdacij, peccatum diabolicū est, & peccatū malitiæ: & numeratur à Salomone inter peccata quæ odit dominus, Prouer. 6. vbi sic legitur: Sex sunt quæ odit Deus, & septimū detestatur anima eius, Oculos sublimes, linguam mendacem &c. Si ergo qui in furto deprehēderetur, erubesceret, sic erubescere deberet, si mendacium eius deprehenderetur. Hoc autem quod dictum est, quod & fur & mendax perditionem hæreditabunt: non est intelligendū de quocunque mendace, sed de illo qui dicit mendaciū pernicioſum & nociuum: & ad eandem speciem mendacij referendum est quod dictum est prius, Os quod mentitur, occidit animam. & illud Psal. Perdes omnes qui loquuntur mendacium. ¶ Octauo potest valere ad detestationem huius peccati pœna qua punitur peccatum istud. De qua habetur Prou. 20. Suauis est homini panis mendacij, & os eius implebitur calculo. De pœna etiam mendacij habetur Act. 5. de Anania, vbi sic ait Petrus: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit. ¶ Nono potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod peccatum istud valde nociuum est ecclesiæ Dei. Facit enim vt vix alicui fides adhibeatur. Hieronymus: Mendaces faciunt vt vera dicentibus non credatur: vnde propter mendacia hominum multiplicantur iuramenta & periuria. Lingua hominis mendacis est velut arcus diaboli, oculos interiores filiorum Dei sagittans. vnde Ierem. 9. Extenderunt linguam suam quasi arcum mendacij, & non veritatis. & ibidem: Sagitta vulnerans lingua eorū. ¶ Decimo potest valere ad detestationē huius peccati, si ostendatur quanti meriti sit abstinere ab hoc peccato: ad quod pertinet quod in Vitis patrū legitur de quodam eremita, qui visitatus est ab aliis eremitis delatis illuc per fluuium ministerio angelorum: qui dixit illis quærentibus aliquid de eius conuersatione: Hoc custodiui ex quo conuersus sum, quòd nunquam mendacium de ore meo procederet, nec postposui amorem cælestium terreno amori: sed nec gratia domini in his mihi defuit: quicquid petij à domino, sine mora consecutus sum. & infra triduum, sicut ipsi præuiderunt, mortuus est, & anima eius ab angelis, ipsis videntibus, recepta est. Magni meriti sciebat Salomon esse à mendacio cauere, cum hoc petiit Prou. 30. Vanitatem & verba mendacij longe fac à me. ¶ Vndecimo potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd homines assueti huic peccato in opprobrio magno sunt. vnde Ecclesiast. 20. Opprobrium magnum in

in homine, mendacium. & pòst ibidem: Mores hominum mendacium sine honore, & confusio illorum cum ipsis sine intermissione. & Eccles. 4. Non contradicas verbo veritatis vllo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere. ¶ Duodecimo potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd grauiter vulneratur, qui cadit in peccato isto. vnde Eccle. 20. Lapsus falsæ linguæ quasi qui in pauimento cadit. Multum videtur esse corruptus mentiens, cui potius placet quod non est, quàm quod est: & multum videtur habere oculos cordis infirmos, cum tenebræ falsitatis ei placeant, & lumen veritatis ei displiceat. Corruptionem hominis mendacis insinuat Aug. super illud Psalm. Perdes omnes qui loquuntur mendacium, sic dicens: Merito perditur mentiêns, quia declinat ab eo quod est ad id quod non est.

¶ De diuisionibus mendacij.

SEQVITVR de diuisionibus mendacij, quæ multæ sunt. Prima est in octo membra siue octo species, quas ponit Augu. in lib. de mendacio. ¶ Prima species est, mendacium in doctrina religionis, quod est contra fidem vel bonos mores. Hoc summè fugiendum est, ad hoc nulla causa quisquam habet adduci. Secunda est, quòd nulli prodest, & alicui obest. Tertia est, quòd vni prodest, & alij obest. Quarta est, quòd sit sola mentiendi fallendique libidine: quod est mirum mendacium, sicut dicit beatus Aug. Quinta, quòd fit cupiditate placẽdi de suaui eloquio. Sexta quòd nulli obest & alicui prodest ad pecuniam eius seruandam. Septima, quòd nulli nocet, & alicui prodest ad vitam corporis seruandam. Octaua est, quòd nulli obest, & ad hoc prodest vt ab immũditia corporis aliquem tueatur. Tres primæ species mẽdacij sunt mortalia peccata, si cum deliberatione dicantur. Quinque aliæ venialia sunt peccata, nisi assit aliqua circunstãtia quæ ea mortalia faciat. ¶ Alia autẽ diuisio mẽdacij diuiditur in tres species, scilicet mendaciũ pernicioſum, & iocoſum, & officioſum siue benignũ. Primũ mẽbrum huius secũdæ diuisionis continet tria prima mẽbra primæ diuisionis. Secundũ vero mẽbrũ continet quartum & quintũ. Tertiũ autem membrũ huius diuisionis cõtinet vltima tria mẽbra primæ diuisionis. ¶ Tertia autẽ diuisio mendacij est, in mendaciũ principalis assertionis, & mẽdaciũ falsi testimonij.

¶ De his quæ possunt valere contra falsum testimonium.

Ad detestationẽ vero falsi testimonij aliqua addere possumus, licet ea quæ priùs dicta sunt ad detestationẽ mẽdacij, ad idẽ possint referri. Notãdũ ergo q̃ cõtra peccatũ falsi testimonij, Primo possunt valere verba sacræ scripturæ quæ istud dissuadẽt: vt est illud Exo. 29. Non loqueris cõtra proximũ tuũ falsum testimoniũ. Et eiusd. 23. Nõ iunges manũ tuã, vt pro impio dicas falsum testimoniũ. ¶ Secũdo possunt valere ad idẽ cõminationes, quas Sacra scriptura facit falsis testibus: vt est illud Prou. 19. Testis falsus nõ erit impunitus, & qui loquitur mendacia peribit. & Pro. 21. Testis mẽdax peribit. ¶ Tertium est hoc peccatum quod multum nocium est. Nocet enim Deo, nocet iudici, Nocet ei cõtra quẽ testimonium fertur. Vnde Aug. Falsus testis tribus personis est obnoxius. Primum Deo, cuius præsentiã cõtemnit. Deinde iudici, quẽ mẽtiendo fallit. Postremo innocẽti, quẽ falso testimonio lædit. vnde falsus testis licet septennẽ pœnitentiã egerit de falso testimonio, nondum tamen liberatus est, donec ipsi satisfecerint pro posse suo, qui rẽ suam pro falso testimonio amisit. Testis iniquus deridet iudicium: vt legitur Prou. 19. & ideo in extremo iudicio merito deridebitur: quia per quæ peccat homo, per hæc & torquetur. Sap. 11. ¶ Quartum est hoc, q̃ ipse vendit dominum. vnde super illud Matt. 26. Tunc abiit Iudas, &c. dicit glos. Multi hodie sunt qui factum Iudæ execrãtur, & idẽ faciunt, nã cum pro munere falsum testimonium dicunt, quia veritatẽ negãt, Deum qui veritas est, vẽdunt. Et notãdum q̃ qui vult à peccato mẽdacij cauere, oportet, q̃ peccatũ cupiditatis à se repellat: ex peccato enim cupiditatis mẽdacia procedunt, vt patet in mercatoribus. Vnde Cain qui inter homines primus legitur mẽdacium dixisse, Gen. 4. Nescio domine: nunquid custos fratris mei sum &c. interpretatur possessio. Cupiditas etiam causa fuit, q̃ Ananias & Saphira Petro mẽtiti sunt. Timorẽ etiã humanum oportet remouere, qui vult cauere à mendacio. Hac de causa Petrus dominum negauit.

De peccato detractionis. Et de duodecim quæ possunt valere ad eius detestationem. CAP. VI.

PRimo dicemus de peccato eorum qui detractiones proferũt. Secundo de peccato eorum qui libenter eas audiunt. Tertio vero tangemus aliquid de impatientia eorum quibus detrahitur. Circa primum primo ponemus ea quæ possunt valere ad detestationem detractionis. Secundo tangemus de diuersis speciebus detractionum. ¶ Notãdum ergo q̃ duodecim sunt quæ possunt valere ad hæc verba Sacræ scripturæ, quę nobis hoc vitium dissuadent. De quibus pauca ponemus. Dissuadetur autem nobis hoc vitium Leuit. 19. vbi sic legitur: Non maledices surdo, nec coram cæco pones offendiculum: sed timebis dominum Deum tuum. Ad literã, valde impium est surdo maledicere, quum ipse nõ audiat: nec contra obiecta aliquid possit respondere. Valde etiam

impium est coram cæco ponere offendiculũ,quum ille nõ videat nec possit sibi cauere. Sed secundum glo. surdo maledicit,qui absenti detrahit. Homo absens minus potest audire detrahentem, quàm si surdus esset. Surdus enim quandoque audit,quando altè sibi clamatur: absens verò qui quandoque per duas leucas distat, vel amplius,non audit detrahentem quantũcunque clamet. Detrahens etiam ponit offendiculum corã cæco, dum illi, qui eum auscultat, qui cæcus est,vel quia simplex est,vel quia non cognoscit personã cui detrahitur,narrat alienum factũ,vnde ipse scandalizatur. vnde detractor impiè agit & proditiosè tã in eum cui detrahit,quàm in eum corã quo detrahit. Itẽ dissuadetur hoc vitium pòst eodẽ cap. vbi sic legitur, Non eris criminator, nec susurro in populis. Criminator idem est ꝙ detractor,quia in alieno crimine delectatur. Item Leuit.7. Sanguinẽ omnis animalis non fumetis in cibum. Item Leui.3. Nec sanguinem,nec adipẽ omnino comedetis. Sanguinem comedit detractor, qui in peccato alterius delectatur. Deut.12. Caue ne sanguinem comedas. & Eccl. 5. Non appelleris susurro in vita tua,& lingua tua ne capiaris. & Iaco.4. Nolite detrahere, &c. Bern. Noli esse alienæ vitæ, aut temerarius iudex, aut curiosus explorator. ¶ Secundo potest valere ad detestationem huius peccati, si diuersis generibus rerum detractor comparetur.

¶ Quibus comparetur detractor.

NOTANDVM quòd detractor comparatur cani. vnde Matt. 7. Nolite sanctum dare canibus, &c. & Eccl. 19. Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti. Canis sagittam habens infixam femori, non quiescit donec remouerit: nec stultus quiescere potest, donec verbum malum quod de proximo audiuit, alij retulit. Detractores etiam sunt canes gregem diaboli custodientes, non permittẽtes etiam vnam ouiculam inde auferri quin lacerent, vel deridendo, vel aliter ostendendo. Canes isti non solum carnes comedunt, sed etiã ossa rodunt: quia nõ solum carnalibus hominibus detrahunt, sed etiam spiritualibus. Specialiter autem detractores similes sunt canibus qui in macello morantur, qui sanguini insidiantur & sanguinolenta habent labia. Vnde ad eos pertinet illud Prou.1. Insidiemur sanguini. Detractor etiam porco comparatur, quia ad modum porci ori suo non parcit ab immunditia, sicut nec pedi suo, nõ aduertens illud quod dicitur Sap. 1. A detractione parcite linguæ. Qui non vult parcere ei cui detrahit, saltem deberet parcere propriæ linguæ quam inquinat, dum per immunditias aliorum peccatorum eam trahit. Porcus si hortũ intret vbi ex vna parte flores videat, & ex alia stercora, floribus neglectis ad stercora currit, & ea in ore suo ponit. Sic detractor si videat in aliquo aliqua imitatione digna, quæ velut flores sunt, & ex alia parte aliqua reprehensibilia, ipse versat in ore suo reprehensibilia: de his verò quæ sunt imitatione digna quæ velut flores sunt, non curat. Propter hanc immunditiam quæ est in detractoribus, voluit eos excludere Aug. à mensa sua. Vnde legitur habuisse hos duos versus scriptos in mensa sua, sicut habetur in glo. super illud Prou. 24. Cum detractoribus ne commiscearis, &c. Quisquis amat dictis absentum carpere vitam, Hanc mensam indignam nouerit esse sibi. Multum immunda iudicauit ora detractorũ Aug. qui præ cæteris peccatoribus eos exclusit à mensa tua. Detractor etiam comparatur serpenti. Vnde Eccles. 10. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit. Assimilatur detractor serpenti in his proprietatibus. Serpẽs est animal proditiosum, silentio mordens, tortuosè incedẽs, terram comedens. Sic detractor proditor est. Illos enim mordet retro, quos dum sunt præsentes, amare se simulat, nec detrahit nisi vbi de silentio confidit: & sicut ad literam serpentes verbis & tumultibus hominum deterrentur: sic detractor timet, quando videt venire eum, cui detrahit. Tortuosè etiam incedit detractor, dum à laude eius incipit, cui vult detrahere. Rectitudinem etiam suæ attentionis prætendit, dicens: Non dico hoc animo detrahendi. Et, vt ei fides adhibeatur, dicit se multũ amare eum, cui detrahit. Terram etiam ad modum serpentis comedit: quia quod terrenum & infirmum est in homine, hoc in ore suo versat. De his serpentibus legitur Deuteron. 32. Dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram atque serpentium. & Ierem. 8. Ecce ego mittam vobis serpentes pessimos, quibus non est incantatio. Item homines assueti detractioni, vix corrigũtur. Vnde Ecclesia. 23. Homo assuetus verbis improperij, omnibus diebus vitæ suæ non erudietur. Bernar. Nunquid vipera est lingua quæ tres interficit flatu vno? Lingua detractoris tres interficit simul vno verbo, scilicet se, & eum qui audit quando consentit ei; quandoque etiam eum cui detrahitur, quando peruenit ad eius notitiam. ¶ Detractor etiam monstrum est, in ore gladios habens. Vnde ad detractorem pertinet illud Prouerb. 30. Est generatio quæ pro dentibus gladios habet. & illud Psalm. Filij hominum dentes eorum, arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. & iterum, Gladius in labijs eorum, quoniam quis audiuit. Bernard. Gladius triceps lingua detractoris. Nec huius-

modi linguâ mucrone illo, quo Dominicum latus cõfossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit etiam hoc corpus, nec iam exanime facit. Ipsis etiam spinis & clauis nocentior est, quos ei Iudæus infixit: nisi enim corporis sui vita vitam istius corporis pertulisset, nunquam illud pro isto mortis iniuriæ tradidisset. ¶Detractor figuratus est per illam bestiam, de qua legitur Daniel.7. quæ similis erat vrso, & habebat tres ordines dentium. Vrsus etsi homini similis sit, tamen homo non est. Sic detractor etsi exterius videatur esse homo, tamen verè homo non est, quum sanguine humano pascatur. In tribus verò ordinibus dentium figurari possunt tres modi, quibus detractor proximum lacerat. Lacerat enim eum bona opera aperta minuendo, occulta negando, falsa crimina imponendo. ¶Detractor etiam comparatur sepulchro patenti, de quo fœtor incessanter exhalat. vnde in Psalm. Sepulchrum patens est guttur eorum. Nullum sepulchrum ita fœtet in conspectu hominum, sicut os detractoris in conspectu Dei. Sapiens: Non refert his gartionibus, an à superiori an ab inferiori intonent, quia non minus à superiori quàm ab inferiori fœtent. Tantus est fœtor in ore detractorum, vt ex fœtore illo multi moriantur. Aliqui tamen adeo fœtidi sunt, quòd fœtorem istum non sentiunt. Bernard. Vbi omnes fœtidi sunt, vnius fœtor minimè sentitur. ¶Detractor etiam comparatur mulieri prægnanti, quæ cum dolore conatur ad emissionem partus. vnde Eccles. 19. A facie verbi parturit fatuus, tanquam gemitus partus infantis. Videretur detractori quòd dirumperetur, nisi verbum malum auditum de proximo emitteret. Contra hoc quod dicitur Eccle. 19. Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet. Ad detractorem videtur pertinere illud Iob 32. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit. Detractor etiam similis est noctuæ, cuius oculos nox illuminat, & lux excæcat. Detractores etiam sunt vt ciconiæ, quæ venenatis animalibus pascuntur. Sic detractores alienum peccatum, quod quasi venenum est, in ore deferunt. Os etiam detractoris vas est aquam maledictam diaboli continens, iuxta illud Psal. Quorum os maledictione plenum est. Detractor etiam est peior furibus illis qui vestes & alia bona temporalia furantur. vnde Ambro. Tolerabiliores sunt fures, qui vestes & alia bona nostra diripiunt, quàm fures qui famam nostram lacerant. Cuius ratio est hoc quod dicit Salomon Prouerb. 22. Quòd melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ, vnde qui nomẽ bonum alicui

alicui aufert, magis nocet ei, quã si ei multas diuitias furaretur. Præterea furtum tale vix aut nunquã potest restitui. Item detractores dapiferi diaboli sunt, qui carnes humanas hominibus comedendas apponunt. Vnde super illud Prou. 23. Noli esse in conuiuiis potatorum, neque in comessationibus eorum, qui carnes conferunt ad vescendum. dicit gl. Carnes ad vescendum conferre, est in collocutione derogationis vicissim vitia proximorum dicere. Item detractores diabolo thurificant, & in cœtu diaboli quasi thuribulum deferunt, in quo pro suaui odore fœtorẽ alienorum peccatorum hominibus ingerunt. Detractores etiam sunt testes iniqui, qui nec rogati nec examinati testimonium ferunt absente eo contra quem testificantur. Sene. Loquens de proximo tuo, scito te pro eo vel contra eum testimonium dicere. Psal. Insurrexerunt in me testes iniqui, &c. Item videntur esse aduocati diaboli. Ipsi enim conantur ad hoc, vt quod est Dei, cedat in partem diaboli. Quid enim aliud est dicere, Iste est fornicator vel vsuratius: quàm dicere, Ipse debet esse diaboli? Detractores figurati sunt per Amon, qui rasit dimidias barbas nuntiis Dauid, & curtauit vestes eorum vsque ad nates, vt legitur 2. Reg. 10. Dimidiam barbam radit detractor nuntiis veri Dauid, id est, Christi, dum medietatem viriditatis eis aufert. Dicit enim quòd bona faciunt, sed intentione mala. Detractio enim, sicut dicit authoritas, filia liuoris est, quæ vbi bene facta negare non possit, quocunque modo peruertere tentat. Detruncat vestes vsque ad nates: quia si quid est pudibundum in eis detegit. ¶Tertio potest valere ad detestationem huius peccati, scilicet detractionis, si ostẽdatur quantæ crudelitatis peccatum sit istud. Notandum autem quòd detractor adeò crudelis est, q̃ se primo lædit, vt pòst alios lædere possit. Se enim prius accusat, vt aliis possit detrahere. Crudelitas etiam detractoris ex eo patet, quòd carnes humanas comedit, & sanguinem humanum bibit. Vnde Iob 19. Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini? Detractor hominem persequitur: quia de ocultis vult iudicare, ac si esset Deus. Gregor. Qui aliena detractione pascitur, proculdubio alienis carnibus saturatur. ad Galat. 5. Si inuicem mordetis, videte ne inuicem consumamini. Detractor comedit quandoque patrem suum, vel matrem spiritualem, vel carnalem, dum ei detrahit. Nulli parcit, nec amico nec inimico. Vnde Ezech. 5. dicit dominus Ierusalem, id est, ecclesiæ: Patres comedent filios suos in medio tui, & filij comedent patres suos. Et Iere. 19. Vnusquisque carnes amici sui comedet. Detractores vno morsello comedunt

Papam vel vnum archiepiscopum, vel episcopum. Detractor etiam in quadragesima carnes comedit. vnde quidam Abbas in vitis patrum: Melius est comedere carnes, & bibere vinum, quàm comedere in vituperatione carnes fratrum. Detractor non parcit etiam mortuis. Dissepelit enim homines mortuos in peccatis, quod est vnum opus contrariũ illi operi misericordiæ, de quo habetur Tob. 2. Detractor etiam crudelior esse videtur lupis & leonibus, & cæteris bestiis. Leo enim leoni parcit, lupus lupo, & cæteræ bestiæ parcunt bestiis sui generis. Detractor vero non parcit carnibus humanis. Detractoris lingua peior videtur esse inferno. Infernus enim solos malos deuorat. Lingua detractoris amplectitur & bonos & malos. Vnde legitur Eccl. 28. de lingua tertia, quæ est lingua detractoris, potius vtilis est infernus, quàm illa. ¶ Quarto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quantæ immũditię est peccatũ istud. Notandũ est, q̃ detractor crabroni comparatur, qui nõ quiescit nisi in stercoribus: sic detractor in alienis peccatis. De crabronibus legitur Exod. 23. Cunctorũ inimicorũ tuorum corã te terga vertã: emittẽs crabrones prius, &c. Lingua detractoris velut rotabulum est, non cessans voluere & reuoluere sordes vitiorum. ¶ Quinto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quantæ iniquitatis sit detractor. Notandum ergo quòd detractor iniquus est in seipsum, in proximum, & in Deum. In seipsum, quia ipse quærit festucas vnde oculos sibi eruat, quando deberet quærere lumen alicuius boni exempli, ipse sufflat in puluerem, vnde oculi eius excæcantur. Greg. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi q̃ in puluerem sufflant, & in oculos suos terram excutiunt, vt vnde plus detractores perflant, inde magis veritatis nihil habeant. Iniquus etiam est detractor in proximũ, quem fœtore peccatorum vult corrumpere. Iniquus est etiã in Deum, cui iudicium suum aufert: contra illud Lucę 6. Nolite iudicare, & nõ iudicabimini. Detractor vult vsurpare sibi quod ipse Deus pater sibi non vsurpat, scilicet iudicium. Pater enim non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio. Io. 5. Iniquus etiam est in Deum, cuius partem quantũ potest conatur minuere. Bonos enim qui ex parte Dei sunt, asserit esse diaboli, quando eos malos dicit. ¶ Sexto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur detractor exosus esse Deo & hominibus. Ad quod pertinet illud Ecclesiast. 21. Susurro coinquinabit animã suam, & in omnibus odietur. & Eccl. 5. Susurroni odium inimicitia & contumelia. Odium cordis, inimicitia operis, contumelia verbi. & ad Ro. 1. Detractores Deo odibiles. ¶ Septimo potest valere ad detestationem huius peccati hoc quòd detractor maledictus est à Deo, & abominabilis hominibus. De primo legitur Ecclesiast. 28. Susurro bilinguis maledictus. Multos enim turbauit pacem habentes. De secundo legitur Prouerbio. 24. Abominatio hominum detractor. ¶ Octauo potest valere ad detestationẽ huius peccati, pœna qua dominus punit detractores. De pœna ista legitur Num. 12. de Maria sorore Moysi, quæ leprosa facta est, quia detraxit Moysi. De pœna etiam ista legitur Leuit. 7. Qui comederit sanguinem, peribit de populis suis. Leuitici 17. Homo quilibet de domo Israël, & de populis qui peregrinantur inter vos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animã illius, & disperdam eã de populo suo. Delectari in sanguine peccati diabolicum videtur esse. Vnde detractores specialiter filij diaboli sunt, qui sanguisuga vocatur Prouerb. 30. Sitiunt enim detractores sanguinem peccati, sicut & diabolus. ¶ Nono potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quanta stultitia peccator laborat. De stultitia ipsius dicit Philosophus, q̃ proprium stultitiæ est aliena vitia cernere, & sua obliuisci. Legitur etiam in Vitis patrum, q̃ quidam frater inuentus est culpabilis, & adductus est Abbas Moyses vehementia precum, qui tollens secum sportam vetustissimam, impleuit eam arena, & portauit eam retro. Illis vero admirantibus quid hoc esset, dixit: Peccata mea sunt post me currentia, & non video illa, & veni ego hodie aliena iudicare peccata. Sic detractor facit. Peccata enim sua, quibus totus plenus est, non videt: peccata autem aliena ante oculos suos habet. ¶ Decimo potest valere ad detestationem huius peccati, si ostẽdatur quàm damnosum sit ecclesiæ Dei. Notandum ergo, q̃ detractor est ventus vrens vineam domini, præcipuè in flore. Illi enim qui sunt in initio bonæ vitæ, non possunt morsus detractionum sustinere, sed desistunt à bono incœpto. Et sicut poma debilium caudarum deiiciuntur ab arboribus vento: sic ventus detractionis illos à Deo separat, qui nondum ei firmè adhęserunt. Detractor, quantum in se est, vniuersales tenebras facere nititur in mundo isto, sicut leguntur factæ in passione domini in vniuersa terra. Lucernas etiam conatur detractor extinguere, dũ sanctos vitros nititur infamare. Cum ecclesia tenebras suas faciat tantũ ter in anno, detractor continuè tenebras suas vellet facere: detractor tenebras amat, & ideo in tenebras ibit. ¶ Vndecimo potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quòd peccatum

istud est in Spiritum sanctum. Detractor enim impugnat gratiam Spiritussancti, dum conatur eam diminuere, vel totam suffocare in hominibus: ideo vix dimittitur peccatum istud à Spiritusancto, ad quem pertinet remissio peccatorum. ¶ Duodecimo potest valere ad detestationem huius peccati hoc, quod dicit Glossa de peccato isto super illud Prouer. 24. Cum detractoribus ne commiscearis. Hoc specialiter periclitatur vitio totum penè genus humanum. ¶ Et notandum, q̃ licet quilibet debeat cauere à detractione quarumlibet personarum, præcipuè tamen à detractione patris vel carnalis, vel spiritualis. Vnde Exod. 22. Diis non detrahes, & principi populi tui non maledices. & Gene. 9. legitur de Cham filio Noë, q̃ patris sui verenda detexit, & ideo in semine suo maledictionem recepit. vnde legitur ibi: Maledictus Chanaã puer, seruus seruorum erit fratribus suis. Legitur etiã 2. Reg. 6. de Oza, q̃ à domino percussus est, quia manum suam ad arcam Dei extendit. Per arcam, in qua continebatur manna, & virga Aarõ, & tabulæ testamenti, figuratur prælatus, in quo contineri debet manna dulcis consolationis, & virga correctionis, & scientia discretionis. Ad quam arcã si detractor manum extenderit illi detrahendo, à domino percutietur. Grego. Multi dum plus vitam sacerdotum quàm suam discutiunt, in erroris foueam dilabuntur, minus considerantes, quòd non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent.

¶ De diuersis speciebus detractionum.

Positis speciebus illis quæ possunt valere contra peccatum detrahentium, consequens est vt aliquid tangamus de diuersis speciebus detractionum. Notandum, q̃ super illud Psalm. detrahentem secreto proximo suo, hunc persequebar. distinguitur triplex genus detractionis. ¶ Primum est, malum dicere de alio. ¶ Secundũ, audita mala cũ augmento referre. ¶ Tertiũ est, libenter illud audire. Nos autẽ possumus diuidere detractionem in sex species. Quarum prima est, occulta mala proximi publicare. Secunda est, audita mala cum augmẽto referre. Tertia, crimina falsa imponere. Quarta, bona occulta negare. Quinta, manifesta bona minuere. Sexta, bona in mala conuertere.

¶ De peccato libenter audientium detractionem.

Sequitvr de peccato eorum qui libenter detractorẽ audiunt. Contra quod peccatum, Primo valere possunt verba sacræ scripturę, quæ illud dissuadent, vt est illud Prouerb. 4. Labia detrahentium sint procul à te. Et illud Prou. 23. Noli esse in conuiuiis potatorum, nec in comessationibus eorum qui carnes ad vescendum conferunt. Et illud 24. Cum detractoribus ne cõmiscearis. Et illud Eccl. 28. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequã. Contra hoc peccatum etiã potest valere illud Ber. Detrahere vel detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Sunt autem reprehensibiles illi, qui libenter detractiones audiunt multis de causis. Primo propter hoc, q̃ vident fratres suos à canibus dilacerari, & non exterrent canes saltem clamoribus, præcipuè cum sperent se proficere posse, imò canibus applaudunt. In quo potius se canes quàm homines ostendunt. Eccl. 13. Quæ communicatio sancti hominis ad canem? Cum detractor serpens sit, vt prius ostensum est, non videtur homines esse, sed potius genimina viperarum qui eos non exhortent, qui lapides durarũ increpationum non proiiciunt, quando vident fratres suos ab eis morderi.

¶ Multis causis sunt reprehensibiles, qui libenter audiunt detractores.

Reprehensibiles etiam sunt qui libenter audiunt detractores, quia illis qui fratres suos comedunt, salsam ministrãt, ad quam eos comedant, hilarem eis vultum ostendẽdo, sine qua salsa morsus quasi insipidus esset detractoribus. Hieronym. Nemo inuito auditori libenter narrat. Prou. 25. Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis linguam detrahentem. Reprehensibilis etiã est ille qui detractori consentit, quia testi deceptione pleno, non iurato, neque examinato contra absentem credit, & frequenter testi vnico, contra illud legis diuinæ, Matth. 18. In ore duorum vel triũ testium stat omne verbum. Imò, quod plus est, si vnus ribaldus detraxerit vni viro sancto, & decem boni viri dicerent contrarium, potius creditur illi ribaldo simplici verbo testificanti contra virum sanctum, quàm decẽ bonis viris iurantibus pro ipso. Reprehensibilis etiã est talis, quia iuxta sepulchrum patens, vnde fœtor incessanter exhalat, potius eligit esse contra Dei voluntatẽ, & ad suam damnationem, quàm receden do inde, obmutescere faciat os detractoris. Si enim deesset auditor, deesset & detractor. Reprehensibilis est etiam talis, quia noctuæ credit testificanti contra lucem, quam naturaliter odit.

¶ De peccato eorum, qui impatienter tolerant detractiones.

Sequitvr de peccato impatienter tolerantiũ eos qui sibi detrahũt, qui valde fatui sunt. Valde enim vtiliter seruiunt eis, si ipsi patiẽter sustinent. Detractores enim sunt spinæ viam inferni obstruentes viris sanctis. Vnde Osee 2. Ecce ego sepiã vitẽ tuam spinis. Ipsi etiam sunt vigiles ciuitatem ecclesiæ custodientes ad

modum vigilum, quasi continuè mẽtientes. Ipsi etiam depascũt segetes domini, ne in paleas luxurient, & pauca grana habeant. Ipsi sunt limæ à vasis gloriæ rubiginẽ auferentes. Sed sunt quædam vasa maledicta, quæ à limis istis assumunt rubiginem, vnde deberent recipere pulchritudinem. Detractores à filiis Dei quasi quodam rasorio peccatum elationis eradunt. vnde Gregorius: Idcirco laxat dominus linguas detractorum in electos, vt si quid in eis elationis surrexerit, lingua detractoris eradat.

De peccato Adulationis. Et de his quæ faciunt ad eius detestationem.

CAPVT. VII.

DE peccato Adulationis, hoc modo dicemus. Primo ponemus ea quæ ad detestationem huius peccati possunt valere. Secundo, tangemus de remediis contra peccatum istud. ¶ Notandum ergo quòd adulatio, sicut quidam dixit, est peruersa laudatio. Vnde nomen laudationis & adulationis eisdem literis constat, sed non eodem modo ordinatis. secundum Tullium verò nomen à sono sumptum. Canes enim quorum est mira adulatio, ferè exprimunt istum sonum. ¶ Ad detestationem vero huius peccati, Primo possunt valere verba sacræ scripturæ, quæ illud dissuadent. Vt est illud Exo. 30. Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis non vngetur ex eo. Et subditur paulo pòst: Homo quicunque tale cõposuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. Oleum istud laus est, quæ debet Deo dari, nõ homini viuẽti. Itẽ Leui. 2. Nihil mellis adolebitur in sacrificio domini. In melle dulcedo adulationis intelligitur. Item dissuadetur hoc vitiũ, Exo. 23. Non coques hœdum in lacte matris. Adulator hominẽ durũ, quem diabolus frangere nõ potest, in lacte adulationis coquit, vt diabolo comestibilis fiat. Item Pro. 24. Nec lactes quenquam labiis tuis. Et Eccl. 11. Ante mortem non laudes quemquam. ¶ Secundo possunt valere ad detestationem huius peccati exempla, præcipuè exemplum Christi, de quo dicit glossa super illud Mat. 21. Et relictis illis abiit foras extra ciuitatem, quia pauper erat nulli adulatus, nullum in tanta vrbe inuenit hospitem, sed apud Lazarum receptus est. Paulus etiam dicit de se 1. ad Thess. 2. Neque aliquando fuimus in sermonibus adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ. Deus testis est.

¶ *Quòd adulatores diuersis generibus rerum comparentur.*

TERTIO potest valere ad detestationẽ huius peccati, si adulatorẽ vel adulationẽ diuersis generibus rerũ cõparemus. ¶ Notandũ ergo q̃ adulator nutrix diabolí est, filios diabolí lactãs lacte

te adulationis. vnde Pro. 1. Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis. Itẽ Prou. 16. Vir iniquus lactat amicũ suũ, & ducit eũ per viã non bonã. Et Thrẽ. 4. Lamiæ nudauerũt mãmas, lactauerũt catulos suos. Lamia est bestia suis fœtibus crudelior, quàm cæteræ bestiæ. Vnde lamia quasi lania appellatur, quia catulos suos creditur laniare. Vnde bene signat adulatorẽ, qui in veritate eos laniat quos videtur lactare. Ideo autẽ cõparatur adulatio lacti, vt ostẽdatur verecundũ esse homini adulto adulationẽ amare, sicut verecundũ esset homini barbato ad mãmillas maternas spectare. Adulator ad modum nutricis filios diaboli obdomire facit in peccatis suis. Et sicut nutrix casum paruuli ad eius consolationem saltum interpretatur: sic adulator eius peccatum cui adulatur, quod in veritate casus est, asserit esse opus magnificum. Adulatores Ægyptiæ mulieres sunt quarũ mãmillas Moyses respuit. ¶ Item adulatores locustæ sunt comedãtes residuũ grandinis. Exo. 10. Locusta æstate canit, hyeme silet. Vnde rectè significat adulatores, qui eos laudant, qui habent æstatẽ prosperitatis: à laude verò eorum silẽt, qui habẽt hyemẽ aduersitatis. Vnde Eccl. 13. Diues locutus est, & omnes tacuerũt, & verbum eius vsque ad nubes perducunt. In grandine verò persecutor intelligitur: locusta ergo residuum grandinis comedit: quia secundũ Greg. quem persecutio frangẽs non vincit, multoties adulatio premit. ¶ Adulatio deterior videtur esse detractione, quia detractio hominem humiliat, sed adulatio extollit. ¶ Adulatores etiã sunt ranæ propter loquacitatẽ suã. Vnde Psal. Edidit contra eorũ ranas in penetralibus regum ipsorum. Adulatores etiã sunt Sirenæ vsque in exitiũ dulces, secũdum Boët. Item sunt ioculatores diaboli, non permittentes diabolũ in aliquo cõtristari. Vnde Osee 7. In malitia sua lætificauerunt regem. Ipsi etiã sunt sacerdotes diaboli, homines viuos sepelientes. Vnde Matth. 8. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. De quo loquens Greg. dicit: Tunc mortuus mortuũ sepelit, cum peccator peccatorẽ aggere adulationis premit. Adulator est Echo cõformãs se ei cui adulatur. Si enim ridet, ridet: si fleuerit, flet. Sapiẽ. 7. Resonans in altissimis montibus Echo. Ipsi sunt quasi chamæleõ, quod secũdũ Solinũ animal est de aëre viuens, quod colorẽ habet variũ & in momẽto mutabile, ita vt cui rei se iũgit, eius concolor fiat. Item sunt incãtatores diaboli, qui faciunt hominibus de se credere quæ ipsi volũt. Terẽtius: Adulator homines prorsus insanos exstultis facit. Vnde quidã: Nihil est quod non possit de se credere, cũ laudatur æqua potestas. Itẽ adulator quasi sub prætextu decorãdi & ornãdi hominem

minem iugulat. Vnde ad eum potest dici, Sicut nouacula acuta fecisti dolum. Adulator etiã proditor est. sub specie enim oscŭli ad modum Iudæ hominem tradit hostibus suis, & sub specie amicitiæ hominem interficit. Vnde rectè significatur per Ioab: qui, sicut legitur 2. Regum 20. dixit ad Amasam: Salue mi frater. & tenuit manu dextera mentum Amasæ quasi osculans eum, & percussit eum in latere, & mortuus est. Adulatio oleo comparatur. Vnde in Psal. Oleum autem peccatoris nõ impinguet caput meũ. De quo oleo diabolus vngit suos, qui in extremis laborãt. Hoc oleo etiam vngit diabolus homines quos flectere non potest, vt ad malum eos molliat. vnde Augustinus: Oleum est falsa laus adulatoris, quæ mentes à rigore veritatis emollit ad noxia. Adulatio etiam mel est, sed toxicatum. Etiam est sagitta aurea, & ideo aliqui non curant, si ab ipsa lædantur. Est etiam ventus, qui lenis videtur: transfert tamen montes de regno Dei in regnũ diaboli. Item est rete diaboli inuisibile. Vnde Prouerb. 29. Qui blandis fictisque sermonibus loquitur, rete expandit proximo suo. ¶ Quarto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur quãtum sit nocumẽtum homini istud vitiũ. Ad quod pertinent verba sacræ scripturæ quę sequuntur super illud, Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ. dicit Augustinus: Hæc est ira Dei magna, vt desit correctio, & assit adulatio. Adulantium linguæ alligant homines in peccatis. Delectat enim hominem ea facere, in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam auditur adulator. Et super illud Lucæ 6. Vę vobis cum benedixerint, &c. dicit glo. Magna pars pœnæ est peccatori sua scelera non solùm non argui, sed insuper quasi bene gesta laudari. Et super illud, Deus in adiutorium meum intende, &c. dicit Augustinus: Plus nocet lingua adulatoris, quàm manus persecutoris. & Prouer. 27. Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. & Ecclesiast. 7. Melius est à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi. & Esa. 3. Populę meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. Item Esa. 9. Erunt qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur præcipitati. Adulator ducit eum, cui adulatur, quasi ad supercilium montis, vt inde præcipitetur, sicut Iudæi dicuntur fecisse de Domino, Luc. 4. Item Prouerb. 11. Simulator ore decipit amicum suum. ¶ Quarto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur adulator esse maledictus, abominabilis & detestabilis. Ad primum pertinet illud Esaiæ 5. Væ qui dicitis bonum malum. Alia litera habet, Væ qui dicitis malo, bonus es. Et in eodem, Væ qui iustificatis impium pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. subditur pœna propter hoc: Sicut stipulam deuorat flamma ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum fauilla erit. Item Ezech. 13. Væ qui consumunt puluillos sub omni cubitu manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis. Quandoque diabolus in aliquo peccatore fatigatus est, & vult corruere in eo: sed venit maledictus adulator, vt appodiet eum exemplis malis confirmando. Ille qui peccat, quasi parietem facit inter se & Deum, sed absque temperamento est, & citò corruet: sed adulator linit eum vt fortior sit: vnde Ezech. 13. Ipsi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos qui liniunt absque temperamento, quòd casurus sit. Ad hoc verò quòd adulator detestabilis sit, pertinet illud Prouerbio. 24. Qui dicunt impio, Iustus es: maledicent eis populi, & detestabuntur eos tribus. Ad hoc quòd abominabilis sit, pertinet illud Prou. 17. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, vterque abominabilis est apud Deum. Ad idem pertinet quod dicit glo. super Lucæ 16. vbi agitur de diuite & de Lazaro, quod potest in lingua canum, lingua adulantium intelligi, qui vulnera lingunt, dum mala, quæ in nobis reprehendimus, improbo fauore laudant. Lingua enim ista, quæ vulnera lingit, indubitanter abominabilis est. ¶ Sexto potest valere ad detestationem huius peccati, si ostendatur magna stultitia qua laborat adulator. Est autem vna stultitia ipsius, quòd ipse laudat hominem sibiipsi, quasi vellet eum vendere. vnde quidam dixit adulanti sibi: Quid me mihi laudas? nunquid mihi vendere me vis? Alia stultitia eius est, quòd ipse homini adulatur, vt gratiam eius acquirat, quam tamen melius inueniret, si veritatem ei diceret. vnde Prouer. 18. Qui corripit hominem, gratiam postea inueniet apud eum magis, quàm ille qui per linguæ blandimenta decipit. Et eiusdem 24. Labia deosculabitur, qui recta respondet. & ibidem: Qui arguũt, laudabuntur, & super eos veniet benedictio. Hoc est illud quod præcipuè deest diuitibus, & potentibus, videlicet qui verum eis dicat. Vnde Seneca: Monstrabo tibi quid omnia possidentibus desit: scilicet qui verum dicat, & hominem inter mentientes stupentem & pro rectis blanda audientem ad verum perducat. Idem: Dic illis, non quod velint audire, sed quod velint semper audisse.

¶ De quatuor remedijs contra peccatum adulationis.

SEQVITVR de remediis cõtra peccatũ istud. Et possunt esse quatuor cõtra istud vitiũ. ¶ Primũ est, vt quãdo vĕtus adulationis flat

flat,homo ad terrã deſcẽdat,vt quod infimũ eſt & infirmũ ipſe in ſe cõſideret,& dicat:Quoniam tu illuminas lucernã meã,Domine Deus meus,illumina tenebras meas.Aliud remediũ eſt,memoria mortis.quod remediũ figuratum eſt Exo. 10. vbi legitur, quòd orauit Moyſes Dominum,qui flare fecit vẽtũ ab occidente vehementiſſimũ,& arreptam locuſtam proiecit in mare rubrũ.In locuſtis adulatores intelliguntur,quos ventus veniens ab occidẽte proiicit in mare,dũ memoria mortis eos fugat: quia vanas hominum laudes contemnit,qui de morte cogitat, quando veritas apertè patebit.¶ Tertiũ remedium eſt,vt homo ſubtiliter diſcernat adulatorem eſſe eum qui ſibi loquitur.Verecundabitur enim cũ cognoſcet ſe puerilem reputari ab eo qui ſibi lac adulationis propinat.vnde Socrates cuidam ſibi adulãti dixit: Nihil proficis adulator,cũ te intelligam.¶ Quartum remediũ eſt quòd homo triſtem faciem adulantibus oſtendat.Triſtis enim facies eos fugat,ſicut hilaris facies eos multiplicat.Vnde Prouerbio.25.Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios.Renuere verò lac adulationis,multum eſt acceptum patri cæleſti.Quod figuratum eſt Geneſis 21.vbi legitur Abraham feciſſe grande conuiuium in die ablactationis Iſaac.

De peccato maledictionis,& de his quæ faciunt ad deteſtationem eius.

CAPVT VIII.

SEquitur de peccato maledictionis. Maledictionem verò hic intelligo mali imprecationem.Contra quod peccatum.¶ Primo poſſunt valere verba ſacræ ſcripturæ, quæ illud diſſuadent. Vt eſt illud ad Roman.12.Benedicite,& nolite maledicere.Et illud 2.Pet. 3. Non reddentes malum pro malo, vel maledictum pro maledicto. ¶ Secundo valere poſſunt ad hoc exempla. Sicut eſt illud quod legitur de Domino Ieſu Chriſto 1. Petri 2. Qui cum malediceretur,non maledicebat.Et illud Apoſtoli 1.ad Corinth. 4. Maledicimur, & benedicimus. ¶ Tertio poteſt valere contra hoc peccatũ,ſi oſtendatur multiplex malum quod ſequitur ex eo.Primum malum eſt amiſſio regni ęterni.Vnde 1.ad Corinth.6.Neque maledici,neque rapaces regnum Dei poſſidebunt.Aliud malum eſt,quòd maledictio quam aliquis facit,ſuper caput maledicentis reuertitur. Vnde Prouerbior. 26. Sicut auis ad alta tranſuolans,& paſſer quolibet vadens: ſic maledictũ fruſtra prolatũ in quempiam ſuperueniet,Ideo autẽ dicitur,fruſtra prolatũ,quia eſt maledictum iuxta diuinã iuſtitiã prolatũ: vt eſt illud Act.8.Pecunia tua tecum ſit in perditionẽ. Et tale maledictum venit ſuper illũ cui maledicitur. Maledictum verò ſine cauſa

cauſa prolatũ venit ſuper eum qui maledicit. vnde Eccle.27.Qui ſurſum altum mittit lapidem,ſuper caput eius cadet.& Gene.27.Qui maledixerit tibi,ſit ille maledictus.Et in Pſalm.Maledicent illi, & tu benedices.& Matth.quinto:Beati eſtis, cum maledixerint vobis homines &c. ¶ Quarto poteſt valere ad deteſtationem huius peccati, ſi oſtendatur peruerſitas eorum, qui male agentibus maledicũt.Cum enim illi qui male agũt infirmi ſint,compatiendum eſſet eis,& pro eis orandum. Non eſſet malum imprecandum eis, cum plus malum habeant quàm expediat. ¶ Quinto poteſt valere contra peccatum hoc, quòd maledicere adeò eſt illicitum, quòd non eſt licitum maledicere diabolo. vnde Eccleſiaſti.21. Dum maledicit impius diabolum:maledicit ipſe animam ſuam. Et dupliciter intelligi poteſt. Vno modo ſic, Cum impius maledicit diabolum: id eſt,cum dicit eum maledictum & condemnatũ,ipſe maledicit animam ſuam:id eſt, damnatam & maledictam oſtendit,cum maledictum imitetur. vnde ad Roman.2. Inexcuſabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alium, teipſum condemnas. Alio modo ſic intelligitur, Cum impius maledicit diabolo: id eſt, malum optat diabolo, ipſe maledicit animam ſuam:id eſt, maledicto culpæ & pœnæ ſubiicit.Cum enim diabolus ſit creatura Dei,peccatum eſt malum optare ei. Vnde in Canonica Iudæ, vbi legitur,quòd cum Michael archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore,non eſt auſus inferre iudicium blaſphemiæ,ſed dixit: Imperet tibi Dominus. dicit gloſ. vbicunque vel quandoque hæc altercatio angeli facta fuit cum diabolo ſibi aduerſanti,blaſphemiam dicere noluit, ſed modeſto cum ſermone coẽreuit:quanto magis hominibus omnis blaſphemia eſt cauenda? Item gloſſ.Diabolus in ſubſtantia eſt bonus,ſed in voluntate eſt malus.Et ideo ab angelo non blaſphematur,quia aliquid proferre aduerſus bonam naturam, blaſphemiam reputat archangelus.Simile habetur Zachariæ 3. vbi ſic legitur: Oſtendit mihi Dominus Ieſum ſacerdotem magnum ſtantem coram angelo Domini, & ſatan ſtabat à dextris eius vt aduerſaretur ei. Et dixit Dominus ad ſatan:Increpet in te Dominus ſatan,& increpet in te Dominus, qui elegit Ieruſalem. Præcipuè verò cauendum eſt parentibus à maledictione filiorum: quoniam illæ maledictiones magis nociuæ ſolent eſſe. Eccleſiaſtici 3. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris,eradicat fundamenta.Valde impium eſt,quòd mater optat malum filio,quod non licet ei diabolo,optare.

De

De peccato conuicij, & de his quæ cohibent homines ab hoc peccato.

CAPVT IX.

SEquitur de peccato conuicij, à quo peccato cohibere hoc, quod cõuicium multum vulnerat cor eius, cui dicitur Eccl.28. Flagelli plaga liuorem facit: plaga autem linguę comminuet ossa. Hiero. Sicut homo cauet ne percutiat aliquem cum baculo: sic cauere debet ne percutiat eum cõuicio. ¶ Secundo deberet cohibere homines à conuicio hoc, q̃ conuiciũ charitatem seu amicitiam destruit, quæ est via excellentior. Vnde Eccle.22. Mittens lapidem in volatilia, deiiciet illa: sic & qui conuiciatur amico, dissoluit amicitiam. ¶ Tertio deberet cohibere à vitio hoc, quòd non de facili fit concordatio post conuicium dictum. Vnde Eccl.21. Ad amicum etsi produxeris gladium, nõ desperes. Est enim regressus ad amicum. Si aperuit os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto conuicio, & improperio & superbia & misterij reuelatione, & plaga dolosa. ¶ Quarto deberet homines cohibere à peccato conuicij, quòd homo assuetus huic peccato vix corrigitur. Vnde Ecclesiast.23. Homo assuetus verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur. ¶ Quinto deberet cohibere homines à conuicio hoc, quòd illi qui conuicia dicunt, frequenter conuicia audiunt. Vnde Sapiens: Qui pergit dicere quæ vult, audiet quæ non vult. Prouerbior. decimotertio: Impius confundit & confundetur. Prou.26. Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. ¶ Sexto debet cohibere homines à conuicio hoc, quòd conuicium dignum facit hominem morte æterna. vnde Matthæi quinto: Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennę ignis. ¶ Septimo deberet cohibere homines à conuicio hoc, quia dicere conuicium libenter homini, signum est impietatis & magnæ peruersitatis. vnde Prouerbio. 10. Labia iusti considerant placita, & os impiorum peruersa. Cum ex abundantia cordis os loquatur. Matt.12. Vitiosum est cor vnde frequenter exit conuicium: & in veritate rusticus est, qui rusticitatem libenter dicit. Quòd valde peruersus sit qui conuicium dicit, ex hoc potest patere: quia aut conuicium quod ipse dicit est malũ pœnæ, aut malum culpæ. Si malum pœnæ est, cum malum pœnæ à Deo sit, ipse dicendo opprobriũ homini, exprobrat creatori eius. Prouerbiorum 17. Qui despicit pauperẽ, exprobrat factori eius. Si verò est malum culpæ, diabolicum est gaudere de hoc quòd aliquis illud commiserit. Leuit. 19. Si habitauerit aduena in terra vestra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena. Aduena est homo, qui magnus peccator fuit, cui peccatũ suũ exprobrandũ nõ est. Vnde Ec.8. Ne despicias hominem auertentum se à peccato, neque improperes ei: memento quoniã omnes in corruptione sumus. Specialiter autem cauendũ est ne cõuitiũ correctioni admisceatur: sicut faciunt quidã qui sub specie correctionis conuiciantur hominibus. vnde Ec.19. Est correctio mẽdax in ore cõtumelioſi. Verè mẽdax est talis correctio. Mentitur enim talem correctionem, cũ potius sit cõuiciatio. Tullius in tracta. de Amicitia: Monere & moneri est officiũ veræ amicitiæ, ita tamẽ quòd adulatione careat admonitio, & contumelia obiurgatio. & Prou.12. Qui suauis est, viuit in moderationibus, in suis admonitionibus relinquit contumeliã. Homo mansuetus moderatè corripit, & sic vitam animæ suæ seruat: homo iracundus immoderatè corripiendo ipsam perdit vitã. Cauendũ est ab immoderata & immãsueta correptione. Nisi enim homo caueat sibi, ipse ignẽ incẽdit quẽ debuit extinguere, & occidit quẽ debuit sanare, & tenetur de dãno quod verbũ incautè ab eo prolatẽ fecerit. Ad primũ pertinet illud Ec.8. Non incendas carbones peccatorũ arguens eos. Ad secundũ pertinet illud Pro.15. Lingua placabilis lignũ vitæ: quæ autẽ immoderata est, conteret spiritũ. Lingua mansuera lignũ seu arbor vitæ est. Occasio enim vitæ spiritualis est illis quos corripit: sed lingua immoderata cõteret spiritũ tam corripiẽtis, quàm eius qui corripitur. Ad tertiũ pertinet illud Exod.22. Si egressus ignis inuenerit spicas, & cõprehenderit aceruos frugũ, siue stantes segetes in agris, reddet damnũ qui ignem succenderit, quod de igne iræ potest intelligi, cuius damnum tenetur reddere, qui verbo incauto illud succenderit.

De peccato contentionis, & de eius prohibitione. PARS X.

SEquitur de peccato contentionis. A quo peccato, Primò deberet cohibere homines, quia Augustin. Nihil est similius actibus dæmonum, quàm litigare, vnde seruos diaboli non Dei se ostendunt, qui litigant. 2. ad Timo. 2. Seruum domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes. Item Apost. 1. Corint.11. Si quis vult contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus. ¶ Secundo deberet homines cohibere à contentione hoc, quod separare se à contentione, nobile est. vnde Prou. 20. Honor est homini, qui separat se à contentione. Contendere autem ignominiosum est. Sene. Muliebre est litigare. ¶ Tertio deberet cohibere homines à contentione hoc, quòd litigare signum est stultitiæ seu superbiæ, & peruersitatis, & malitiæ. Ad primum pertinet illud Prouerb.18. Labia stulti miscent se ri-

xis,& illud 20. Omnes autem stulti miscentur contumeliis. In verbo miscendi,quia commistio est inseparabilis vnio,intelligitur quòd stulti à contentione separari nõ possunt. Ad secundum pertinet illud Prouer.16.Homo peruersus suscitat lites. & 26. Sicut qui apprehendit auribus canẽ, sic pertransit impatiens,& cõmiscetur rixæ alterius. Ad tertiũ Pertinet illud Prou. 17. Semper iurgia querit malus : angelus autẽ crudelis mittetur contra eum. Hoc erit in morte,quãdo angelus malus ad eum venerit,vt eum deferat in infernũ. Vel angelus malus potest intelligi aliquis malus homo ad eum missus : vt dicitur vulgariter,iste est malus,sed quandoque inueniet parẽ suum. ¶ Quarto deberet cohibere homines à cõtẽtione hoc,quòd multa mala inde proueniunt. Vnde Eccl.22.Ante ignem camini vapor & fumus ignis inalratur : sic & ante sanguinẽ maledicta,& contumeliæ,& minæ. Et eiusd.11. A scintilla vna augetur ignis. Et 28.Certamen festinatũ incendit ignem:lis festinans effundit sanguinem. ¶ Quinto deberet cohibere homines à cõtẽtione hoc,quòd abstinere à lite magni meriti est,vnde legitur in Vitis patrũ, quòd orante Macharioꝝ vox insonuit ad eum,dicens: Nondũ ad mensuram duarũ mulierũ perueniſti quæ habitant in proxima ciuitate. Cúmque Macharius intrans ciuitatem quęsiuisset conuersationem earum ab ipsis,dixerunt quòd erant vxores duorũ fratrum,& per x v. annos simul fuerant,& nũquã aliqua earum aliam dicto vel facto contristauerat,& statuerãt in corde suo, vt vsque ad mortem verbum inter se seculare non loquerentur : & libenter intrassent religionẽ, si viri earum permisissent. Vnũ eorũ, in quibus consistebat meritum harum mulierũ,erat hoc,quòd litem non habuerant adinuicem. Animus verè innocens nescit litigare. Vnde legitur in Vitis patrum, quòd duo senes erant in vna cella, qui nunquam habuerant litem inter se. Dixit ergo vnus, Faciamus litem inter nos,& ponamus laterem in medio, & vterq; dicat, quòd suus sit, quia nescimus quid sit contentio. Cũ positus fuisset later,& iam vnus diceret, Meus est. Alter respondit,Ego spero quòd meus est. Cũ autẽ primus diceret, Non est tuus,sed meus. Alter respondit, Si tuus est,tolle eum. Et sic non inuenerunt materiam litigandi.

¶ *Quod maximè cum quinque personis cauenda sit contentio.*

Et licet vniuersaliter declinanda sit contentio, præcipuè tamen cum quinque personis, scilicet cum homine potente. vnde Eccl.8.Non litiges cum homine potente,ne fortè incidas in manus illius. Et cum homine locuplete. Ibidem: Non cõtendas cum homine locuplete,ne fortè contra te constituat litem tibi. Multos

tos enim perdidit aurum & argentum. Et cum homine linguato. vnde Eccle.7.Non litiges cum homine linguato,neque struas in igne illius ligna. Et cum homine iracundo. vnde in eodem: Cum iracundo nõ facias rixam. Itẽ cũ propria vxore. Ex quo enim aliquis litem habere cœperit cum vxore, nũquam habebit quietem. Pro.19.Tecta iugiter perstillãtia,litigiosa mulier. Qui in domo perstillanti est,quando vult declinare vnum stillicidium in vno loco,inuenit illud in alio, & ita non inuenit ibi quietem. Sic vir & vxor quietem non inueniunt,ex quo cœperint litigiosi esse, & valde male est eis,quantascunque delicias habeant. vnde Pro.27. Melior est buccella sicca cũ gaudio, quàm domus plena victimis cũ iurgio. & licet de nulla re litigandum sit, præcipue tamen nõ est litigandum de re,quæ hominem non molestat. Vnde Ecc.11. De illa re quę te non molestat,ne certaueris.

De peccato derisionis. CAP. XI.

DE derisione quam mali faciunt bonis, breuiter pertransimus,cum de ea dictum sit in tract.de ornatu,in cap.de verecundia. Hoc solũ addentes quod legitur Neemias dixisse 2. Esdr. 4.quũ Tobias Ammonites irrideret Iudæos ædificantes,dicens: Si ascenderit vulpes,transiliet murũ eorũ lapideum: audi, inquit, Deꝰ noster, quia facti sumꝰ despectui: cõuerte opprobriũ super caput eorũ.& paulò pòst subditur : Ne operias iniquitatẽ eorũ corã facie tua,& peccata eorũ nõ deleãtur : quia irriserũt ædificantes.

De peccato praui consilij, & de his quæ deberent cohibere homines ab hoc peccato. CAP. XII.

SEquitur de peccato praui cõsilij. A quo peccato deberet cohibere homines. Primò quòd prauus consiliarius proditor est. Decipit enim eũ qui in eo confidit: scilicet eũ qui ab eo consilium petit: quod non est paruum peccatum. vnde Pro.26. Sicut noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortẽ : ita vir qui fraudulẽter nocet amico suo. ¶ Secundo deberet cohibere homines ab hoc peccato,qꝰ praui cõsiliarij quasi omnia mala faciũt : sic tamen vt nihil mali fecisse videantur. Ipsi dant palmas in faciem Christi & in membris eius,dicentes: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? vt legitur factum fuisse Matt. 26. Cum dominus captus teneretur: quasi dominus ignorare possit astutias eorum, cum scriptum sit Iob 12. Ipse nouit decipientem, & eũ qui decipitur. ¶ Tertio deberet cohibere homines ab hoc peccato,quòd cõsiliarius prauus illud consilium, quod ipse vult dare contra aliquos,primo dat cõtra seipsum. Istud enim habet iustitiæ omnis iniustitia, quòd quicunque vult nocere alij, primo nocet sibi.

Omnis laqueus deceptionis primò capit eum qui tetendit: Omnis gladius persecutionis spiritualiter primo transuerberat eum qui eo vtitur. vnde Ec. 27. Qui fodit foueã, incidet in eam: & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo: & qui laqueũ alij ponit, perbit in illo. Facienti consiliũ nequissimũ super illum deuoluetur, & non agnoscet vnde hoc veniat illi. Vnde Prou. 26. Qui fodit foueã, incidet in eam: qui voluit lapidẽ, reuertetur ad eum. Et Ps. Lacũ aperuit & effodit &c. Hoc est figuratum 1. Reg. 17. In hoc quòd Goliath proprio gladio decapitatus est: & Esther 7. In hoc quòd Aman suspensus est in patibulo quod parauerat Mardochæo. Praui consiliarij de rapinis & exactionibus quas fieri faciunt, habent peccatum, & ad restitutionem tenentur, cùm alij habeant lucrum. Consilio eorum bene acquiescitur in malis faciendis, in bonis verò minimè. Quandoque modico tempore plus mali faciunt, quàm toto tempore vitæ suæ possint emendare, vnde nullum peccatum est quod magis impediat homines à salute, quàm istud. ¶ Quarto, deberet cohibere homines ab hoc peccato, quòd peccatum istud multũ nociuum est ecclesiæ Dei. Vnus enim malus consiliarius destruit quandoque totam vnam patriam. Ad magnã malitiã praui consiliarij, referri potest illud Ec. 31. Nequius oculo quid creatũ est? Consiliarius enim alicuius oculus dicitur. vnde Matth. 5. Si oculus tuus scandalizat te, &c. Si consiliarius alicuius principis malus est, negotia eius malè disponentur. Vnde Matth. 6. Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. ¶ Quinto deberet cohibere homines ab hoc peccato, quod quandoque illi qui astuti sunt ad dandum consilia nociua aliis, in consulendo sibiipsis iusto Dei consilio fatui inueniũtur. vnde Iob 12. legitur quòd Deus adducit consiliarios in stultum finem. Legitur etiam Iob 5. de domino: Qui apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorũ dissipat. Sic enim cauendum est homini, ne prauo cõsilio acquiescat. vnde Eccl. 6. Multi pacifici sint tibi, sed consiliarius vnus de mille. & Eccl. 37. A consiliario malo serua animam tuam: prius scito quæ sit illius necessitas, & quid ipse cogitabit, ne fortè mittat sudem in terram, & dicat tibi, Bona est via tua.

¶ A quibus personis consilium sumendum est.

CAVENDVM etiam est homini ne consilium quærat à iuuenibus. Hac enim de causa Roboam partem regni amisit: quia acquieuit consilio iuuenum, relicto consilio senum: vt legitur 3. Reg. 12. Item cauendũ est homini, ne amatores huius mũdi consulat de salute animæ suæ. vnde Eccl. 37. Noli consiliari cum socero

cero tuo. Socer est mũdus iste, qui quodammodo est pater carnis, quæ vxor spiritus est, cũ quo cõsiliũ habendũ non est de salute animæ. Quod figuratũ est Gen. 31. in hoc quòd Iacob recessit à Labã, ipso nesciente. Ber. Angelus magni consilij vocat te, & alienũ consilium præstolare. Idem: Amicos consulat, qui non legit quod inimici hominis domestici eius. Esa. 19. Sapiẽtes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens. Cauendum est etiã homini ne consiliũ cum stulto habeat. Vnde Ec. 8. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere, nisi quæ placent eis.

De seminantibus discordias, & de his quæ cohibent ab hoc peccato. CAP. XIII.

A Peccato eorum, qui seminant discordias, primò deberet homines cohibere hoc, quòd illud peccatum adeò est exosum Deo. Vnde Prouerb. 6. Sex sunt quæ odit dominus, & septimum detestatur anima eius, Oculos sublimes, &c. Et numerat Salomon 7. loco, eum qui seminat inter fratres discordias tanquam magis exosum Deo, quàm alios peccatores. Nec mirum, si Deus odiat eos qui seminãt discordias in ecclesia. Magis enim videntur nocere ei qui hoc faciunt, quàm qui proprium corpus eius crucifixerunt. Plus enim dilexit Christus corpus ecclesiæ, quàm corpus proprium, quum pro corpore ecclesiæ, corpus proprium morti exposuerit. vnde qui fodiunt corpus ecclesiæ, vnitatem eius diuidendo, magis videntur nocere ei, quàm qui corpus eius proprium foderunt, continuitatem in eo diuidendo. Ad ostendendum quod nullo modo volebat scindi corpus ecclesiæ per discordias, voluit ipse tunicam inconsutilem indiuisam manere. Ioann. 19. ¶ Secundo deberet cohibere homines ab hoc peccato hoc, quòd nihil magis nociuum est corpori humano, quàm diuisio continuitatis, nec magis nocium est ecclesiæ Dei, quàm diuisio vnitatis. Ex vno verbo quod dicit ille qui discordiam seminat, quandoque nascitur discordia tanta, ex qua destruitur patria vna. vnde magnæ malitiæ est seminare semen tale, cum ex vno gradu illius, talis messis surgat. ¶ Tertio deberet cohibere homines ab hoc peccato hoc, quòd opus illud diabolicum est, & contrarium operi Christi. vnde de diabolo scriptum est, Ioann. 10. quòd dispergit oues. Christus verò de se dicit Matthæ. 12. Qui non colligit mecum, dispergit. Ad Christum & ad seruos eius pertinet vnire & pacificare. Matthæi. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Hac de causa filius Dei venit in mundum, vt pacem reformaret in mundo. Ad diabolum verò pertinet dispergere.

De peccato bilinguium, & de his quæ deberent hominem cohibere ab hoc peccato. CAP. XIIII.

SEquitur de peccato bilinguium. Bilingues autem dicũtur, qui mala loquuntur de hominibus in absentia, & bona in præsentia: vel qui prætendunt quod bona intentione dicant, vel causa ioci illud quod proferunt, cùm malá habeant intentionẽ. ¶ A quo peccato primò deberet homines cohibere hoc, quòd multũ displicet Deo. Vnde Prouerb. 8. dicit sapientia increata, quæ est filius Dei: Arrogantiã & superbiã, & vitam prauam, & os bilingue detestor. Nec mirũ si Deus detestatur os bilingue, cùm monstrũ sit. Nullum animal bilingue inuenitur, excepto serpente, qui bilinguis est, iuxta vulgi opinionẽ, quia propter velocẽ motũ linguę sic apparet. ¶ Secũdo deberet cohibere homines à peccato hoc, ꝙ valde nociuũ est proximo. Vnde Pro. 18. Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perueniunt vsq; ad inferiora ventris: id est, ad interiora mentis. Dicuntur autẽ verba bilinguis quasi simplicia, quia sub prætextu ioci vel bonæ intentionis ea dicit: tamẽ cor audientis multum lædunt. vnde de ipsis potest intelligi illud Ps. Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. ¶ Tertio deberet cohibere homines a peccato hoc, quòd multum nocet proprio subiecto. ¶ Primo quia ponit illud in magno periculo: si enim est in magno periculo qui vnicam linguã habet, in quanto periculo est ille, qui bilinguis est? vix sufficit aliquis vnicã linguã regere. ¶ Secundo nocet: quia ponit hominẽ in opprobrio & fama mala. vnde Ec. 5. Denotatio pessima super bilinguẽ. Denotatio est digiti ostensio confusione plena. Itẽ Ec. 6. Improperiũ & contumeliã malus hæreditabit, & omnis peccator inuidus & bilinguis. ¶ Tertio nocet, quia hominẽ reddit maledictum. Vnde Ec. 28. Susurro & bilinguis maledictus. Multos enim turbauit pacem habentes. Bilingues sunt pseudoapostoli variis linguis loquentes. A peccato verò isto præcipuè cauendum est illis qui legem Dei habent alios docere. vnde 1. Timo. 3. Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo &c.

De peccato amantium rumores. CAP. XV.

AB hoc peccato præcipuè caueãt claustrales. vnde Ber. rumorẽ in claustro enumerat inter XII. abusiones claustri. Duodecim verò abusiones claustri hæ sunt. Prælatus negligẽs, discipulus inobediens, iuuenis otiosus, senex obstinatus, monachus curialis, religiosus causidicus, pãnus pretiosus, cibꝰ exquisitꝰ, rumor in claustro, lis in capitulo, dissolutio in choro, irreuerentia circa altare. De

De peccato iactantiæ, & de his quæ valent contra illud. CAP. XVI.

PEccatum iactantiæ dissuadetur Prouer. 27. vbi legitur, Laudet te alienus, & non os tuum. possunt autem valere contra peccatum istud, Primo exempla: vt est illud, quod legitur Dan. 4. de Nabuchodonosor, quòd verba iactantiæ proferebat in fine, dicẽs: Hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meę, & in gloria decoris mei. Et cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo ruit, Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, Regnum tuum transit à te. Legitur etiam in Vitis patrum, de quodã eremita, qui pollens omnibus animi virtutibus cœpit iactare se, & diabolus in specie mulieris venit ad speluncam eius, dicens quòd à bestiis nocte esset deuorandus, nisi susciperetur eius hospitio: quæ susceptа diuersis blandimentis inducit eum ad hoc quòd membra eius singulatim tãgeret: & cum inclinaret se vt eam fœdè amplecteretur, ipsa euanuit, deridẽs eum: & multitudo dæmonum clamauit: O monache, qui te vsque ad stellas extollebas, quomodo demersus es in infernum? Disce, Qui se exaltat, humiliabitur. Tunc ille desperans & fugiens prę confusione à conspectu omnium religiosorum, reuersus est ad seculum tradens se omni impudicitiæ, ne quis eum salubribus monitis de præcipitio reuocaret. Item in regione Thebaide manẽte quodam eremita Apollonio, vitę probatissimę, dixit ei vox de cęlo, Apollonio, per te perdam sapientiam sapientum, & etiam in Ægypto omnem culturam dæmonum subrues. At ille ait: Aufer à me iactantiam, ne fortè elatus super fratres meos cadã ab omnibus bonis. & dixit vox: Mitte manus tuas ad ceruices tuas: & quod cõprehenderis, constringe, & sub arena subrue. & continuò apposita manu ad ceruices apprehẽdit paruum Æthiopem clamantem & dicentem: Ego sum superbiæ dæmon. Et iterum vox ait: Perge nũc quocunque volueris in Deo securus. ¶ Secundo potest valere contra peccatum iactantiæ, si manifesterur stultitia eius qui hoc vitio laborat. Notãdum ergo, quòd ille qui iactat se ore proprio, seipsum quandoque occidit. vnde Prou. 18. Os stulti contritio illius. Filios autem suos ore proprio comedit, dum bona opera se iactando de illis amittit. Ipse etiam Dei gratiam effundit. vnde Ecc. 20. Gratię fatuorum effundẽtur. Ipse laudem, quam amat, in loco ponit vbi fordeat: scilicet in ore proprio. omnis enim laus in ore proprio fordescit. Ipse etiam testimonium fert de seipso. Ioan. 8. Tu de teipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. Hoc de Christo non habet locum, quum se solus cognoscat, & ipsi soli credendum est, iuxta verbum Hilarij: Soli Deo de se credenOO 4

dum est, qui se solus nouit. Sed in aliis verum est quod dicitur 1. Cor.10. Non qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat. Ille qui iactat se, est idolũ seipsum colens, & de seipso cantans. Ipse similis est gallinæ, quę postquam fecit ouum, non cessat clamare donec perpenditur, quòd ouum fecit: & sic ouum amittit. Sic ille qui iactat se, tacere non potest, donec bonum opus, quod fecit amiserit. ¶ Tertio potest valere contra hoc peccatum, si ostendantur mala quæ ex eo sequuntur. Notandum ergo quòd ex hoc peccato sequuntur iurgia. Vnde Prou.28. Qui se iactat & dilatat, iurgia concitat. Sequuntur etiam inde odium. vnde Sapiens: Vitiosa iactatio est, affertque audientibus non tãrummodo fastidium, sed plerunque odium. Hoc tamen sciendum est quòd licet viris bonis opera sua bona quandoque dicere ad Dei gloriam. Vnde 2 ad Cor.11. dicit Paulus: Æstimo enim me nihil minus fecisse à magnis apostolis. Licet etiam ea dicere ad reuelationem spei. Vnde Esa.38. dicit Ezechias: Memento quæso domine quomodo ambulauerim coram te in veritate.

De secretorum reuelatione. CAP. XVII.

A Secretorum reuelatione debent hominem cohibere, tria. ¶ Primum est, hoc quod legitur Eccl.27. Qui denudat arcana amici, perdit fidem. ¶ Secundum est, quod legitur Eccl.22. Est concordatio ad amicum, excepto conuicio & improperio, & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa. vnde reuelatio secreti est vnum eorum, de quibus vix fit concordatio. ¶ Tertium est hoc, quòd si aliquis infamatus fuerit illa reuelatione, vix potest ei restitui damnum quod suscepit. Vnde Prouer.28. Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in iurgio citò, ne postea emendare non possis cum dehonestaueris amicum tuum.

De peccato indiscretæ comminationis. CAP. XVIII.

PEccatum indiscretæ comminationis fugere debemus. ¶ Primo exemplo Christi, de quo legitur 1.Pet.2. Qui cum pateretur, non comminabatur. ¶ Secũdo debet cohibere ab eo vt demus locum timori Dei. Vnde Eccles.19. Corripe amicum antequam commineris, & da locum timori Altissimi. Altissimi timori dat locum, qui potius vult quòd homines dimittãt peccare timore Dei, quàm timore humano. ¶ Tertio, quia comminationes multum offendunt hominem, & multa mala inde sequuntur. Eccl.22. Ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minæ. ¶ Quarto cauendum est à comminationibus, ne stultiores nos ostendamus quàm simus. Homo qui comminari consueuit, ostendit se stultiorem quàm sit, quia multa comminatur quę nunquam facturus sit. Vnde

Vnde Prouer.14. Qui impatiens est, exaltat stultitiam suam.

De peccato indiscretæ promissionis. CAP. XIX.

INdiscretæ promissionis peccatum fugere debent homines, propter tria mala quę inde sequuntur. ¶ Primum est, remorsio propriæ conscientiæ. Vnde Prouer.12. Est qui promittit, & quasi gladio pungitur cõscientiæ. Hoc fit quando non soluit, quod promisit. ¶ Secũdum malum est, quòd inimicitias eius incurrit cui promisit, & non soluit. vnde Eccl.20. Est qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis. ¶ Tertium malum est, quòd tenetur soluere quod promittit. Vnde Ecc.8. Ne respondeas supra virtutem tuam: quòd si spopõderis, quasi restituens cogita. Specialiter autem cauere debemus à voto indiscreto, ne scilicet voueamus, quod implere nolumus. In quo multum peccant aliqui claustrales, qui vouent ea quæ sciunt se non impleturos: in quo etiam aliqui multum peccant, qui suscipiendo sacros ordines continentiam promittunt, quam tamen non proponunt seruare, quod valde periculosum est. Vnde Prouer.20. Ruina est homini deuorare sanctos, id est, de voto suo honorare sanctos, & post votum retractare. & Ecc.5. Melius est non vouere, quàm post votum promissa nõ reddere. Item in eodem: Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere. Displicet enim infidelis, & stulta promissio.

De verbo otioso, & de his quæ deberent hominẽ ab his cohibere. CAP. XX.

NOtandum, quòd verbum otiosum secundum Hiero. est quod sine vtilitate loquẽtis dicitur, aut audientis. Verba vero scurrilia & turpia non sunt cõputanda inter otiosa. Vnde Hiero. Qui scurrilitatem replicat, & cachinnis ora dissoluit, vel aliquid profert turpitudinis, non otiosi sermonis, sed criminosi reus tenetur. ¶ Multa vero sunt quæ deberẽt hominem cohibere à verbis otiosis. ¶ Primum est hoc, quòd cum vir iustus cęlum sit, os eius porta cæli est. Et ideo aperiendũ non est absque magna causa. Legimus enim cælum ad literam multoties apertum fuisse: sed nũquam legitur quin aliquod mirum subsecutũ sit. legitur in Psal. Et ianuas cæli aperuit. & subditur: Et pluit illis manna ad manducandum. Legitur etiam Luc.3. quòd Iesu baptizato & orante, apertum est cęlum. Et subditur, quòd descendit spiritus sanctus. Vox etiam patris audita est. Itẽ cum beatus Stephanus lapidaretur, aperti sunt cæli, & vidit Iesum stantem à dextris Dei & gloriam ipsius. & sic quando porta cæli spiritualis aperitur, scilicet os viri iusti, debet inde exire manna, vel verbum dulcis consolationis, vel verbum quo Spiritus sanctus datur, vel verbum quo Spiritus sanctus vel ipsius gratia hominibus ostenditur. Sed de quibusdam cum expe-

ctatur vt exeat manna, exit potius rana, aliquid scilicet garrulitatis. ¶ Secundo deberet homines cohibere ab otiosis verbis hoc, quòd lingua calamus est Spiritus sancti. vnde Psalm. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Solent offendi scriptores quando calamo eorum aliquid inutile scriptitatur, & illum proiiciunt: sic Spiritus sanctus quandoque linguam illam repellit, quæ verbis otiosis se exponit. ¶ Tertio deberet cohibere homines à verbis otiosis hoc, quòd loquela naturaliter in solis rationem habentibus inuenitur. vnde per se data est loquela rationi, & ideo sine ratione fieri non debet. ¶ Quarto deberet cohibere homines à verbo otioso hoc, quòd omnia verba ad examen Dei venient. vnde Matth. 12. De omni verbo otioso quod locuti fuerint homines, reddent in die iudicij rationem. & Eccl. vlt. Cuncta quæ fiunt adducet Deus in iudicium pro omni errato, &c. & dicit gloss. quòd etiam de verbo ignoranter prolato hoc intelligitur. Vnde debemus verba nostra hic examinare, vt per examẽ illud possint trãsire. ¶ Quinto deberet cohibere homines à verbo otioso hoc, quòd homo est velut castrum obsessum vndique. vnde Psalm. Inimici mei animam meam circundederunt, &c. Os vero hominis porta est, per quam sæpe hoc castrum captum est: ideo porta ista diligenter est custodienda, & non ad verba inutilia aperienda. ¶ Sexto deberet cohibere homines à verbo otioso hoc, quòd thesaurus magnus est in homine. vnde Apostolus 2. ad Corin. 4. Thesaurum habemus in vasis fictilibus. Ideo qui thesaurum suum non vult amittere, os suum clausum diligenter debet custodire. ¶ Septimo vtilitas magna quæ ex verbis potest prouenire. Verbo enim vno potest homo in oratione regnum æternum mereri. Item vno verbo potest dari occasio salutis pluribus animalibus. Vnde ex magna corruptione prouenit hoc, quòd homo otiosa & inutilia loquitur libenter, ex quo potest adeò vtilia loqui. Hoc autem præcipuè reprehensibile est in sacerdotibus. Vnde Bern. Inter seculares nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ. Interdum si incidant, ferendę forsitan, referendæ nunquam. Consecrasti os tuum Euangelio: talibus iam aperire illicitum est, assuescere sacrilegium. Labia sacerdotum custodiunt scientiam, & legem requirẽt ex ore eius, non nugas vel fabulas. Verbum scurrilitatis, quod faceti vrbanue nomine colorant, non sufficit ab ore peregrinari, procul ab ore est relegandum: fœdè ad cachinnos moueris, fœdius moues. Hierony. Beata lingua, quæ non nouit nisi de diuinis texere sermonem. Aliqui vero sunt qui non multum curant cauere à verbis otiosis, vel ab aliis venialibus peccatis, eò quòd talia

peccata sibi parua videntur.

¶ *De quinque timendis circa venialia peccata.*

IDEO notandum, quòd quinque sunt, quæ debet homo timere circa venialia peccata. ¶ Primũ est multitudo eorum. Vnde Aug. Ista leuia contemnere noli. Si contemnis quando appendis, expauescę quando connumeras. ¶ Secundum est hoc, quòd pro talibus ad iudicium Dei sumus trahendi. Vnde super illud Iob 31. Nónne vias meas ipse considerat? dicit gloss. Sic Deus vniuscuiusque vias considerat, sic gressus dinumerat, vt nec minutissimæ cogitationes ac tenuissima verba quæ apud nos vsu viluerunt, eius iudicio indiscussa remaneant. Sed quæ ratio poterit reddi de verbis otiosis, cum ipsa sine ratione dicantur? vnde Bern. Si prȩterea verbum otiosum est quod nullam rationabilem causam habeat, quam rationem reddere poterimus de eo quod est præter rationem? licet confabulari, aiunt, donec prætereat hora, quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam, miseratio cõditoris indulserat. ¶ Tertio timendum est ne inter multa venialia aliquod mortale incidat homine ignorante. vnde Osee 7. Alieni comederunt robur eius, & ipse nescivit. ¶ Quarto timendum est, ne per venialia homo ita debilitetur, quod in aliquod manifestum mortale cadat. Eccles. 39. Qui modica spernit, paulatim decidet. Gregor. Vitasti grandia, caue ne obruaris arena. Idem: Si ista parua negligimus, insensibiliter seducti, audacter maiora perpetramus. Et si stupa & clavi in nauibus sint minima, tamen defectus eorum occasio submersionis possit esse his, qui in nauibus sunt. Præsentia enim eorum occasio est euasionis. Legitur quòd Absalon occasione crinium interfectus sit. 2. Reg. 8. In crinibus parua peccata possunt intelligi, sicut & ibi, Capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Quę parua peccata multis sunt occasio mortis. Legitur etiam Iudic. 16. quòd Sampson abscissis crinibus debilis factus sit. In quo figuratum est, quòd aliquis debilitatur, quando modica bona negligit facere. Econtra Nazaræi nutriebant comam: vt legitur Numer. 6. ¶ Quinto timenda sunt venialia, quia profectò impediunt: quando enim aliquis Deo ingratus est, & non vult facere pro eo nisi id ad quod tenetur, Deus non ita abundanter largitur gratiam ei vnde proficere possit. Præterea vnicus pilus cibum alicui reddit abominabilem, & modicum pulueris oculum multum obnubilat: sic venialia seruitium alicuius minus gratum videntur Deo reddere, & oculos cordis obnubilant.

De multiloquio, & de his quæ ab eo cohibent. CAP. XXI.

MVltiloquium peccatum est, à quo Primo debet cohibere hoc quòd signum est imbecillitatis. Hieron. Inter canes qui infirmior est, magis latrat. Secundo verò hoc, quòd multiloquiũ hominem odiosum reddit, pauciloquium vero amabilem. vnde quidã philosophus interrogatus quomodo quis hominibus posset placere, inquit: Si gesseris optima, & locutus fueris pauca. Et Eccl. 9. Terribilis in ciuitate sua homo linguosus: & temerarius in verbo suo odibilis erit. ¶ Tertio hoc, quòd multiloquium impedit conuersionem. vnde Iob 11. Nunquid vir verbosus iustificabitur? Leui. 15. Vir qui patitur fluxum seminis, immundus erit. ¶ Quarto verò hoc, quòd in multiloquio non deerit peccatum, vt legitur Prou. 10. Et Eccles. 20. Qui multis vtitur verbis, lædit animam suam. Et Eccle. 5. In multis sermonibus inuenietur stultitia. ¶ Quinto hoc, quòd multiloquium signũ est stultitię. Vnde Eccl. 10. Stultus verba multiplicat. Et Prou. 29. Totum spiritum suum profert stultus. ¶ Sextum vero est hoc, quod dicitur in Psal. Vir linguosus non dirigetur in terra. ¶ Septimum est hoc, quod frequenter accidit, quòd vbi est multitudo verborũ, ibi est indigentia operum. Sicut vbi multum est de paleis, ibi sæpe parum est de grano. Prou. 14. Vbi verba plurima, ibi frequenter egestas. & 19. Qui tantum verba sectatur, nihil habebit. ¶ Octauo magna vtilitas, quæ est in cauendo multiloquio. Vnde Eccl. 19. Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Prou. 12. De fructu oris sui replebitur vnusquisque bonis. Legitur in vitis patrum, quòd quidam portauit lapidem tribus annis in ore, vt vitaret multiloquium.

De Turpiloquio. CAP. XXII.

TVrpiloquium, peccatum est, à quo dissuadet nos Apostolus ad Ephe. 5. dicens: Fornicatio autem & omnis immunditia aut auaritia non nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, &c. Ab hoc peccato multum debemus cauere: quia hoc peccatum est turpitudo in ore, vbi multum indecens est immunditia. Præterea turpiloquium proximum corrumpit. Vnde 1. ad Corinth. 15. Corrumpunt bonos mores colloquia praua. & 2. ad Timoth. 2. Quorum sermo serpit vt cancer. Corrumpit etiam ipsum qui turpiter loquitur, vt tandem turpia opera non abhorreat. Sena: Turpia ne dixeris: paulatim enim per verba pudor deiicitur, vt à verborum dicacitate abstineamus, & potissimùm à turpibus. Natura linguam in medio capite collocauit, quam dentium multitudo, & labia circunstant, ad insinuandum, quòd tacendum est, vel iuste loquendum: secus est de auribus quas patulas reliquit, & ita de aliis sensibus. Insuper à multitudine actuali loquendi habitus emergit, qui virum ita propensum ad illa te loquendum reddit, quòd abstinere ægerrimè potest. Propterea habitus ne generetur, à principio obuiãdum est: secundum quod dicit metrista: Principiis obsta, sero medicina paratur.

De scurrilitate, & de his quæ valere possunt contra hoc peccatum.

CAPVT XXIII.

SCurrilitas, quæ à stultis curialitas dicitur, est iocularitas, sicut dicit gl. super epistolam ad Ephe. 5. ¶ Contra quod peccatum, Primo possunt valere verba sacræ scripturæ quę illud dissuadent: vt est illud ad Epheſ. 5. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas. Et 2. ad Thessa. 3. Audiuimus quosdam inter vos ambulare inquietè, nihil operantes, sed curiosè agentes. His autem qui huiusmodi sunt denuntiamus, & obsecramus in domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes panem suum manducent. ¶ Secundo potest valere contra hoc peccatum, si scurras diuersis generibus rerum comparemus. ¶ Notandum ergo quòd scurra est velut capra, vel simia, cum quibus ludit diabolus, & homines excitat ad risum. Capra animal fœtidum est. Simia animal deforme. Sic tales valde fœtidi sunt & valde deformes. Ipsi etiam sunt fures damnosissimi. ¶ Tempus enim, quo nihil est pretiosius in vita ista, inter transitoria hominibus furantur. ¶ Ipsi consolatores sunt eorum qui laborant in seruitio diaboli. Ipsi releuant falsis recreationibus labores eorum qui vadunt in infernum, ne deficiant in via. Ipsi faciunt etiam obdormire homines in peccatis, vt à diabolo deferantur in infernum, & non excitentur. ¶ Tertio potest valere cõtra hoc peccatum, si ponantur ea, quæ sacra scriptura dicit de risu huius temporis, ad quem verba scurrilia excitant.

¶ De risu huius temporis.

NOTANDVM ergo quòd risus huius temporis error est. Vnde Eccl. 2. Risum reputaui errorem. Est etiam velut quædẽ ebullitio stultitiæ. Vnde Prou. 15. Os fatuorum ebullit stultitiam. Fit autem hæc ebullitio ad ignem prauæ concupiscentiæ, scurra suffiante illum ignem vento vanitatis incluso. Risus autem talis, est velut sonitus spinarum ardentiũ sub olla crepitãtium. vnde Eccl. 7. sicut sonitus spinarum ardẽtium sub olla, sic risus stulti. ¶ Item risus talis, est velut quidam nuntius stultitiam cordis exterius insinuans. Vnde Eccle. 19. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo. Item risus talis maledictus est. Vnde Luc. 6. Væ vobis, qui nunc ridetis, quia lugebitis.

Quòd

¶ *Quòd multiplex risus malus sit.*

Ex his satis manifestum est quanta sit fatuitas scurrarum, qui ad risum talem excitant. ¶ Item notandum quòd est risus inuidiæ, risus perfidiæ, risus insaniæ, risus vanitatis puræ, & risus prudentię. De risu inuidiæ loquitur Poëta describens inuidam: Risus adest nũquam, nisi quem fecere dolores. De risu perfidiæ legitur Prou. 10. Quasi per risum stultus operatur scelus. De risu insaniæ legitur Prou. 15. quòd stultitia est gaudium stulto. Vnde Aug. Malunt sapientes se habere sanos lugentes, quàm phreneticos ridentes. Item Aug. dicit: Gaudium mũdanorum, gaudium est phreneticorum. Risus vero puræ vanitatis est, cùm aliquis ex sola leuitate rident. Ad quẽ risum possumus referre quod legitur in Vitis patrum de quodam sene, qui vidit quendã ridentem, & dixit ei: Coram cæli & terræ Domino rationem totius vitæ nostræ reddituri sumus, & tu rides. Risus vero prudentiæ est risus rarus & tacitus. Vnde Eccl. 21. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Et Iob 29. Si quando ridebam ad eos, non credebant. Greg. Prælatus debet se taliter habere ad subiectos, vt ridens timeri, & iratus possit amari: ne nimia lætitia vilem, vel immoderata seueritas reddat odiosum. ¶ Item notandum, quòd sicut risus præsentis vitæ debet esse rarus & modicus: sic luctus frequens & multus. Monemur autem ad hoc exemplo Christi, quem ter legimus fleuisse, risisse vero nunquam legimus. Fleuit Iesus super ciuitatis destructionem Ierusalem. Luc. 19. & ad Lazari suscitationem, Io. 11. & in agonia quando prolixius orauit. de quo fletu habetur ad Hebr. 5. Monet etiam nos ad hoc multiplex materia luctus, quam in mũdo isto videmus, & hoc quòd lacrymæ nostræ in suo valore sunt. De hac materia require in tractatu de Luxuria, in cap. de choreis.

De indiscreta taciturnitate. CAP. XXIIII.

Sequitur de indiscreta taciturnitate. Et notandũ quòd sicut vitiosa est loquacitas, sic etiam vitiosum est semper tacere. vnde Eccl. 3. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Isi. Seruanda est lingua, non insolubiliter liganda. Ber. Mors & vita in manibus linguæ. Ideo ori ponenda est custodia, vt nec vitalem ędificationem clausura damnet, nec letalis pernicies liberũ fortiatur egressum.

¶ *Quòd tacere in prælatis malum sit, & maximè à verbo prædicationis.*

TACITVRNITAS verò præcipuè est reprehensibilis in prælatis, qui docere habent populum. Illis enim tacere à verbo prædicationis, mors est. vnde Exo. 28. præceptum est quòd in extremis partibus vestium sacerdotalium fierent tintinnabula aurea, mista

mistà malis punicis, vt audiretur sonitus, quando Aaron ingrederetur & egrederetur Sanctuariũ in conspectu Domini, & non moreretur. De quo verbo loquẽs Gre. dicit: Sacerdos ingrediẽs & egrediẽs moritur, si de eo sonitus nõ auditur: quia cõtra se iram æterni iudicis prouocat, si de eo sonitus prædicationis nõ procedat. Ad idẽ pertinet illud quod legitur Ezec. 33. Si speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, venerítque gladius, & tulerit de eis animam: ille quidẽ in iniquitate sua captus est: sanguinem autem eius de manu speculatoris requirã. Apost. 1. ad Cor. 9. Vę mihi si nõ euangelizauero. Ad prælatũ specialiter pertinet illud Esa. 58. Clama ne cesses. & illud Osee 8. In gutture tuo sit tuba. & illud Esa. 7. Væ mihi, quia tacui. Si propter taciturnitatem prælati aliquis pereat, simile est ac si ipse eũ interficiat. vnde Paulus Act. 20. Mũdus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consiliũ Dei in vobis. Innuẽs per oppositũ q̃ reus esset sanguinis eorũ, si ipse eis nõ annũciasset. Indiscreta taciturnitas dissuadetur Eccl. 4. Vbi legitur: Ne retineas verbũ in tẽpore salutis.

De octo remedijs contra peccatum linguæ. PARS III.

Postquam dictum est de peccato linguæ & custodia in communi, & specialiter de 24. peccatis linguę, consequenter tangendum est aliquid de remedijs contra peccatum istud. Et ponemus octo remedia contra peccatum illud. ¶ Primum remedium est consideratio periculi, quod est in loquendo. Tunc porta alicuius castri cautius aperitur, quando notum est domino castri, quòd hostes portæ insidiantur. Vnde cum hostes inuisibiles portæ eius specialiter insidientur, cum cautela magna aperienda est. Ad hoc remedium potest referri illud Iob 40. Memento belli, & ne addas amplius loqui quicquam. ¶ Secundum remedium est consideratio tam nobilitatis quàm vtilitatis huius membri. De qua nobilitate & vtilitate, habitum est in principio huius tractatus, vbi dictum est, quòd in lingua præcipuè indecens sit immunditia, & quòd diuino officio præ cæteris membris deputata sit. ¶ Tertium remedium est, quòd homo contra portam oris quasi quasdam barras facit. Barræ istæ sunt proposita firma declinandi personas illas cum quibus peccare solet per linguam, vel loca illã in quibus solet habere occasionem per linguam peccandi, vel silentium tenendi horis, in quibus facilius homo per linguam labitur, vt hora post cibum, & alia similia proposita, quæ custodiunt hominem ne offendat in lingua. De barris istis legitur Prouerb. 18. Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma: &

iudicia quasi vectes vrbium. Proposita ex iudicio rationis facta de custodia sensuum, quasi vectes: id est, quasi barræ vrbium sunt. ¶ Quartum remedium est, quòd homo raro loquatur. Exemplum de hoc habemus in beata Virgine, cuius septem verba tantum leguntur in Euangeliis. vnde Eccl. 19. Qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Quintum remedium est, quòd homo pauca loquatur. Sicut enim in multiloquio non deerit peccatum, Prouerb. 10. sic breuiter loqui ad hoc valet vt homo caueat à peccato. De quarto & quinto remediis dicit philosophus: Ad summam perfectionis volo te esse breuiloquum, & rariloquum & submissa voce loquentem. Ad rariloquium monet Seneca, dicens, Auribus frequentius quàm lingua vtere. Item: In hoc incumbe, vt libentius audias, quàm loquaris. ¶ Sextum remedium est, tarditas in loquendo, vt homo non exeat in loquendo, nisi præcedente deliberatione. Ad quod pertinent verba sacræ scripturæ quæ sequuntur. Hierony. Prius veniat sermo ad limam, quàm ad linguam. Eccle. 4. Noli citatus esse in lingua. & Eccl. 5. Ne temere quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Innuitur causa quare non debeat homo loqui absque deliberatione: quod enim homo loquitur, coram Deo loquitur. Eccles. 21. Verba prudentium statera ponderabuntur. Seneca: Tardiloquum te esse iubeo, & propè erit tibi Deus. Prouerbior. 13. Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Qui enim non vult loqui absque deliberatione, clauem oris habeat in arca cordis. vnde quantum ad hoc securus est. Eccle. 21. In ore fatui cor illius, & in corde sapientum os illorum. Septimum remedium est, quòd inter omnia præcipuum videtur esse, vt homo orando linguam suam Deo commendet. Domini enim est gubernare linguam, vt legitur Prouer. 16. vnde Dauid: Pone Domine custodiam ori meo.

¶ De silentio claustralium, & eius commendatione.

OCTAVVM remedium est silentium claustralium. Hieron. Linguam maledicam indictum emendat silentium. & sicut in sexto clauis oris ponitur in arca cordis, in septimo verò ponitur in manu Dei: sic in octauo ista clauis oris ponitur in manu prælati. Qui autem nesciente prælato & nolente, portam oris aperuerit, postquam ei clauem tradidit, fractor videtur esse templi spiritualis, & cum clauem faciat cõtra clauem, videtur esse latro.

¶ Quæ valeant ad commendationem silentij claustralis.

AD commendationem vero claustralis silentij, Primo possunt valere exẽpla, & præcipue exẽplum Christi. de quo dicit Gl. super

super illud Esa. 2. Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum. Herodi vel Pilato pauca respõdit. ne differretur salus humani generis. ¶ Legitur etiam quòd abbas Agathon lapidem in ore suo per triẽnium portabat, donec taciturnitatem diſceret. ¶ Legitur etiam de abbate Pambo, quòd fratres dixerunt ei, vt diceret aliquem sermonem Alexandrino episcopo ad se venienti. Qui ait: Si in taciturnitate mea non ædificatur, nec in sermone meo ædificabitur. Inuenitur etiam de quodam milite potente qui voluit intrare religionem, & misit quendam vasallum suum ad abbatem, iniungens ei quòd diceret abbati se velle intrare istam religionẽ. Addidit etiã quòd diceret se esse mutũ, paratum tamen in omnibus se obedire, quod ideo fecit, quia sæpe in lingua offenderat, & cogitauit quòd nisi caueret sibi, lingua sibi auferret bona quæ ibi faceret, & receptus est miles in religione illa, & credebatur mutus. Exiens autem quadam vice eũ abbate ad quendam militem qui laborabat in extremis, vidit animam eius quum moreretur mirabiliter à dæmonibus trahi, & cõpatiens fleuit. & discedentes inde obuium habuerunt quẽdam aliũ militem, qui promisit abbati quòd renũtiaret seculo, & cum eũ præcederet in quodã ponte tentaturus viam coram abbate, decidens de ponte submersus est, cuius animam vidit miles ab angelis in specie monachi in cælum deferri, & solutus est in gaudium. Cum autem abbas venisset ad claustrum, adiurauit militem in virtute obedientiæ vt sibi diceret si loqui posset, & cur in morte illorum duorum se taliter habuisset. Cui miles, Male feci, quia contra propositum meum me loqui feci, sed tamen tibi indicabo. & narrauit ei omnia per ordinem. Audiens abbas cecidit ad pedes eius. Miles autem renuens, petiit vt in aliquo recluderetur loco, vbi taciturnitatis suæ propositum posset seruare. ¶ Secundo possunt valere ad commendationem silentij sacra verba quæ illud suadent: vt est illud August. super, Domine exaudi. Loquela sit in necessitate, taciturnitas in iocunditate. Et Arsenio cum discederet à palatio vt monachus fieret, facta est vox, dicens: Arseni, fuge, tace, quiesce. Hæc enim sunt radices non peccandi. Hier. Multo melius est de duobus imperfectis rusticitatem sanctam habere, quàm eloquentiam peccatricẽ. ¶ Tertio potest valere ad commendationem silentij, si ostendãtur bona quæ ex silentio proueniunt.

¶ De vtilitatibus silentij & eius commendatione.

NOTANDVM ergo quòd silentium hominem fortem efficit, vnde Esa. 30. In silentio & spe erit fortitudo vestra. Abbas pastor:

Omnis labor qui euenerit tibi ex taciturnitate, separabitur. Sicut, vix vel nunquam pugil vincitur, nisi malum verbum dixerit: sic vix vincitur à diabolo, qui à malis verbis sibi caueric. Item silentium pacem facit. Vnde Esa.32. Erit opus iustitiæ pax, & cultus iustitiæ silentium. Silentium est quasi quædam cultura iustitiæ. Sicut enim ex nimia loquela frequenter sequituriniuria tam Dei, quàm proximi: sic ex silentio iustitia nutritur, ex quo velut ex quadam arbore fructus pacis colligitur: vnde cum claustralibus pax summè necessaria sit, valde necessarium est eis silentium, vnde pax sequitur. Multæ lites & iræ remouentur ex obseruatione silentij. Prouerb.26. Qui imponit stulto silentium iras mitigat. ¶ Item silentium est signum sapientiæ. Senec. Taciturnitas homini stulto pro sapientia est. Quidã philosophus cuidã rustico in conuiuio tacenti, Et docti, inquit, hoc solum habes. Pro.18. Stultus si tacuerit, sapiens reputabitur. Et Iob 13. Vtinã taceretis, vt putaremini sapiẽtes. Sapiens: Nemo stultus tacere potest. ¶ Item silentiũ etiam est spiritualis profectus. vnde Thren.3. Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se. Homo qui iã leuauit se supra statum hominũ, qui habet Deum consolatorem & collocutorem potest esse solitarius, & tacere. Ex quo enim habet Deum pro socio, non curat de consortio humano. Sene. Primum argumentum cõpositæ mentis existimo posse secum consistere, & secum morari. Bern. Cum quo Deus est, nunquam est minus solus, quàm cum ipse est solus: quod ideo dicitur, quia tunc liberius habet suum verum socium, scilicet Deum. Homo etiam cui Deus interius loquitur, non curat multum de loquela exteriori. Greg. Non sufficit proficere homo ad vtrũque diuisus: quia si exterius auditum aperit, interius surdescit. ¶ Item silentium præparat hominem colloquio diuino. vnde Thren. 3. Bonum est præstolari cum silentio salutare Dei. Filius Dei verbum est: ideo auditũ & auscultationem requirit. Ec.32. Vbi nõ est auditus, nõ effundetur sermo. Et 1.Reg.3. Loquere domine, quia audit seruus tuus. Silentium seruare, est os vnde exit ignis & flamma obstruere. ¶ Item silentiũ seruare est bestiã indomabilẽ clausam tenere. Iac.3. Omnis natura bestiarũ, & voluctũ, & serpẽtũ, & cęterorum domantur & domita sunt à natura humana: linguam autẽ nullus hominũ domare potest. ¶ Itẽ silentiũ seruare, est gladiũ penetrantissimum in vagina abscondere. Ps. Lingua eorum gladius acutus. Item silentium seruare est foueam obstruere, per quam homo sæpe cecidit, & collum cadendo sibi fregit. Eccl.14. Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo.

¶ *Quòd*

¶ *Quòd diligenter esset obturanda fouea illa, quæ toties fuit homini occasio ruinæ & talis ruinæ.*

SILENTIVM est frænum viri claustralis. Vnde claustralis sine silentio est quasi equus sine fræno. Silentium etiam clauis religionis est. vnde claustrũ absq; silentio, proprie claustrum non est, cum sit absq; clausura: sed est velut vrbs patens & absque murorũ ambitu. Vnde Pro.25. Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu: sic vir qui non potest in loquendo cohibere spiritũ suum. Claustrum absque silentio est velut vinea absque sepe, quæ direptioni exposita est. Ecc.36. Vbi non est sepes, diripietur possessio. Eccl.10. Qui dissipat sepem, mordebit eũ coluber. Mat.21. legitur de sepe ista: Homo erat paterfamilias qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei. & Pro.24. Per agrum hominis pigri trãsiui, & per vineam viri stulti: & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Item hic per Maceriã intelligitur, quod prius per sepem. Et innuitur quòd negligentia & pigritia prælatorum, causa sit, quòd silentium & aliæ claustrales obseruantiæ in claustris non obseruentur. Sicut solet obstrui vas, in quo sit vinum ferratum, vt vinum fortius sit: sic oportet quòd claustralis districtio obseruet silentium, vt feruor deuotionis sit in eo. Alioquin si os eius ad loquacitatem fuerit apertum, quicquid deuotionis in eo est, exhalat. Item silentium in claustro suffocatio malitiæ est: quia iuxta verbũ prius positum, qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. ¶ Silentium etiam signum est, mortis veteris hominis: loquacitas in claustrali qui debet esse mortuus, stupenda est, sicut si videremus hominem mortuum loquentem. Religio vero vbi non obseruatur silentium, potest dicere illud Iob 30. Quasi rupto muro & aperta ianua irrueruntsuper me. Vltimo ad commendationem silentij potest valere illud Sapientis: Locutum esse aliquando pœnituit me: tacuisse verò, nunquam. ¶ Item Chusi, qui interpretatur silentium, erat amicus Dauid. Vnde, Posui ori meo custodiam &c.

SVMMÆ VITIORVM

FINIS.

INDEX RERVM SINGVLARIVM, QVAE IN *hac Vitiorum Summa continentur.*

Adulteriũ simplex & dulex. 50
Adulterij grauitas ex septem ostenditur. 49
Aspectus mulierũ est valde timendus. 61
Auditus cãtionũ amatoriarũ est valde timendus. 62
Auaritiam natura dissuadet. 88
Auarus duodecies maledicitur in Sacra scriptura. ibi.
Auaritiæ grauitas ostẽditur quatuor testimoniis scripturæ. 89
Auaritia est omniũ infirmitatũ spiritualium grauissima. 93. Eiúsque grauitas ex duodecim potest ostendi. ibi.
Auarus septem habet infirmitatès. 95
Auar⁹ cur diuitiis nõ satietur. 97
Auaritia est misera seruitus, & à diuitiis possidetur. 99. & se. Et sex faciunt ad miseriã illius seruitutis. 101
Auaritia habet magnam vim ad capiendum & detinendũ animas. 102
Auaritia est Deo exosa, proximo iniuriosa, subiecto suo damnosa. 104
Auari quadruplex stultitia. ibi.
Auaris Deus irascitur, & quatuor actionibus eos odit. 105
Auarus quinque rusticitates facit Deo, quas homini non faceret. ibi.
Auari diuitis insania ostenditur. 107. Eiúsque multiplex stultitia. 108. & seq.
Auarus stultè agit custodiendo diuitias, quatuor de causis. 114
Auaritia multiplex malum facit. 122
Auaritia comparatur per scripturam. 125, & seq.
Auaritia detestatur per exempla. 126. & seq.
Aduocatorum auaritia. 158
Aduocationis officiũ dissuadent octo. ibi.
Aduocatorum duodecim sunt pericula. 159
Aduocatos malos dominus punit multiplici pœna. 160
Aduocati mali sunt similes hæreticis. 161
Aduocatus malus dolum facit sicut nouacula. 162
Aduocati mali sunt sagittarij diaboli. 163
Aduocati per ranas designantur. 165
Auaritia mercenariorũ est detestanda. 162
Auaritiæ ecclesiasticorum septẽ sunt signa. 188
Auaritia scientiæ detestanda ostenditur ex duodecim. 224
Auaritiæ sex dant occasionẽ. 233
Acedia detestanda ostenditur exẽplis. 243. & seq.

Acediam dissuadet scriptura, ad laborémque hortatur. 245
Acediam Deo displicere ostenditur. 247
Acedia diabolo placet. 248
Acedia nocet proprio subiecto, inferendo malum culpæ & pœnæ. 248
Acedia auferthomini bona naturæ, gratiæ, & gloriæ. 251
Acedia detestanda ostenditur. 254. & seq.
Acediæ xvj. sunt species. 256
Acedia claustraliũ ex qua duodecim mala proueniũt. 298
Amor ordinatus, & amor inordinatus. 308
Appeticus propriẽ excellẽtiẽ diuiditur in tres appetitus. 351
Appetitus dominij est vitiũ detestandum. ibi.
Ambitiosis tendentibus ad dignitatem est male, peius, pessime. 352
Ambitiosis male esse ostenditur multipliciter. ibi.
Appetitus magisterij est culpabilis quinque de causis. 357
Appetitus simplicis excessus est vitium detestandum, & qui eo laborant. 362. & seq.
Adulatio quid si, & quomodo Sacra scriptura dissuadet. 570
Adulatio & laudatio iisdem literis diuersimode dispositis constant. ibi.
Adulatores diuersis rebus comparantur. ibi.
Adulatores sunt locustæ. 571
Adulatio est peior detractione. ibi.
Adulatores sunt ranæ propter loquacitatem. ibi.
Adulator hominẽ iugulat. ibi.
Adulatio quantum nocumentũ afferat homini. 572
Adulator est maledictus, abominabili, & detestabilis. ibi.
Adulatoris stultitia. 573
Abusiones clausti xij. 582

BEneficia plura habere, est malum. 188
Beneficiorum pluralitatis causę sed inefficaces. 190
Beneficia plura habere esse malũ, nemo dubitat nisi cæc⁹. 192
Beneficia plura habentes maledicuntur à Deo. 193
Beneficiorum pluralitas inducit hæresim Sabellij. ibi. & 194.
Beneficiorum pluralitatẽ habẽs in sex est reprehensibilis. 195
Bona parua & bona magna. 308
Bona opera tripliciter glorificant hominem. 399
Bellum prouenit ex ira. 515
Bellum excitare duodecim deberent cohibere. 516
Blasphemiæ peccatũ detestandum ostenditur. 538
Blasphemię magnitudo seu grauitas quibus circunstantiis pateat. 540
Blasphemos tolerantes, quàm culpabiles sint. 542
Blasphemia oris & cordis. 543
Bilingues, & quid ab huiusmodi peccato debeat homines cohibere. 544

CHristus magisterium mãsuetudinis sibi ascribit, & omnes virtutes docet. 25

Christus amauit nos gratis. 251.
Item discretè, vehementer, & fructuosè. 253
Christus virgines dilexit. ibid.
Contumelia sequitur ex vitio gulæ. 26
Colloquium mulierum est valde timendum. 64
Choreas ducere quàm malum, periculosum & fatuum sit, ostenditur. 68. & seq.
Choreas ducere ostenditur malum esse septem testimoniis scripturarum. ibidem
Choreas ducere periculosum est sex rationibus. 71
Choreas ducere est fatuum. 74
Conditiones scientiæ Decretorum & similium. 164
Choritarũ peccatũ tripliciter dominus legitur puniuisse. 172
Conseruantium fructus qui habent reditus annuos, fatuitas ostenditur. 200
Clerici currentes ad nummos horarios sunt auari. 204
Conficienti dignè quid sit necessarium. 205. & seq.
Conficienti dignè quædam pertinere leguntur in sacra scriptura. 207
Conuersionem accelerare octo mouere debent. 268
Conuersionem acceleratam octo bona sequuntur. 269
Consuetudinis malæ pericula ostenduntur. 270
Conuersio dilata est difficilior propter xij. 272. & seq.
Confessionem sex bona consequuntur. 285
Confessionem differentium vsque ad mortem fatuitas ostenditur. 286
Confiteri nolentes in quadragesima vsque ad finem, fatui ostenduntur. ibidem
Condescendere debent patres spirituales fratribus. 307
Curiositas magistrorum pessima occupatio, propter multiplex periculum. 291
Caudæ mulierum. 376
Corrigiæ sericæ deauratæ sunt reprehensibiles, multiplici ratione. 377
Conuiuiorum superbia apparet in multis. 407
Claustrales debent à superbis æquificiis cohiberi. 410
Cantus in quo est reprehensibilis. 413
Consuetudo ecclesiarum quę nolunt canonicare nisi nobiles, est reprehensibilis sex de causis. 422
Clericis non sola sufficit humilitas interior. 428
Clericorum superbè se ornantium intentiones distinguuntur. 432
Communicans cum excõmunicato, cõtra multos peccat. 474
Conuicij peccatum multa cohibere debent. 576
Contentionis peccatum quid debeat cohibere. 577
Contentio cum quinque personis est maximè cauenda. 578
Consilium prauum dare deberent homines cohiberi. 579
Consilium, à quibus personis sit sumendum. 580
Comminationem indiscretam vitare debemus. 584

Delicata non debet quærere homo, triplici ratione. 35
Deceptio in cohabitatione mulierum prouenit ex tribus. 67
Diuitiarum v. sunt fructus. 111
Deliciæ clericorũ septem mortes continent. 117
Dolere debet, qui non communicat semel in anno. 214
Dilatio multum nocet homini, cuius duæ sunt species. 266
Deum ad peccatorem intrare duo impediunt. 267
Differens conuersionem sex modis iniquè agit in Deum. 276
Differens conuerti, est iniquus in angelum tripliciter. 277
Differens conuerti, est iniquus in seipsum. ibidem
Differens cõuerti peccat in proximum & in inferiores creaturas. 278
Dilatio est fatua in octo casibus. 281
Dilatio confessionis fatua ostenditur. 284
Diligentia quæ impeditur ex tribus. 290
Dissolutus quis dicatur, & dissolutio vnde prouenit. 292
Desperatio vnde prouenire solet. 297
Delicata cibaria multa mala faciunt. 307
Doctrinam bonam & vitam malam habere, est habenti valde verecundum. 358. Ecclesię nocet. 359
Diabolus multũ conatur semina re errores in ecclesia Dei. 423
Diuinationis quatuordecim species. 443
Diuinatio est multum detestanda. 444. A qua multa cohibere deberent. ibidem
Diuinatorum pœna secundum canones est multiplex. 445
Diabolus quomodo futura prædicat. 448
Decimas dare multa mouere debent. 458
Decimæ reddendæ sunt de melioribus integrè, citò, & libenter. 460
Dominica die creatus est mundus, natus Christus, resurrexit, & Spiritũ sanctũ misit. 410
Defensio proprij peccati est vitium detestandum. 551
Defendentis peccatum suum stultitia multiplex. 552
Defendendi vel excusandi peccatum suum diuersi modi. 554
Detractionis vitium detestandum ostenditur, quæ xij. ponuntur. 561. & seq.
Detractor quibus rebus comparetur. 562
Detractores sunt testes iniqui. 565
Detractoris crudelitas. ibidem
Detractor est iniquus in seipsũ in proximũ, & in Deum. 566
Detrahere tũm neminitum patri carnali aut spirituali minimè debemus. 568
Detractionis triplex genus. ibid.
Detractiones audire dissuadet scriptura diuina. ibidem

Detractionem libenter audiens est valde reprehensibilis. 569
Detractiones impatienter tolerans peccat. ibidem
Derisio. vide Irrisio & Irrisores.
Discordias seminantium peccatum multa cohibere debebant. 401
Dicta diuinatorum cur tam frequenter eueniunt. 571

EBrietas est detestanda propter multa. 34
Error allegantium impotẽtiam continendi destruitur. 82. & seq.
Exaltationis sex sunt species. 330 & seq.
Erubescentia bona & mala, & quæ sit bona. 390
Erubescendum est de xvj. 391
Erubescentium mala detestanda ostenduntur. 394
Erubescentium bene agere fatuitas ostenditur. 395
Erubescẽtes de bono, male se habent ad Deum tripliciter. 398
Ecclesiæ, quę nolunt canonicare nisi nobiles, quinque peruersitates habent. 422
Errores ex superbia procedere solent. 441
Errores quatuor in quibus fideles videntur esse. 443
Excommunicationis duæ species. 471
Excommunicatio est multum timenda xij. rationibus. ibidem
Excommunicare faciliter quatuor debent prohibere. 477

FOrnicatio est peior homicidio vel rapina. 5
Fornicatio meretricum est detestanda. 52
Fornicatio simplex est prohibita. 79
Fornicatio simplex prohibenda fuit propter octo. ibidem
Fatuum est quærere quare Dominus simplicem fornicationem prohibuit. 81
Fornicationem dominus prohibuit misericorditer. ibidem
Fraus in mensura est graue peccatum. 551
Feruor indiscretus acediæ opponitur, & detestandum vitium ostenditur. 303
Feruorem indiscretum multa mala comitantur. 304
Feruentes indiscretè, duodecim laborant stultitiis. 305
Fatuitas de se præsumentium ostenditur. 348
Forma vestium vitiosa reprehenditur. 382
Familia potentum reprehenditur ex tribus. 383

GVlã detestari faciunt xiij. 25
Gula est vna de grauioribus infirmitatibus. 32
Gulosus graui seruitute laborat, quæ in sex attenditur. 33
Gulę species comessatio & ebrietas. 34
Gulæ species secundum Gregorium sunt quinque. 35
Gulæ iiij. sunt aliæ species. 36
Gulæ iiij. sunt satellites. 37
Gulę remedia ponũtur octo. ibi.
Gradus superbię secundum Bernardum. 437

HOmo spiritualis omne opus suum trina consideratione præuenit. 191. & seq.
Homines debent moueri ad temporis conseruationẽ propter octo. 252
Homini tria sunt necessaria vt debito modo dormiat. 260
Homo debet erubescere de veste triplici ratione. 370
Homines à malo duo solebant cohibere. 394
Hypocrisis est vitium detestandum. 486
Hypocrita quibus rebus assimilatur. ibidem
Hypocrita habet lanuginem pro fructu. 487
Hypocritæ vix conuertũtur. 488
Hypocritæ maledicuntur à Deo octo maledictionibus. 489
Hypocrisis tres sunt species. 490
Homo iracundus stultus est in recipiendo iram, conseruando, indicando. 513
Homicidium multa deberent cohibere. 523
Homicidium iniustorum homi num quo ad aliquid, est periculosius quàm iustorum. 526
Homo debet quinque timere circa veniale peccatum. 587
Homo quatuor habet sua. 109
IMaginationes somniorum fiunt vi dæmonis. 447
Iniuria multiplex proximo irrogatur ex vitio gulæ. 26
Immunditia minus tolerabilis est in ore, quàm in alio membro. 27
Incestus grauitas ostenditur. 49
Infidelitas triplex est in prælatis carnalibus. 450
Inconsummationis seu imperseuerantiæ vitium detestandum. 291
Incuria vitium, & incurius quis dicatur. 293
Ignauia, & quis hoc vitio laborat, & ignauiæ xij. ibidem
Indeuotio est ariditas proueniens multis de causis. 295
Irrisores quàm mali sint, & ecclesiæ nociui. 401. & seq.
Infidelitas superstitiosorum est peior idololatria paganorum. 450
Inobedientia est vitium detestandum. 461
Inobedientiam mala multa sequuntur. 462
Ingratitudo magna est non obseruare diem Dominicũ. 468
Inuidia est detestanda. 492. & sequent.
Inuidia est peccatum in Spiritum sanctum. ibidem
Inuidiæ duæ species. 498
Ira est detestanda. 500
Ira displicet Deo quinque de causis. 502
Ira diabolo placet. 503
Ira nocet proximo. 504
Iracundi hominis amicitia est cauenda. ibidem
Ira nocet proprio subiecto. ibid.
Iracundus quibus rebus comparetur. 505
Iracũdi multæ sunt stultitię. 506
Iracundus sex habet iniquitates, quando vult se vindicare. 514
Ira, detestanda ostenditur exem-

plis. ibidem
Ira bona & mala. 515
Ira interior & exterior, item ira in se, & in proximum, & in Deum. 516
Incēdiarius quis dicatur, & quòd octo debent homines cohibere ab huiusmodi vitio. 521. & sequent.
In iuramento septem dissuaden tur. 557
Iactantia, & quid contra eam valeat. 583

LVxuriam detestari faciunt sex. 39
Luxuriam detestari faciunt quinque alia. 40. & seq.
Luxuriam fœtere angelis, ostenditur tripliciter. ibidem
Luxuriam placere dæmonibus ostenditur. 41
Luxuriam esse Deo contumeliosam. 42
Luxuriam esse iniuriosam proximo ostenditur tripliciter. ibi. 43
Luxuria est subiecto suo noxia.
Luxuria est detestanda propter alia quatuor. ibidem
Luxuria est potens ad retinendum. 44
Luxuria ponit hominem in magna vilitate. ibidem
Luxuria ponit hominem in magna seruitute. 45
Luxuria est de vitiis quæ dæmones erubescunt. ibidem
Luxuriæ duæ species. ibidem
Luxuria dupliciter sumitur. 46
Luxuria generaliter dicta quinque habet species, & totidem strictè accepta. ibidem
Luxuriæ contra naturam gravitas octo modis ostenditur. 47
Luxuria diuiditur secundum diuersitatem subiectorum. 52
Luxuria clericorum ex septem aggrauatur. ibidem
Luxuria valde est indecens in sacerdote quinque de causis. 53
Luxuria in religiosis aggrauatur ex sex. 54
Luxuria sanctimonialiū quàm grauis sit ostenditur. 57
Luxurię viij. sunt incitamēta. ib.
Luxuriam impugnare debemus fugiendo. 57
Laquei auaritiæ tribus modis sunt occulti. 103
Lumen rationis est valde pretiosum. 100
Ludum consequi possunt sex decim mala. 227
Ludo accidere potest transgressio totius decalogi. 228
Ludorum xij. stultitiæ. 229
Lusor quocunque se vertat, inuenit qui sibi dissuadeat peccatum. 231
Ludentibus non debet quis assistere. 232
Ligna voluerunt super se vngere regem. 354
Linguæ vitium vitare multa mouent homines. 530
Linguæ peccata quatuordecim enumerantur. 537

MAlum multiplex prouenit ex gula. 28.
Malum exemplum per quod excitatur luxuria. 58
Mulieres sunt fugiendæ. Mercatores abundant octo malis. 155
Mercatores triplicem fraudem faciunt in mensuris. ibidem
Munera accipientibus decem mala proueniunt. 153
Munerum acceptores in quinque reprehendi possunt. 154
Munerum tres sunt species. 158
Malum multiplex prouenit ex carnali amore in ecclesia. 177
Ministris ecclesię plus nocet carnalis amor, quàm simonia. 180
Modis pluribus ostenditur quis dignus honore. 181
Mercenarius multiplex malum infert ecclesiæ. 182
Mercenarij mali sunt latrones. 187
Missæ in quibus casibus plures sunt dicendæ. 198. & seq.
Missas plures dicere ostenditur malum multipliciter. 199
Multiplicatio altarium absque necessitate est damnosa. 200
Mollis & mollities quid sit. 257
Mons superbiæ est locus infelicissimus. 503
Magisterium proprium est Dei, vt probatur testimoniis scripturæ. 359
Magisterium curiosorū est magnæ afflictionis. 360
Ministerium bonorum doctorum est magni meriti. 362
Mulieres se fucantes reprehenduntur. 380
Mulieres sex cohibere deberent portare crines alienos. ibid.
Mulieres quinque debent cohibere à nimio amore pulchritudinis. 383
Mulieres se ostentantes sunt incendiariæ sacrorū locorū. 389
Mala pœnæ quidam succursus sunt contra mala culpæ. 596
Malefici qui sint, & quare sic dicantur. 449
Maleficia vnde habeant efficaciam. 450
Meditatio sancta in diebus festis debet esse circa quatuor. 466
Meditatio & oratio sunt quasi duo pedes, quibus in cælum ascenditur. 468
Moderatio prædicationis quinque respicit. 532
Murmur quid sit. 544
Murmur est detestandum propter multa. ibidem
Murmuris diuisio. 546
Murmurare de paupertate & temporis importunitate est fatuum. 547
Murmurasse contra prosperitatē malorū videtur sancti. 548
Murmur claustralium. ibidem
Murmurans claustralis vult sibimet authoritate propria dispensare de cruce religionis contra omnia iura. 549
Mendacium quid sit, & quæ valere possunt ad detestationem eius. 557. & seq.
Mendacium diuiditur multipliciter. 560
Maledictū seu maledictio quid sit, & quàm detestanda. 574
Multiloquium multa debent cohibere. 588

NEgotiatio bona & vtilis prius facta est mala. 150

Negligentia in quo attenditur, & cui opponitur. 289
Negligentia detestãda propter sex ostenditur. ibidem
Nobilis non est aliquis, quia ex nobilibus oriatur, & hoc ostẽditur rationibus. 418
Nobilitas carnis est contemnenda propter decem. 416
Nobilitas animi duplex. 419
Nobilitatis veræ sex sunt signa. 420

OTiosus non modo est stultus, sed etiã stultior, & stultissimus. 260
Otiosus habet duodecim stultitias. 261
Oris fructus sunt octo. 262
Otiosi tempore gratiæ sunt valde reprehẽsibiles quatuor de causis. 265
Occupatio vt sit bona, tria debet habere. 269
Odium Dei ad superbum est inueteratum. 322
Ornatus raptorum & vsurariorum. 383
Ornatus superbus mulieris multis nocet, & ipsi multis modis. 385
Ornatus superbus mulierũ est culpabilis propter intentionem multiplicem. 387
Ornatum lectorum sex cohibere deberent. 404
Obseruatio temporum quomodo est reprehensibilis. 449
Obedire vniuersa monent hominem. 465
Obseruantiam solennitatũ quatuor docent. ibidem
Odium est detestandum. 517

PRęcipit quis indiscrete multis modis. 475
Prælatum sex debent prohibere à multitudine pceptorũ. 475
Præceptorum nimietas solet religionem destruere. 476
Perrsecutores sunt benedicendi duabus de causis. 511
Principum magna peruersitas, quia tunc capiunt bona subditorum ad honorem Dei, & capiunt quando Deus prohibet. 543
Periurij duæ species. 554
Periurium est detestandum. ibi.
Periurare duodecim cohibere deberent homines. 555
Promissio indiscreta est peccatum à quo homines cohiberi debent. 585
Peccatum nocet homini quatuor rationibus. 30
Peccatum vetularum ad turpitudinem inducẽtium, quãm graue sit ostenditur. 58. & seq.
Paupertatis raptorũ causa multiplex. 145
Peccatum ædificantium Sion in sanguinibus est detestabile. 174
Peccatum ędificantium Sion in sanguinibus, detestandum ostenditur octo exemplis. ib. & authoritatibus scripturæ. ibid. & sequenti.
Pastor curam suscipiens, in sex est obligatus. 196
Periculum multiplex est in dispensandis rebus ecclesiæ. 198
Promotio puerorum ad sacros ordines & dignitates, est malum multiplici ratione cauendum. 201
Peccatum indignè conficientiũ detestandum, probatur authoritatibus, rationibus, & exemplis. 213
Proprietas est vitium religioso detestandum. 216
Proprietas triplex figuratur in tribus quæ furatus est Achor. 217
Proprietarius religiosus laborat duodecim stultitiis. 220
Proprietatis religiosi peruersitas. 222
Proprietarius multiplex malũ in se continet. 329. & seq.
Prædicatores sibi solum viuentes quid timere debeant. 227
Prodigalitas distinguitur à largitate quadrupliciter. 236
Prodigalitatem multa mala cõ sequuntur. 237
Prodigorum stultitiæ quinque ponuntur. 238. & seq.
Prodigalitatem in clericis sex debent prohibere. 239
Peccator in quanto periculo sit ostenditur multipliciter. 253
Philosophi laborabant superbia. 311
Præsumptio est valde timenda triplici ratione. 348
Præsumptionis quatuor sunt species. 349
Præferre se aliis est iniquitas magna quantum ad Deum. 346. & quantum ad proximum. 347
Pepla mulierum & vittæ croceatæ reprehenduntur. 347
Prælati multum debent conari ad humilitatem contra superbiam. 434
Pythonissa quomodo Samuelem suscitauit. 449
Personæ aliquæ sunt plus aliis honorandæ. 456
Peccantes in diebus festis sunt valde fatui & peruersi. 470

QVatuor sunt quæ sunt hominis. 109
Quare tam frequenter eueniũt quæ dicunt diuini. 448

RAptus quid sit. 52
Remedium contra luxuriam est triplex, sicut contra ignem. 65
Remedia alia contra luxuriam ponuntur. 77
Rapinam exercere sex vetari debent. 139
Rapinæ grauitas ostenditur ex duodecim. ibidem
Raptores sunt peiores diabolo in tribus. 140
Raptores sunt peiores bestia quacunque. 141
Raptores multum puniri à Domino ostenduntur ex quatuor. 143
Raptores punientur à Domino etiam in hoc mundo. 145
Redeuntes ad peccatum mortale postquam susceperunt sacramentum Eucharistiæ, graniter Deum offendunt. 215
Religiosus debet fugere vitium proprietatis propter quinque mala quæ ex huiusmodi sequuntur exemplo Achor. 218

Religio debet maximè persequi vitium proprietatis. 224
Remedia contra auaritiam sunt octo. 234
Rapina stolidorum clericorum est valde periculosa. 240
Remedia contra negligentiam duo. 290
Remedia contra desperationem. 298
Remedia contra acediam sunt octo. 301.& seq.
Remedia cõtra superbiam. 344
Remedia quatuor contra malam erubescentiam. 400
Reuerentiam debemus exhibere quatuor. 453
Reuerentia quare sit exhibenda patribus spiritualibus & carnalibus. 456
Reuereri parentes excitamur exemplis. ibidem
Remedia contra vanam gloriã sunt octo. 484
Remedia cõtra superbiam sunt octo. 491
Remedia cõtra iram sunt octo. 527
Remedia contra iram propriã. 528
Remedia cõtra peccatum murmuris sunt quatuor. 550
Remedia contra adulationem quatuor. 573
Rumores amare cauere debent maxime claustrales. 582
Reuelationem secretorum tria cohibere debent. 584
Risus huius temporis error est. 589
Risus multiplex. 590
Remedia contra peccatum linguæ sunt octo. 591
STupri magnitudo ostenditur, & quid sit. 51
Saltatrices significantur per locustas quæ ascenderunt de puteo abyssi. 69
Simonia detestanda est propter octo. 165
Simonia duodecim contumelias infert Deo. 167
Simonia damnum multiplex infert. 170
Simoniæ & simoniacorum triplex diuisio. 172
Sacerdos qualiter est præparandus vt dignè conficiat. 207
Somnum corporis inducit pigritia. 258
Somnus corporis in quinque prehendi potest. ibidem
Superbia bona quæ sunt, expellit: quæ non sunt, intrare non permittit: quę manent, falsificat. 309
Superbia quomodo se habeat ad alia vitia. 310
Superbia est signum quo suos diabolus ab aliis distinguit. 312
Superbus quomodo se habeat ad proximum. ibid.
Superbus quomodo se habet ad Deum. 314
Superbus sibi assumit quod deus specialiter vult habere. 315
Signa odij spiritualis quo Deus odit superbum. 318
Superbum Deum odire duodecim exẽplis ostenditur. 319

Superbia quare sit ita Deo exosa. 322
Superbia est abominabilis. 323
Superbia non de facili curatur multiplici ratione. 334
Superbia arundini vento agitatæ comparatur. 336
Superbia comparatur diuersis rebus. ibidem
Superbos seruos Dominus non vult habere. 337
Superbiam dominus persecutus est verbo & exemplo. 338
Superbia diuiditur multipliciter. 339
Superbus sex facit quibus ostendit se bona sua à se habere. ib.
Superbia exterior quid dicatur, &quomodo distinguitur. 363
Superbia ornatus, destruitur auctoritatibus. 365
Superbum ornatum dissuadent multa exempla. 366
Superbè se ornantium duodecim stultitiæ. 368
Superbum ornatum multa cohibere deberent. 373
Superbus habitus culpatur multis de causis. 375
Superfluitas vestium in longitudine. ibid.
Superfluitas in multitudine vestium,& materia. 376
Superbia ornatus lectorum. 403
Superbia in equitaturis apparet quadrupliciter. 405
Superbiam in equitaturis sex cohibere deberent. ibidem
Superbia in familia. 407
Superbia in ædificiis reprehenditur. 408
Superbia librorum est detestanda propter octo. 412
Superbia cantus. 413
Superbire de nobilitate generis est valde fatuum. 416
Superbire de rebus temporalibus est fatuum. 424
Superbia diuiditur secundum diuersitatem personarũ. 425
Superbia est timenda ministris ecclesiæ quinque de causis. ibidem.
Superborum clericorum excusationes responsiuæ quatuor, & earum confutationes ponuntur. 427
Superbia quadruplex inuenitur in claustralibus. 435
Superstitiosa remedia distinguuntur. 514
Serui non sunt contẽnendi. 454
Sabbatum dicatum esse beatæ Virgini quadruplici ratione. 469
Signa quibus probatur quòd Deus amat pacem, sunt multa. 517
Scurrilitas est detestanda. 589
Scurra est velut capra vel simia. ibidem
Silentium claustrale commendatur. 592
TActus mulierum est valde periculosus. 64
Tẽporalia non sunt hominis. ib
Talliæ iniustæ sunt peccatum graue. 147
Tallias iniustas facienti sex mala proueniunt. 149
Tallias iniustas facere est vile peccatum. 150

Universidad de Deusto Biblioteca

Tepiditas quid sit, & quæ mala facit. 256
Tarditatis vitium sex dissuadent. 266
Tristitia in seruitio Dei, Deo displicet homini nocet, & diabolo placet. 523
Tædium vitæ vnde proueniat. 526
Testimonium falsum detestandum ostenditur. 560
Timent tripliciter erubescentes. 396
Turpiloquium dissuadetur. 588
Taciturnitas indiscreta est vitiosa. 590
Tacere in prælatis malũ est. ibi.
VItia summè sunt vitanda. 22
Vita vitiosorum est aspera & molesta. 24
Vitia innumera proueniunt ex gula. 28
Vsura detestãda ostenditur per scripturam sacram. 128
Vsurarius habet multiplicem iniquitatem. 129
Vsuram detestari faciunt duodecim. 131
Vsurarios Dominus punit multiplici pœna. 133
Vsura manifesta & palliata. 134
Vsura palliata sex habet species. ibidem
Vsurarij sunt reprehensibiles in octo. 136
Vsurarium octo debent inducere vt restituat. 137
Vitia quandoque oriuntur ex superbia. 441
Vtrum liceat sortibus vti. 446
Vtrum liceat somnia obseruare. 497
Vacandum est à quinque in diebus festis. 466
Vana gloria detestanda ostenditur authoritatibus, exemplis, & rationibus. 478
Vanitates octo seu fatuitates sunt in vanè gloriosis. 47
Vana gloria est peccatum Deo Contumeliosum, proximo nociuum. 481
Vana gloria diuersis rebus comparatur. 482
Vera gloria, verior, & verissima. 483
Vana gloria diuiditur: humana gloria diuididitur, & carnalis comparatur. ibidem, & 484
Verbum otiosum quid sit, & quomodo homines ab huius modi cohiberi debeant. 560. & sequen.

FINIS.

SVMMAE VIRTVTVM, AC VITIORVM, PER FIGVRAS,

SVMMARIVM.

Tituli Summarij Summæ Virtutum & Vitiorum.

De Fide.
De Spe.
De Charitate.
De dilectione proximi.
De Prudentia.
De Temperantia.
De Iustitia.
De Fortitudine.
De Victoria.
De Patientia.
De Martyrio spirituali.
De Tribulatione.
De Paupertate.
De Humilitate.
De Obedientia.
De Timore.
De Pace.
De Continentia in genere.
De Continentia virginali.
De Munditia cordis.
De Misericordia & compassione.
De Vita actiua.
De Cõtemplatione & consolatione.
De Perseuerantia.
De Efficacia verbi diuini.
De Prælatis, & primo de ætate eorum.
De Solicitudine eorum.
De Continentia eorum.
De Constantia eorum.
De Vita eorum.
De Cõtemplatione eorum.
De Scientia eorum.
De Prædicatione eorum.
De Misericordia eorum.
De Ambitione dignitatũ.
De Pluralitate beneficiorum.
De Simonia.
De Dotibus animæ.
De Dotibus corporis.
De Vita æterna.

De Vitiis in genere.
De Gula.
De ebrietate.
De Remediis gulæ.
De Luxuria.
De Speciebus luxuriæ.
De Remediis contra luxuriam.
De Choreis.
De Auaritia.
De Vsuris.
De Raptoribus.
De Monachis proprietariis.
De Lusoribus.
De Acedia & Otio.
De Indeuotione.
De Desperatione.
De indiscreto feruore.
De Ira & Odio.
De Guerris.
De Incendiariis.
De Homicidio.
De Remediis iræ.
De Inuidia.
De Superbia.
De Superbia vestium.
De Hypocrisi.
De Peccato linguæ.
De Blasphemia.
De Murmure Claustralium.
De Periurio.
De Mendacio.
De Bilinguibus.
De Semine discordiæ.
De Derisoribus.
De Maledicis.
De Detractione.
De Adulatoribus.
De Iactantia.
De Multiloquio.
De Silentio religiosorum.
De Singularitate.
De Suspicione & falsis iudiciis.

FINIS.

SVMMAE VIRTVTVM, ET VITIORVM PER FIGVRAS,

SVMMARIVM.

FIDES generat { Victoriam, Iustitiam, Gloriam.

¶De primo, 1.Ioan.5.Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Sed nota q̃ omne quod est in mundo, aut est concupiscentia, &c.1.Ioan.2.Ista tria vincuntur fide incarnationis, passionis, ascensionis. De secundo, Gene.15.Credidit Abraham Deo, & reputatum est, &c. De tertio, Apoca.2. Esto fidelis vsque ad mortem. Hæc notantur, ad Hebr.11.ibi, Sancti per fidem vicerũt, &c.

Item Fides { A peccato purgat, Animam saluat, In tentatione confortat.

¶De primo, Act.5.Fide purificãs corda eorum. De secundo, Luc.17.Fides tua te saluam fecit. De tertio, Heb.11.Fortes facti sunt in bello. Est enim sicut clypeus & lorica.1.Thes.5. Induti loricam fidei. Ephes.6.In omnibus sumentes scutum fidei. Hebræorum 11. Fide muri Iericho corruerunt.

Item Fides { Mentem illuminat, Tentationes mitigat, Filios Dei parit.

¶De primo, Luc.18.Respice, fides tua te saluum fecit. De secundo Hebr.11.Fide transierunt mare rubrum. De tertio, Io.1.Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei, &c.

Item Fides { Virtutes generat, Confusionem deuitat, Christum ad orandum incitat.

¶De primo, Aug. Fides bonorum operum fundamentum. Fides humanæ salutis est indiciũ. Matt.7. Fundata enim erat supra firmam petrã. Hac ratione dicitur mater & radix virtutũ: & hoc intellige quo ad motus, nõ quo ad habitus. De secũdo, Rom.10. Qui credit in illũ, non cõfundetur. De tertio, Ioan.17. Nõ pro his rogo tantũ, sed & pro his qui crediturí sunt per verbũ eorũ in me.

Item fides est { Miraculorum, Sacramentorum, Scripturarum.

¶De primo, Matth.17. Signa autem eos qui crediderint, hæc sequentur. Item: Omnia possibilia sunt credenti. Eiusdem 9. De secundo, Greg. Fides non habet meritum cui, &c. De tertio, Hebr. 11. Credere oportet accedentem ad Deum.

Item fides { Vitam tribuit, Beatum reddit, Terrena contemnit.

¶De primo, Apostolus Ro.1. Iustus ex fide viuit. Ioan.11. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. Intellige de vita gratiæ. Item glorię, Marc.16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. De secundo, Ioan.20. Beati qui non viderunt, & crediderunt. De tertio. Hier. Qui veram fidem de Deo habet, non quærit in his miseriis fieri diues. Nota quòd iste cõtemnit diuitias, delitias, & honores. Quæ tria notantur Hebr.11. Fide Moyses grandis factus,

Item fides debet esse { Charitate formata, Constantia fundata. Humilitate subiecta.

¶De primo, Iaco.2. Fides sine operibus mortua est. De secundo, Matt.17. Si habueritis fidem sicut granũ sinapis. Licet modicum sit, tamen est acerbum & feruidum: sic fuerunt martyres qui sua corpora tradiderunt. De tertio, Apostolus 2. Cor.10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi. Fides super omnem sensum est, & naturam, & intellectum.

Spes operatur { A peccato liberationem, A diabolo protectionem, Orationis exauditionem.

¶De his tribus in Psal. Quoniam in me sperauit, &c. Aug. Dulcis Iesus, sub quo nemini desperandum.

Item est spes { Veniæ, Gratiæ, Gloriæ.

¶De primo, Aug. O breue verbũ, peccaui. O tres syllabæ quę portas aperiũt paradisi. De secũdo Iob 14. Lignũ habet spẽ si pręcisum fuerit. De tertio, Aug. Nos cũ illo per spẽ in cælo, ipse nobiscũ in terra per charitatẽ. Gre. Spes sine meritis nõ est spes, sed pręsũptio.

Item spes confert { Gratitudinem, Agilitatem, Dei inhabitationem.

¶De

¶De primo, Psalm. Beatus vir cuius est nomen domini spes eius. De secundo, Esaiæ 40. Qui autem sperant in domino, mutabunt fortitudinem. De tertio Psal. Lætentur omnes qui sperant in te, in æternum exultabis, & habitabis in eis.

Diligere Deum est { Vtile, Delectabile, Honestum.

¶De primo 1. Ioan.4. Qui manet in charitate. De secundo, Aug. Solus sine molestia animatur, cum iucunditate amplectitur, cum securitate desideratur. De tertio. Auguſt. Suaue mihi factum est, &c. vnde vestis nuptialis dicitur.

Item Charitas { Rationabilem illuminat, Concupiscibilem inebriat, Irascibilem confortat.

¶De primo, Anselm. O immarcessibilis decor, & purus. De secũdo, Aug. Quis mihi det, vt venias in cor meum, &c. Est enim charitas vinum Cypri. De tertio, Cant.8. Fortis est vt mors dilectio. Hæc inseparabilem separauit, immortalem occidit, Laurentium assauit, Bartholomæum excoriauit.

Item Charitas { Incipientes mundat, Proficientes ditat, Perfectos glorificat.

¶De primo, Luc.7. Dimissa sunt ei, &c. De secundo, Augu. Sectamini charitatem, sine qua diues pauper est, & cum qua pauper dicitur. De tertio, Iudic.5. Domine, qui diligunt te, quasi sol in ortu suo splendet, ita rutilant.

Item diligitur Deus { Intellectu sine errore, Memoria sine obliuione, Voluntate sine contradictione.

¶De primo, Apostolus 1. Cor.12. Adhuc excellentiorem viam vobis demonstro. De secundo, Prou.17. Omni tempore diligit qui amicus est, quia amore Dei delectatur iugiter. De tertio, Auguſt. Gratis ametur, & opus quo ministratur ei merces sit cum illo.

Item Charitas { Opera facit vtilia & aurea, Restituit amissa, Aliena facit propria.

¶De primo, Greg. Non habet aliquid viriditatis ramus boni operis, &c. Apost. 1. Cor.13. Si linguis ho. loquar. Honorabilis esset lapis, quo si quicquã tãgeretur, totũ aureũ esset. De secũdo, nota q̃ charitas est ann' Iubileus in quo redibũt possessiones ad proprios possessores. De tertio, Aug. Quicquid in alio diligo, mea facio.

Item Charitas { Mentem accendit, Securum reddit, Peccata operit.

¶De primo,Luc.12.Ignem veni mittere, &c.August. O amor qui semper ardes. De secundo,Augu.Habe charitatem, & fac quod vis.De tertio,1.Pet.4.Charitas operit multitudinẽ peccatorum. est enim quasi cappa quæ reddit inuisibilem: hanc si haberet aliquis captus, multum gauderet.

Item Charitas { Deo vnit, Mansiones in cælo disiungit, Christi discipulos ostendit.

¶De primo,Osee 11.In funiculis Adam trahã eos, &c.Est enim quasi bitumen quo linita fuit arca.De secundo,not.quòd significata est per auream virgam, qua mensurauit angelus longitudinem & latitudinem Ierusalem.Apocali.21. De tertio,Ioan.13. In hoc cognoscent omnes,quia mei dis.&c.

Item Charitas { Fessos alleuiat, Legem obseruat, Mœstos lætificat.

¶De primo,Mat.11.Iugũ enim meũ suaue est.De secũdo, Greg. Charitas operatur magna,si est.Itẽ Ro.13. Qui diligit proximũ, legẽ impleuit.De tertio,Aug.Infunde domine dilectionẽ tuam.

Item Charitas impedit { Inhæsionem temporalium, Obliuionem Christi beneficiorum, Tentationes affligentium.

¶De primo, Augu. Tanto quisque à superno amore disiungitur, quãto inferius delectatur.De secũdo, Ber. Vis scire homo quare Deũ non diligis?Idẽ: Super omnia te mihi reddit amabilẽ calix. De tertio, exẽplũ:quia sicut magnus ignis per ventũ augetur, sic paruus extinguitur:Ita dilectionẽ modicã tentationes annihilãt.

Item in charitate habes { Finem, Modum, Ordinem.

¶De primo,nota exemplũ de beato Francisco,de quo legitur, ꝙ quicquid in rebus reperit delectamenti, redegit ad gloriam Dei. De secundo,Bern.Causa diligendi Deum, Deus est,modus sine modo.De tertio,Cantic.2.Ordinauit in me charitatem, scilicet vt primo Deum,deinde nos,pòst proximum.

Dilectio proximi debet esse { Munda, Vera, Gratuita.

Primum

¶Primũ est, ꝙ homo non ad malũ diligatur:vt Herodes & Pilatus,qui facti sunt amici,vt dicitur Luc.23.De secũdo,2.Io. Quos ego diligo in veritate,&c.quia tũc cor cõcordat cũ ore.Sic nõ fecit Iudas,nec ille 1.Re.20.qui dixit ad Amasam,Salue mi frater,tenẽs mentũ eius,&c.De tertio, Mat.5.Si diligitis tantũ eos qui vos diligũt,quã mercedẽ,&c.Eccl.6.Est amicus socius mẽsę.Hęc est amicitia Laban ad Iac.Sic sequitur musca mẽsam,cadauera lupi.

Item diligendus est proximus,quia est { Hæres regni, Imago Dei, Socius prælij.

¶De primo,Psal.Dedisti hæreditatem ti.&c.Apost.Ro.8. Si filij, & hæredes.De secundo,1.Io.secundo: Quia diligit fratrẽ suum, &c.De tertio, Pro.18. Frater qui adiuuatur à fratre,quasi ciuitas firma.Sed de quibusdã dicitur, cùm fueris felix. Christus autem dilexit inimicos,dicens,Pater,ignosce illis,quia &c.Luc.23.

Item diligendus est proximus,vt { Ius naturale impleatur, Charitas Dei habeatur, Ad diligendum prouocetur.

¶De primo,Matt.7.Quæcunq; vultis vt faciant vobis homines. Etiã naturaliter,simile simili congaudet.De secundo,1.Io.3.Qui viderit fratrem suum necessitatem habere,&c.Idem,Filioli mei non diligamus verbo,neque lingua,&c.De tertio.Apostolus Ro. 12.Si esurierit inimicus tuus,ciba illum:si sitit,potum da illi:hoc enim faciens,carbones ignis congeres super caput eius.

Prvdentia { Beatum constituit, Claritatem tribuit, Omnia bona adiicit.

¶De primo,Eccles.12.Beatus vir qui in sapientia morabitur.De secundo,Daniel 12. Docti fulgebunt sicut stellæ, &c. De tertio, Sapien.7.Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa,&c.

Item prudentia { Virtutes dirigit, Iras compescit, Insidias non metuit.

¶De primo,Leui.2.In omni sacrificio sal.off.De secundo,Pro. 15.Stultus suscitat rixas:sapiens autem mitigat suscitatas.De tertio,Sapien.7.Et proposui pro luce habere illam. Prouerb. 7. Dic sapientiæ,Soror mea es, & prudentiam voca amicam tuam. Sic non fecit Sampson,Amasa,Nabal.

Item ꝓ rudentia acquiritur { Studio scripturarum, Contemptu deliciarum, Exemplo creaturarum.

¶Dē primo,Psal.Præceptum domini lucidum,illuminans ōculos,Item de septem artibus.De secūdo,Apostolus 1.Cor.3.Si quis vult sapiens fieri,stultus fiat. scilicet terrena contemnendo, vt sit sapiens.Non enim inuenitur in terra suauiter viuētium. Iob. 28.De tertio,Matt.10.Estote prudentes sicut serpentes.Prouer.6. Vade ad formicam,ô piger.

Item prudens considerat { Præterita, Præsentia, Futura.

¶De primo,Apoc.4.& Ezech.1.Animalia erant plena oculis ante & retro. De secundo, Naum 3.loquens de voluptate mundi: Omnis qui viderit te,à te resiliet:est enim transitoria amaritudine permista & nociua. De tertio, Prouer. 4. Palpebræ tuæ gressus tuos præcedant.de his tribus Bern.Vide homo vnde veneris, & erubesce &c.Item Deuteron.32.Vtinam saperent & intelligerent,ac nouissima prouiderent.

Item habet prudentiam { Pugnatoris, Mercatoris, Nauigatoris.

¶De primo,Augu.Arma virtutis non deseras, aduersariū tuum atteras.Apostolus ad Ephe.6.Non est nobis colluctatio aduersus carnem.De secundo,Aug.Vis esse optimus mercator &c. Matt. 25.Domine quinque talenta tradidisti mihi.De tertio, Aug.Stude habere remos charitatis Dei & proximi , & haustorium confortationis,& velū crucis,& cùm ventos tribulationis videris,ad litus tende perpetuæ beatitudinis.Psal.Hoc mare magnum, &c.

Item sis prudens contra deceptionem { Mundi, Carnis, Diaboli.

¶Mundus enim decipit sicut calamus qui trahitur ante carum, & sicut lignum putridum de nocte lucens,& sicut somnium.Caro autem decipit,sicut papelardus, qui dicit se infirmum & pauperem,cùm non sit,& sicut vinum inebrians potantem , & sicut latro qui se socium simulat in via,donec decipiat. Diabolus verò decipit vt cuculus arundineus,& sicut venalis, & sicut ille qui vult canem submergere.

Item prudenter cognosce { Interiora vt custodias, Superiora vt diligas, Inferiora vt timeas.

¶De primo,Ber.Multi multa sciunt,&c.Idem:Integritatis sis curiosus explor. De secūdo,Iere. 2.Si obliuisci potest mulier ornamenti

menti sui.De tertio,Psalm.Descendunt in inferiora terræ. Bern. Ne descendant morientes.

TEMPERANTIA { Beatum ostendit, Decorem tribuit, Glorię coniungit.

¶De primo,Medium tenuere beati.Bernard. Tene medium , si non vis perdere modum.De secundo,nota quòd sol qui est decentissimus planetarum,est medius inter illos.De tertio,nota quòd comparatur ligno vitæ, quod est in medio paradisi , ferens fructus vberes.

Item temperantia { Afflictiones temperat, Vitia refrænat, Medium seruat.

¶De primo,Apostolus Rom. 12.Rationabile obsequiū vestrum. Nota ꝙ modus in omnibus commendatur , & sæpe plus quàm actio.Item forma dignior est materia.De secundo, nota ꝙ Temperantia comparatur ferro limæ,quæ tollit superfluū. De tertio, Medio tutissimus ibis. Hoc medium seruauit Dominus,quādo fecit Euam, nō de manu vel de pede,sed de costa:& quādo fecit hominem partim corporalē,partim spiritualem,& etiā posuit eum inter creaturas partim spirituales,& partim corporales.

IVSTITIA { Hominem beatum facit, Floridum ante Deum constituit, Suum vnicuique tribuit.

¶De primo,Eccl.14.Beatus vir qui in sapiētia mor.& qui in iustitia medit.De secundo,Psalm.Iustus germinabit sicut liliū.Item, Iustus vt palma flor.&c. Tertium patet , quia reddit Deo honorem,proximo compassionem,sibi sustentationem.Vnde hæc via regia,nec ad sinistram,nec ad dexteram declinabit.

Item Iustus { A Domino deducitur, Christo in cælis iungitur, De angustiis liberatur.

¶De primo,Sap.10.Iustum deduxit Dominus per vias rectas. De secundo,Psalm.Innocentes & recti adhæserunt mihi. Et nota ꝙ lilium habet rectum stipitem , in summo florem : sic rectus per iustitiam Christum habebit florem.De tertio , Prouer. 11. Iustus de angustia liberatus est.

Item iustus { Viuet æternaliter, Epulabitur delectabiliter, Securus erit finaliter.

¶De primo,Psalm.Iusti autem in perpetuū viuent. De secundo,

Psalm. Iusti epulentur, &c. De tertio, Prouer. 28. Iustus quasi leo confidit hoc & in morte.

Item Iustus { Seruat rectitudinem, Induet pulchritudinem, Recipiet benedictionem.

¶ De primo, Psal. Lætamini in domino & exultate iusti. Rectum autem est, cuius mediũ non exit ab extremis. De secundo, Sap. 5. Fulgebunt iusti, &c. Psal. Lux orta est iusto. De tertio, Prouerb. 10. Benedictio domini super caput iusti.

Item iustitia corrumpitur { Amore, Timore, Rancore.

¶ De primo, Esaię 5. Qui iustificatis impium pro mũneribus. Nota quòd duplex amor corrumpit iustitiam, scilicet personæ & pecuniæ. De secundo Matt. 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Item Ioannes Baptista potius voluit occidi, quàm non veritatem dicere. Item exemplum in Eleazaro, 1. Machab. 7. De tertio, Matt. 27. Sciens quòd per inuidiam tradidissent eum.

Item in iustificatione impij concurrunt { Infusio gratiæ, Dimissio culpæ, Remissio pœnæ æternæ, Dolor pœnitentiæ.

¶ Vltimum est ex parte nostri, alia ex parte Dei. De primo, Apostolus 1. ad Corint. 15. Gratia Dei sum id quod sum. De secundo, Esaiæ 43. Ego sum qui deleo iniquitatem propter me. De tertio, Sap. 3. Iustorum animæ in manu Dei sunt. De quarto Ioël. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu.

FORTITVDO consistit { In aggressione arduorum, In contemptu prosperorum, In perpessione aduersorum.

¶ De primo, Psal. Viriliter age, & confortetur cor tuum. Aug. Libẽter debet facere immortalis futurus. De secũdo, Luc. 14. Qui non odit patrem & matrem. De tertio, Cant. 8. Fortis est vt mors dilectio. Apo. ad Ro. 8. Quis nos seperabit à charitate Christi, &c.

Item fortitudo { Mentem protegit, Perseuerantiam adducit, Regnum cælorum tribuit.

¶ De primo, nota quòd protegit, sicut vestis à pluuia. Prouerbiorum vltim. Fortitudo & decor indumentum eius. Item sicut arma. Boẽtius: Talia contuleramus arma, &c. Item sicut custos castrum. Lucæ 11. Cùm fortis armatus, &c. De secundo, nota quòd

quòd est sicut cæmentum tenens lapides ne soluantur, & quasi bonum fundamentum. Matthæi 7. Venerunt flumina, & flauerunt venti. De tertio, Matth. 11. Regnum cęlorum vim patitur, & violenti, &c. Prouerb. 31. Mulierem fortem quis inueniet?

Item firmi simus contra { Mundum, vt diuitias contẽnamus. Corpus, vt delitias respuamus. Diabolũ, vt honores nõ appetamus.

¶ De Primo nota, quòd Sampson vicit Philisthæos in mãdibula asini, id est, amore paupertatis. Prouer. 30. Leo fortissimus bestiarum. Sis ergo leo. De secũdo, Apostolus ad Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum. Vnde nota, Si ea quę nobis, vicina sunt, non prosternimus, inaniter ad ea quæ longè sunt à nobis, impugnanda transimus. Sed in his tene modum: quia si carnem multum affligis, ciuem tuum occidis. Si plus debito reficis, hostem nutris. De tertio, 1. Regum, 17. Qualiter Dauid Goliam vicit, sic & tu diabolũ baculo crucis, & funda orationis. Item nota, quòd cibus & potus confortat, tertij Regum, decimonono. Elias ambulauit in fortitudine cibi illius, & Petrus potatus gratia Spiritus sancti, dixit Actuum 5. Oportet magis obedire Deo, quàm hominibus. qui prius dixit, Non noui hominem. Matth. 26.

Victoria { Hominem in cælo collocat, Fortitudinem incorruptionis præparat, Ferculis æternis cibat.

¶ De primo, Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. De secundo, Apocal. 3. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & foras non egredietur amplius. De tertio, Apocalyp. 2. Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.

Item victori dabitur { Gloria ineffabilis, Corona admirabilis, Laus interminabilis.

¶ De primo, Apoc. 2. Vincẽti dabo manna absconditũ, & dabo illi calculum cãdidum, & in calculo nomẽ nouũ scriptũ, quod nemo scit, nisi qui accipit. In hoc quod dicit absconditũ, notatur ineffabilitas, de qua Apostolus 1. Cor. 2. Quod oculus non vidit, nec auris audiuit. De secũdo, Apostolus 2. Tim. 2. Nemo coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Nota quòd victores olim coronabãtur lauro. Itẽ cãtica de ipsis fiebãt, sicut 1. Reg. 18. Saul percussit mille, & Dauid decẽ millia. Adapta de tertio Apoca. 3 Qui vicerit, nõ delebo nomẽ eius de libro vitę, & cõfitebor nomẽ eius coram Patre meo & angelis eius. Itẽ Amb. Lauda ducis virtutẽ, sed cùm

cùm venerit ad triumphum: lauda nauigantis facilitatem, sed cùm peruenerit ad portum,

Item victoria { A morte gehennæ liberat, / Claritatem æternam expectat, / Vestitu regio decorat.

¶De primo, Apoc.2. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda. Item de secundo ibidem: Qui vicerit, dabo illi stellam matutinam. De tertio, Apoc.3. Qui vicerit, vestietur vestimentis albis.

PATIENTIA { Christo assimilat, / Iocunditatem expectat, / Sustinendo coronat.

¶De primo, Lucæ 13. Pater ignosce illis. Bernard. Vtrunque es mihi domine Deus, & speculum patiendi, & premium patientis. Sed quidam dicunt se non meruisse dolorem. Tales potius volunt assimilari latroni qui propter culpam passus est, quàm Christo. De secundo Ecclesiast.1. Vsque in tempus sustinebit patiens, & postea redditio iocunditatis. De tertio, Ioan.12. Qui odit animam suam in hoc mundo. Item malum in bono conuertit, de felle fauum elicit, de mœrore gaudium facit. Deuteronom.33. Inundationes maris quasi lac suget.

Item patiens { Martyr probatur, / Beatus ostenditur, / Miraculis decoratur.

¶De primo, Gregorius: Sine ferro martyres esse possumus, si patientiam in animo veraciter conseruamus. De secundo, Matt.5. Beati qui persecutionem patiuntur. De tertio Gregorius. Ego virtutem patientiæ maiorem puto signis & miraculis.

Item patientia { Iram temperat, / Linguam refrenat, / Mentem gubernat.

¶De primo, Apostolus Roman.12. Noli vinci à malo. De secundo, Prouerb.26. Non respondeas stulto. De tertio, Lucæ 21. In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Item patientia debet esse in { Iniuria verborum, / Molestia verberum, / Ablatione rerum.

¶De primo, 1.Petri 2. Qui cùm malediceretur, nõ maledicebat. Exemplum in Vitis patrum, qui munera dedit iniuriantibus. De secundo, Iob 2. Si bona suscepimus, &c. Vnde patiens assimilatur adamanti. De tertio, Matthæi 5. Si quis aufert tibi tunicã, dimitte ei & palliũ. Exemplum in Vitis patrũ de senibus qui nesciebãt litigare

tigare pariter.

SPECIES martyrij spiritualis sũt, { Abstinentia in abũdãtia, / Abiectio in gloria, / Mansuetudo in iniuria.

¶De primo, Hieronymus: Duplex est species martyrij. Vna quãdo quis pro Christo occiditur. Alia quando caro pro Deo maceratur. Primo martyrio dabitur corona de rosis. Secundo, de liliis. Congaudẽdũ est tali, qui in aqua non submergitur, sicut Ionas & filij Israël in mari rubro. Et inter spinas non suffocatur, & in luto non coinquinatur. De secundo, Apostolus 2.Corinth.8. Cùm esset diues, propter vos egenus factus est. Exemplum in Balaan de quatuor gladiis. De tertio, Matt.5. Si quis te percusserit in maxillam, &c. Iste est quasi scorpius, qui sub lapide non frangitur.

Item species martyrij sunt { Continentia in iuuentute, / Largitas in paupertate, / Gaudium in aduersitate.

¶De primo, Matth.19. Sũt eunuchi qui seipsos castrauerũt propter reg.cæ. De secundo, exẽplũ in muliere quę misit duo minuta: Marc.12. De tertio, Act.5. Ibant Apostoli gaudentes, &c.

Item species martyrij sunt, { Charitas cum litigiosis, / Iustitia cum peruersis, / Obedientia in contrariis.

¶De primo, Matth.5. Diligite inimicos vestros. Psalm. Cum his qui oderunt pacem, &c. Isti cùm sint inter bestias, nõ dilacerantur sicut Daniel. De secundo, Psal. Cum sancto sanctus eris. Sed iste licet picem tangat, non inquinatur: licet in rota sit, non moritur, & hoc mirabile est. De tertio, Gregorius: Obedientia quæ habet aliquid de suo, nulla est.

TRIBVLATIO { Viam ad cælum parat, / Lætificat, / Coronat.

¶De primo, actuũ decimoquarto. Per multas tribulationes oportet &c. Exod.13. De columna ignis in nocte, &c. Itẽ filiis Israël erãt aquę pro muro. De secũdo, Iacob.1. Omne gaudiũ existimate fratres, &c. glos. ne indignemini, &c. Actuum 5. Ibant apostoli gaud. &c. De tertio, Iacob.1. Beatus vir qui suffert tentat. &c. Item in Vitis patrum de VII. coronis, quas meruit quidam nocte vna. Iob 2. Pellem pro pelle.

Item tribulatio { Erudit, / Vestit, / Deum attrahit.

De

¶De primo, Esa.28. Vexatio dabit intellectum auditui. De secundo, Apoc.7. Isti sunt qui venerunt ex magna trib. De tertio, Psal. Cum ipso sum in tribulatione. Sicut cum Susanna. Dan.13.

Item tribulatio { Probat, Roborat, Refrigerat.

¶De primo, Tob.12. Qui acceptus eras Deo. Ecclesia.27. Vasa figuli probat fornax. nota de illo in Vitis patrum, qui furi dixit, Ecce oblitus es. De secũdo, Apostolus 2. Corint.12. Quãdo enim infirmor, tunc potens sum. Sicut testa in igne: sic nobilis lapis cùm sculpitur, non frangitur. De tertio, Psalm. Transiuimus per ignem & aquam.

Item tribulatio { A peccato conuertit, Peccata tollit, Pœnam peccati soluit.

¶De primo, Psal. Conuersus sum in ærumna, &c. De secũdo, exẽplum in tribus pueris quibus ignis soluit tantum vincula, vnde tribulatio est quasi rosarium, vel scopa, vel pecten tollens immunditiam. De tertio, Apoc.21. Absterget Deus omnem lacry. 3. Reg.6. Sonus malleorum non audiebatur in temp.

Item tribulatio { Simulat, Humiliat, Glorificat.

¶De primo, Psal. Imple facies eo. ign. &c. Vnde est quasi ventus pellens nauem, & quasi calcar. De secundo, Apostolus 2. Corint. 12. Ne magnitudo reuelationum. Exemplum in marina. De tertio, Roman.8. Non sunt condignæ passiones huius temp. id est, id quod in præsenti est. Greg. Considerato præ. v. f.

Item tribulatio { Consolationem tribuit, Virtutes perficit, Acceptum Deo reddit.

¶De primo, Ps. Virga tua, & baculus tuus, &c. Apostolus 2. Cor. 1. Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. De secundo, Apostolus 2. Corinth.12. Virtus in infirmit. perficitur. De tertio, Tob.12. Quia acceptus eras Deo. Apocal.3. Ego quos amo arg.

Item tribulatio { Beatum constituit, Filium Dei ostendit, In tentatione defendit.

¶De primo, Iob 5. Beatus homo qui corripitur à domino. De secundo, Apostolus Heb.12. Flagellat omnẽ fi. &c. exẽplum de illo qui fleuit, quia eum dominus vno anno per infirmitatem non visitauit.

De tertio, Osee 2. Sæpiam vias spinis.

Item tribulatio { Conuiuium in cælo præparat, Inimicum debilitat, Charitatem inflammat.

¶De primo, Matthæi 20. Voca operarios, &c. Nota quòd canis libenter vult proiici cum carnibus quas comedat. De secundo, Ecclesiast.33. Virga & onus & cibus asino. De tertio Augusti. Accẽdebas nos valide. Nota quòd paruus ignis extinguitur, sed magnus accenditur vento. Quidam in Vitis patrum osculabatur cuidam furi manus in morte.

Item tribulatio { Paradisum reserat, Conscientiam seruat, Virtutes augmentat.

¶De primo, Actuum 7. Ecce video cælos apertos. vnde compara tur flammeo gladio. Aug. Hic vre, hic seca, &c. De secundo. Tob. 3. Post tempestatem tranquillum facis. Item dominus mutauit aquam in vinum. Ioan.2. De tertio, Exo.1. Quanto magis opprimebant eos, tanto magis crescebant.

PAVPERTAS meretur { Curam Dei in exilio, Iudicandi potestatem in iudicio, Laudem perpetuam in cælo.

¶De primo, Psal. Mendicus sum & pauper, & dominus solicitus est mei, sicut pater de filio, magister de discipulo, medicus de infirmo, aduocatus de clientulo, speculator de castro, agricola de agro. De secundo, Iob 36. Pauperi iudicium tribuit. De tertio, Psalm. Pauper & inops lau. &c.

Item pauperes { Orantes exaudiuntur, Venientes recipiuntur, Morientes ad patriam reducuntur.

¶De primo, Psalm. Desiderium paup. &c. De secundo, Psal. Factus est mihi dominus in refugium. De tertio, Luc.16. Factum est vt morereretur mend.

Item pauperes { Imitatores Christi se esse ostendunt, Diaboli manum effugiunt, Obliuionem Dei non incurrunt.

¶De primo, Apostolus secundę Corinth.8. Cùm esset diues, propter vos egenus, &c. Item Matth.8. Filius hominis non habet vbi caput suum reclinet. De secundo, Psal. Tibi derelictus est pauper tanquã paruulus proiectus à matre. Ps. Pater meus, & mater mea dereliquerunt me. De tertio, Psalm. Quoniam non in fi. ob. er. pau.

Item

Item paupertas { Hominem perfectum facit, Beatum ostendit, Pondus deponit.

¶De primo, Matthæi 19. Si vis perfectus esse, vade &c. De secundo Matth. 5. Beati pauperes spiritu. De tertio, Luc. 18. Facilius est camelum transire &c. Vnde Socrates proiecit thesaurum suum in aquam, dicens, Mergam te, ne mergas me.

Item paupertas { Securum efficit, Regnum tribuit, Iudicem lenit.

¶De primo, Poëta: Cantabit vacuos coram latrone viator. De secundo, Aug. Paupertate comparatur regnum, labore requies, dolore gaudium, ignominia gloria. De tertio, Matt. 11. Venite ad me omnes qui labo. & one. estis. Nota exemplum de stipendiis, quòd non dantur libenter his qui prius acceperunt.

HVMILITAS meretur { Dei memoriam, Spiritussancti gratiam, Cælestem gloriam.

¶De primo, Psalm. In humilitate nostra memor fuit nostri. De secundo, Psalm. Inter mediũ montium pertransibunt aquæ. & 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. De tertio Prouer. 29. Humilem spiritu suscip. gloria.

Itẽ humilitas meretur { Spiritussancti inhabitationem, Honorabilem exaltationem, Ostij cælestis apertionem.

¶Primum datur in exilio. Secundum in iudicio. Tertium in cælo. De primo, Esa. 66. super quem requiescet spiritus meus, nisi super hu. Item Cant. 2. Ego flos campi, & lil. conual. De secundo, Luc. 14. Qui se humiliat, exal. Item: Amice, ascende superius. De tertio, Apoc. 3. Quia modicam habes virtutem &c.

Item in humilitate { Præceptum Dei seruatur, Christus imitatur, Orationis efficacia habetur.

¶De primo, Eccle. 7. Humilia valde spiritum tuum. De secundo, Matt. 11. Discite à me, quia mitis sum & humilis corde. nota Christus asinum equitauit, Iudæ pedes lauit. De tertio, Eccle. 35. Oratio humiliantis se &c.

Item humilitas { Erudit, Vestit, Deo iungit.

¶De primo, Prouerb. 11. Vbi humilitas, ibi sapientia. Psalm. Declaratio sermo. tuorum ill. & intellectũ dat &c. De secundo, Esa. 28. Pallium breue vtrunque oper. De tertio, Marcito. Sinite paruulos venire ad me, Hæc est præcursor charitatis & socia.

Item humilitas { Liberat, Saluat, Virtutes seruat.

¶De primo, Ps. Humiliatus sum, & libe. me. Exemplũ de laqueis quos vidit beatus Antonius per totum mundum. De secundo, Ps. Quoniã tu populũ hu. sal. fa. De tertio, Greg. Qui virtutes sine hu. congre. quasi pul. in ven. por. Ber. In veritate didici. Vnde ipsa hu. congre. quasi pul. in ven. por. Ber. In veritate didici. Vnde ipsa est mater virtutum, & ciniş conseruans ignem. Quid autem humiliare debeat, require de miseria vitæ præsentis.

OBEDIENTIA { Christo assimilat, Victimas superat, Victoriam parat.

¶De Primo, Apostolus ad Phili. 2. Christus factus est pro no. obe. Imo ei cuncta obediunt. Iob 38. Stellæ vocatæ dixerunt, Assumus. De secũdo, 1. Reg. 15. Melior est obedictia &c. glo. quia dum alienæ voci hic subditur, nosipsos superamus: quasi diceret propriam carnem mactamus, sed ibi alienã. De tertio, Pro. 21. Vir obediens loquitur victoriam, quia Adam fuit inobediens, victus est.

Item obedientia { Deo est grata, Angelis iucunda, Sibi fructuosa.

¶De his Bernardus: Nihil angelis charius, nihil Deo acceptius, nihil hominibus fructuosius, quàm in suscepta conuersatione subsistere.

Item obedientia debet esse { Parata, Ordinata, Ardua.

¶De primo, Bernard. Illum optimum obedientiæ dixit &c. August. Verus obediẽs mandatum non procrastinat, aures parat auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri &c. De secundo, Actuum 5. Oportet Deo magis obedire, quàm hominibus. De tertio, Bernard. Ille tuus minister est domine, qui non intuetur audire quod voluerit, sed velle quod audierit. Talis fuit Abraham Gene. 12. Egredere de terra. Item 22. Tentauit Deus Abraham.

Item obedientia debet esse { Vniuersalis, Lætabilis, Rationabilis.

¶De primo, dixit beata Virgo ministris in nuptiis, Ioã. 2. Omnia

quæ dixerit vobis, facite. De secundo, Psalm. Paratus sum, & non sum turbatus: De tertio, Gregorius: Scito quòd propter obedientiam malum nunquam debet fieri, sed bonum quandoque potest intermitti. Iosue 1. Qui cunctis non obedierit ser.

Item est obedientia { Sufficiens, Abundans, Superabundans.

¶ Prima est, quando obeditur maiori. Secunda, quando æquali. Tertia, quando minori. De primo, Apostolus ad Hebræos 13. Obedite præpositis vestris. post, Non tantum bonis & modestis sed etiam dyscolis. Apostolus Rom 13. Qui potestati contradicit, Dei ordinationi contradicit. Vnde quia Adam non obediuit suo superiori, inobediens ei factum est suum inferius. De secundo, exemplum de duobus fratribus in Vitis fratrum, quorum vnus iussit alterum accendere toties lucernam &c. De tertio, Lucæ 2. Et erat subditus illis.

TIMOR alius est { Seruilis, Initialis, Finalis.

¶ De primo, Eccles. 1 Timor domini expellit peccatum. De secundo, Psalm. Beatus vir qui timet dominum. De tertio, Actuum 10. In veritate comperi &c.

Item timor { Peccatum pellit, Beatum ostendit, Acceptabilem reddit.

¶ De primo, Eccles. 1. Timor domini expellit peccatum. De secundo Psalm. Beatus vir qui timet dominum. De tertio, Actuum 10. In veritate comperi.

Item timor { Sapientiam generat, Mentem roborat, In fine remunerat.

¶ De primo, Eccles. 1. Radix sapientiæ est timere Deum. De secundo, Eccles. 27. Nisi in timore domini tenueriste. De tertio, Eccles. 1. Timenti Deum bene erit in extremis.

Item Timor domini { Animam ditat, Peccatum deuitat, Gratiam conseruat.

¶ De primo, Psal. Non est inopia timentibus eum. De secundo, Prouerb. 15. Timore domini declinat omnis à malo, & per consequens à malo pœnæ. vnde Matth. 10. Nolite timere eos qui corpori. De tertio, Eccles. 15. Qui timet Deum, faciet bona.

Item

Item timor domini { Cor delectat, Negligentiam fugat. Vitam prolongat,

¶ De primo, Eccles. 1. Timor domini delectabit cor, & dabit gaudium, & lætitiam long. dierum. De secundo, Ecclesiast. 7. Qui timet Deum, nihil negli. De tertio, Prouerbiorum 10. Timor domini apponet dies.

Item timens Deum { Iusticiam exequitur, Respectum Dei meretur, Fonte vitæ irrigatur.

¶ De primo, Malach. 1, Si ego dominus, vbi est ti. meus? De secundo, Esaiæ 66. Ad quem autem respiciam, nisi ad pau. & contri. spiritu. De tertio, Prouerb. 14. Timor domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.

PAX { Consilium Dei firmat, Pœnam deuitat, Inimicos reconciliat.

¶ De primo. Ioan. 14. Pacem relinquo vobis. Hanc non habuit Cain & Ioab. De secundo Apostolus Hebræ. 12. Pacem sequimini, & sanctimo. sine qua nemo videbit Deum. Aug. Qui in pace non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, & à Spiritusancto alienus efficitur. De tertio, Apost. Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus. & sequitur. Hoc enim faciens, carbo. Psalm. Cum his qui oderunt pacem.

Item est pax { Temporis, Pectoris, Æternitatis.

¶ De primo, Augustin. Tantum bonum est pax, quòd etiam in suo contrario quæritur. Gene. 13. Diuisi sunt alter ab altero. De secundo, Lucæ 2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Hoc dicitur sabbatum delicatum. De tertio, Esaiæ 32. Sedebit populus meus in pul. pa. Hæc in cælo ordinat hierarchias.

Item pacificus { Dei filius ostenditur, Angelis associatur, Christo assimilatur.

¶ De primo, Matth. 5. Beati pacifici, quoniam filij Dei voc. De secundo, Basilius: Pacificus homo consortium angelorum merebitur. De tertio, Patet: quia Christus propter mansuetudinem agno comparatur. Si ieiunas vel vigilas, diabolus his non terretur, quia his non vtitur. Sed si pacem habeas, expauescet: quia hoc seruas in terris, quod ille noluit in cælis.

CONTINENTIA alia est { Coniugalis, Vidualis, Virginalis.

¶ De primo, Augustinus loquens de Abraham: O virum factis ventem viriliter, vxore temperanter, ancilla obtemperanter, nullo intemperanter. De secundo, 1. ad Timoth. 5. Quæ verè vidua est & desolata, speret in Deo, & instet orationibus & obsecrationibus nocte & die. De tertio, Apostolus 2. ad Corinth. 11. Desponsdi vos vni viro virginem casti. &c.

Item virginitas { Mandatum custodit, Decorem tribuit, Hominem beatum ostendit.

¶ De primo, Lucæ 12. Sint lumbi vestri præcin. De secundo, Psal. Audi filia, & vide &c. Hęc est arca deaurata intus & foris: hæc est sol inter planetas. De tertio, Matth. 5. Beati mundo corde.

Item virginitas { Deum loco parat, Pretium de longe portat, Dignitatem angelorum ministrat.

¶ De primo, Canti. 2. Qui pascitur inter lilia. De secundo, Proverbio. 31. Mulierem for. quis inueniet? De tertio, Eccles. 26. Non est condigna ponderatio continentis animæ. Propter hoc errat Aug. dicens: Da quod iubes &c.

Item hæc est hortus qui { Floribus ornatur, Fontibus irrigatur, A iuuenculis inhabitatur.

¶ De primo, Cant. 2. Sicut lilium inter spinas. De secundo, Cant. 4. Fons hortorum. De tertio, Cant. 2. Sonet vox tua in aur.

VIRGINITAS { In cælo se Deo iungit, Canticum nouum instruit, Aureolam imponit.

¶ De primo, sapien. 6. incorruptio proximum facit esse Deo. De secundo, Apoc. 14. Et nemo poterat dicere canticum. De tertio, Cant. 4. veni de libano &c.

Item { Amissa non recuperatur, Christum in cælo sequitur, In oratione exauditur.

¶ De primo, Hieron. Cùm Deus possit omnia &c. bene ergo custodientibus est flos iste ne marcescat. De secundo, Apocalyp. 14. Sequuntur agnum quocunque &c. De tertio, Cantic. 2. Sonet vox tua in aur. m. Vnde de sancta Catharina cantatur, Vox de cælis intonuit.

Item

Item per hanc { Consilium Dei seruatur, Anima pulchrè vestitur, A Deo virgo iuuatur.

¶ De primo, Matth. 19. Sunt eunuchi qui seipsos &c. De secundo, Prouerbio 3. Purpura & byssus &c. Psal. Astitit regina a dex. &c. De tertio, Psal. adiuuabit eam &c.

Item virgo { Honestè contrahit, Delectabiliter parit, Viriliter diligit.

¶ Primum patet, quia sponsum accipit pulchrum, diuitem, fortem, virtuosum. Secundum patet, quia proles sunt opera bona, de quibus Psal. Vt videas filios filiorum tuorum. id est, mercedem quæ sequatur operationem. Cantic. 7. Vmbilicus tuus crater, 10. vallatus liliis. De tertio, nota quòd in his nuptiis dos est vita æterna, thalamus cordis munditia, amplexus gratia. Cantic. 5. Læua eius sub capite meo.

MVNDITIA cordis { Beatificat, Vitam præstat, Mentem decorat.

¶ De primo, Matth. 5. Beati mundo corde. De secundo, Prouerbio. 4. Omni custodia serua cor tuum. De tertio. Apoc. 1. Præcinctum ad mammillas. Nota cum florent vineæ fugiunt serpentes. decorat ergo sicut flores campum, sicut arbores hortum, sicut cat bunculus annulum. Gene. 2. Plantauerat autem dominus Deus paradisum voluptatis.

Item { Domum Deo præparat, Sedem illi collocat, Deum pro sigillo seruat.

¶ De primo, 3. Reg. 7. Fecit rex Salomon thronum & templum, vbi fuit mensa & candelabra. De secundo, 3. Reg. 22. Vidi dominum sedentem super sol. Vnde similis est ordini thronorum. De tertio, Cantic. 8. Pone me sicut signaculum super cor tuum.

Item mentem { Ordinat, Sanat, Irrigat.

¶ Propter primum comparatur claustro. Vnde distingue in mente officina. Propter secundum comparatur theriacæ, quæ morsus serpentis & venena curat radicis: immunda vero cogitatio morsus serpentis. & mala radix est. Propter tertium, comparatur fonti. vnde Ezech. 36. Effundam super vos aquam mundam. Genes. 2. Fons egrediebatur de loco vol.

Item { Hostem interficit, Mortem excludit, Turpia fugit.

¶ De primo, Hieron. Non est timendus hostis qui &c. Genes. 3. Ipsa conteret caput. De secundo, Ierem. 9. Mors intrauit per fenestras. De tertio, Ecclesiast. 13. Qui tangit picem &c. Sed illas cogitationes quas diabolus immittit contra voluntatem hominis, ipse diabolus confiteatur & satisfaciat, & non homo.

Item gratiæ fructum { Producit, Colligit, Custodit.

¶ Propter primum comparatur ficulneæ. Propter secundum, similis est apothecæ. Sed nota, Vbi est thesaurus tuus, ibi &c. Matt. 6. Hoc patet in statera: quia illuc ponderat, vbi magis grauatur. Propter tertium comparatur castro. Lucæ 10. Intrauit Iesus in quoddam castellum. Expone tropologicè.

Misericordia, siue compassio { Vincit sacrificium, Efficit beatum, Pauperum est refugium.

¶ De primo, Oseæ 6. Misericordiã volui, & non sacrificiũ. De 2. Mat. 5. Beati misericordes. De 3. Psalm. Et factus est Dũs ref. pau.

Item { Præceptum naturæ seruat, Charitatem manifestat, Regnum cæli comparat.

¶ De primo, Matt. 7. Quæcunque vultis vt faciant vobis. &c. Apostolus Rom. 12. Gaudete cum gaudẽtibus &c. De secundo, 1. Ioannis 3. Qui viderit fratrem suum necessitatem pati. Nota sex opera misericordiæ, quibus charitas ostenditur. vnde Matth. 25. Esuriui, & dedistis mihi &c. De tertio, Apostolus 2. ad Timoth. 2. Si compatimur, & conregnabimus.

Item { Vocem Christi audit, Martyrem spiritualem facit, Duritiam emollit.

¶ De primo, Cantic. 5. Anima mea liquefacta est &c. De secundo, Grego. Qui dolorem recipit in aliena necessitate, crucem portat in mente. Apostol. 1. Corint. 12. Si dolet vnum membrorum &c. De tertio, Exechiel. 11. Auferam à vobis cor lapideum. Vnde comparatur oleo, cujus est emollire.

Item { Amicum probat, Vitam prolongat, In iudicio commendat.

¶ De primo, Luc. 10. Quis horum tibi videtur proximus fuisse illi? De secundo, Apostolus 1. ad Tim. 4. Pietas ad omnia valet. De tertio, Matth. 25. Esuriui, & dedistis mihi, &c.

Item opera misericordiæ spiritualia sunt { Peccantem corripere, Ignorantem instruere, Delinquenti ignoscere.

¶ De primo, Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus. De secundo, Iacob. 5. Qui conuerti fecerit pe. De tertio, Lu. 6. Dimittite & dimit. &c. Greg. Districtio debetur vitiis, compassio naturæ.

Actiua vita meretur { Retributionem, Exultationem, Dei commendationem.

¶ De primo, Matth. 20. Voca operarios, &c. De secundo, Psal. Qui seminant in lacrymis, &c. De tertio, Matth. 25. Esuriui, & dedistis mihi, &c.

Item actiua vita { Merita multiplicat, Tentationem declinat, Charitatem propalat.

¶ De primo, Cantic. 7. Venter tuus sicut aceruus. Psal. Vt videas filios filiorum. Filij sunt opera filiorum sunt præmia quæ debentur operibus. De secundo, Hier. Semper aliquid operis facito. De tertio, 1. Ioan. 3. Qui viderit fratrem suum necessitatem pati. Et de operibus misericordiæ.

Item { Meretur beatitudinem, Implet Dei ordinationem, Imperat ad contemplationem.

¶ De primo, Psal. Labores manuum tuarum, &c. De secundo, Genes. 3. In sudore vultus tui. De tertio, Gen. 32. Quia prius vocatus est Iacob, sed pòst Israël. Item primo Iacob duxit Liam, pòst Rachel. Item Beniamin primò vocatus est Bennon. Item prius sumus viatores quàm comprehensores.

Item vita actiua { Meretur exaltationem, Expectat satietatem, Euadit mendicitatem.

¶ De primo, Luc. vlt. Nónne oportuit Christum pati? De secundo, Apost. 2. ad Thessal. 3. Qui non laborat, non manducet. ergo econtra. De tertio, Prouerb. 20. Propter frigus piger arare noluit. Eiusdem 6. Vade ad for. &c.

Contemplationis species sunt { Lectio, Meditatio, Oratio.

¶Primo modo non solum fit contemplatio in libro vitę vel creatore,sed etiam creaturæ:quia inuisibilia Dei per ea quę facta sunt intellecta conspicit. Rom. 1. De secundo, Apostolus ad Philip. 3. Nostra conuersatio in cælis est. Sap. Stans in terra,scilicet corpore:cælum tangebat, scilicet mente. De tertio, Apostolus ad Philip. 4. In omni oratione peti. vestræ inno.

Item contemplatio operatur { Vitiorum eiectionem, Virtutum irrigationem, Conscientiæ decorem.

¶ De primo, Aug. Suaue mihi factum est, &c. De secundo, Esa. 58. Eris quasi hortus irriguus. Cogitatio enim de Deo quasi canalis est positus ad fontem vitæ. Genes. 2 Fluuius egrediebatur, &c. De tertio, Can. 1. Lectulus noster floridus. Eiusdem 2. Fulcite me flor.

Item contemplatione conuersandum est in cælo vt { Dulcedo hauriatur, Idioma angelicum discatur, Familiaritas acquiratur.

¶De primo, Aug. Infunde Deo dilectionem tuam. Vnde contemplatiuus quasi apes volat in horto cæleſti supra flores gaudiorum. De secundo, Apostolus 1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar. Sed qui de terra est, de terra loquitur. Ioann. 3. De tertio, Apostolus Ephes. 2. Iam non estis hospites, quasi dicat, etiam hoc prius fuistis. Sed heu quibusdam dicitur: Amen dico vobis, nescio vos. Matth. 25.

Item contemplatiuus à Deo { Diligitur, Exauditur, Cibatur.

¶De primo, Cantic. 2. Ne suscitetis dilect. &c. nam contemplatio somnus est. eiusdem 5. Ego dormio, & cor meum vigilat. De secundo, Psal. Delectare in domino, &c. De tertio, Eccl. 15. Cibauit illum pane vitæ, &c.

Item contemplatio { Illuminat intellectum, Accendit affectum, Præparat Deo domum.

¶De primo, Eccl. 11. Dulce lumen & delectabile, &c. vnde scimus quòd aquila irreuerberatis oculis intuetur solem, & proprium pullum eiicit, qui non idem facit. De secundo, Aug. Accendebas nos tam valide. De tertio, Prouerbior. 11. Sapientia ædificauit sibi domum.

Item { Temporalia contemnit, Secreta petit, Finiri nescit.

¶De

¶De primo, Psalm. Renuit consola. ani. Bernard. Delicata est diuina consolatio, nec facile, &c. Gregor. Tanto quisque à superno amore dis. quanto inferius delec. De secundo, Thren. 3. Sedebit solitarius, & tacebit. Hoc ideo facit, quia qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Prouer. 13. Exemplum in topazio. De tertio, Luc. 10. Maria optimam partem elegit, &c.

Item mentem { Eleuat, Lætificat, Inebriat.

¶De primo, Apoc. 12. Luna sub pedibus eius. De secundo, Psalm. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, propter hoc lætatum est cor meum. De tertio, Cant. 5. Comedi fauum, &c. August. Quis mihi det vt ven. &c.

Item { Angelicum officium assumit, Dilectionem ingerit, Secreta pandit.

¶ De primo, patet: quia angeli semper vident faciem Patris, & speculum æternitatis intuentur: sic & iste. Apocal. 4. Plena oculis antè & retro. De secundo, August. Memoria tua super mel dulcis: vnde tales quandoque rapiuntur in iubilum. est autem iubilus, gaudium quod pro sui dulcedine vel magnitudine taceri non potest, & tamen propter immensitatem rei non potest exprimi: & sic quatuor de causis vel ad insinuandam nostram infirmitatem, vel desiderij immensionem, vel rei quam expectamus immensitatem, vel ad causandam nimiam rei dilationem. De tertio, Apost. 2. Cor. 12. Scio hominem raptum. talis in secreto sit loco. Cant. 6. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, &c.

Item contemplatiuus gaudium cæli iam inchoat, habens { Dei præsentiam, Societatem angelicam, Dotum quandam gloriam.

¶De primo, 1. Ioan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet. sed sicut dicitur, Vbi Papa, ibi Roma: ita potest dici, Vbi Deus, ibi vita æterna. Luc. 17. Regnum Dei intra vos est. De secundo, Matth. 18. Angeli eorum semper vident faciem. Tertium patet: quia iam habet quandam cognitionem dilectionum, claritatem conscientiæ, agilitatem in bono opere. Aug. Ducis me in quandam inconsuetam dulcedinem.

Item adhæret anima Deo per contemplationem } sicut { Ramus trunco, Cera sigillo, Nauis plato.

¶De primo, Ioan. 15. Sicut palmes non potest facere fructum à se-

metipso, nisi manserit in vi. &c. Secundum patet: quia sicut cera recipit imaginem sigilli, sic anima virtutum similitudinem. Apostolus Eph. 5. Imitatores Dei estote, sicut filij charis. De tertio, Psal. Mihi autem adhærere Deo bonum est: quia in procellis tribulationum non mouetur animus in Deo fixus. vnde cum diabolus læsisset Iob in corpore, rebus, & pueris, anima non metuit, quia illam in cælo fixit, vbi diabolus non habet agere.

Perseuerantia { Viam rectam custodit, Maledictionem euadit, Opera ad perfectionem perducit.

¶ De primo 2. Per. 2. Melius est viam veritatis non agnoscere. De secundo, Hebr. 6. Terra sæpe venientem super se bibens imbrem. Sic Paulus euasit, quod Iudas incurrit. De tertio, illud philosophi: Cuius finis bonus est, ipsum to.bo. Item: Hic homo cœpit ædificare. Luc. 14. Item vna manus ædificans.

Item { Saluat, Coronat, Damnationem declinat.

¶ De primo, Matth. 10. Qui perseuerauerit vsque in finem. Nota, in vespere laudatur serenitas. De secundo, Apoc. 2. Esto fidelis vsque ad mortem. Apost. 2. Tim. 2. Nemo coronabitur, nisi qui legiti. certa. De tertio, nota exemplum Dan. 2. vbi statua quæ incœpit ab aureo capite, consummata est in fictili, & contrita est per lapidem præcisum de monte sine manibus.

Item { Animam vestit, Ianuam cæli aperit, Instabilitatem contemnit.

¶ De primo, nota quòd hæc est tunica talaris, qua filij regum indui solebant. De secundo, Luc. 11. Si perseuerauerit pulsans, &c. De tertio, Thren. 1. Peccatum peccauit Ierusalem. Nota exemplum in Vitis patrum, de dæmone qui gloriabatur quòd intra 40. annos deiecit vnum monachum.

Item { Christum imitatur, Claritate remuneratur, Laude digna monstratur.

¶ De primo, Ioan. 13. Cùm dilexerit suos, vsque in fin. dilexit eos. vnde dum clamarent Iudæi, Matth. 27. Si rex Israël est, descendat de cruce, perseuerauit pendens. De secundo, Apoc. 2. Qui vicerit, dabo illi stellam matut. De tertio, Greg. Lauda nauigantis felicitatem, cùm venerit ad portum: lauda ducis virtutem, cùm peruenerit ad triumphum.

Item

Item { Brauium percipit, Acceptum Deo reddit, Virtutes ad maturitatem ducit.

¶ De primo, Apost. 1. Cor. 9. Omnes quidem currunt: sed vnus, id est, perseuerans, accipit brauium. De secundo, Leuit. 22. Hostia sine cauda non offertur, imo ouis sine cauda monstruosa res non esset. De tertio, nota si fons irrigans hortum deficeret, herbę perirent. Propter ista Psal. dicit, Mihi adhærere Deo bonum est.

Item { Amicum Dei verum ostendit, Insidias diaboli non metuit, Stultitiam expellit.

¶ De primo, Eccl. 6. Est amicus socius mensæ, & non permanet. Item Prouerb. 17. Omni tempore dilig. qui amicus est. sic non fuit Petrus, dicens Luc. 22. Non noui illum. Sed nota quòd turpius eiicitur quàm non admittitur hospes. Aug. Peccatum est spreto incommutabili bono, &c. Genes. 3. Insidiaberis calc. eius, & ipsa conteret caput tuum. Sciendum quòd diabolus interdum suadet bonum homini instabili, vt per resilium grauius peccet. vnde facit illud Gen. 19. Noli respicere retro, &c. De tertio, 2. Pet. 2. Canis reuersus ad vomitum, &c. Item stultus esset, qui agrum bene seminaret, & non meteret, vel thesaurum diu collectum dispergeret, vel clypeum in fine certaminis proiiceret.

Verbum Dei { Mundat, Illuminat, Cibat.

¶ De primo, Ioan. Iam vos mundi estis. De secundo. Psal. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Psalm. Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, &c. De tertio, Matth. 4. Non in solo pane viuit homo, &c. Can. 2. Qui pascitur inter li. &c.

Item { Sanat, Irrigat, Dulcorat.

¶ De primo, Sap. 16. Neque herba, neque malagma, &c. Psal. Misit verbum suum, & sa. eos. De secundo, Genes. 2. Fons egre. de loco, &c. De tertio, Apoc. 10. Comedit librum. Psalm. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua.

Item { Ab bonum incitat, Tentationes mitigat, Dæmones fugat.

¶ De primo, Eccl. 12. Verba sapientium sicut stimuli. De secundo, Psalm. Dixit, & stetit spiritus procellarum. vnde comparatur verbum

Universidad de Deusto Biblioteca

bum Dei incantatoribus serpentum. De tertio, Marc. 16. In nomine meo dæmonia eiici.

Item { Iustificat, Beatificat, Confortat.

¶ De primo Iacob.1. Non auditores tantum. De secundo, Luc.11. Beati qui audiunt verbum Dei &c. De tertio, Psal. Verbo Domini cæli firmati sunt.

Item { Vias demonstrat, Mentem penetrat, Deum homini reconciliat.

¶ De Primo, Mat.2. Stellam quam viderant Magi in oriente &c. De secundo Exech.3. Qui audit, scilicet foris, audiat intus. Apostolus Hebr.4. Viuus est sermo Dei & efficax &c. De tertio. Prouerb.21. Qui obturat aurem suam. Similiter exponit illud Esa. 20. Manda remanda &c.

Item { Mortuos viuificat, Filios Dei generat, Mala extirpat.

¶ De primo, Ioan.5. Venit hora, & nunc est. Psal. Dabit voci suæ vocem virtutis. glo. suscitandi mortuos. Sed hoc erit in die iudicij. De secundo, Iacobi primo: Genuit nos verbo veritatis.

¶ Nota, tria habent virtutem, scilicet herbæ, lapides & verba. De tertio, Iere.1. Ecce constitui te &c.

Item { Couertit, Erudit, Præmunit.

¶ De primo, Psal. Lex Domini immaculata conuertens animas &c. De secundo, Psal. Testimonium Domini fidele, sapien. præstans &c. De tertio, Ezec.3. Speculatorem dedi te &c.

Item { Vitia necat, Gratiam initiat, Affectum inflammat.

¶ De primo, Apost. Ephe.6. Gladium spiritus, quod est verbum &c. Apoc.1. Ex ore eius gladius ex vtraque parte acutus. Propter secúdum comparatur semini, quod est initium fructuum. Luc.8. Semen est verbum Dei &c. De 3. Luc. 24. Nonne cor nostrum &c. Act.2. Apparuerunt illis dispertitæ linguæ.

Item { Animum emollit, De peccato extrahit, Omnia bona adducit.

¶ De

¶ De primo, Cantic.5. Anima mea liquefacta est. Iere.23. Nónne verba mea quasi malleus &c. De secundo, Lucæ 5. In verbo autem tuo laxa &c. De tertio, Sapien.7. Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.

Item generat { Admirationem, Correctionem, Cognitionem.

¶ De primo, Psalm. Mirabilia testimonia tua Domine, ideo scru. &c. De secundo, Psal. In quo corrigit ado. viam suam? De tertio, Iac.1. Qui auditor est verbi, & nō factor, hic comparabitur. Psal. Tunc non confundar cum perspe. &c.

Prælatus debet habere ætatem vt per hoc { Christo conformetur, Maledictio declinetur, Grex viriliter custodiatur.

¶ De primo, Luc.3. Et ipse Iesus erat annorum 30. De 2. Eccl. 40. Væ terræ cuius rex puer est. De tertio, Iudic.8. Iuxta ætatem robur est hominis. Sed heu hodie committitur cura animarum homini, cui non committeretur cura porcorum vel pomorum. Item: Quomodo arcebit puer lupum à grege?

Item solicitus sit { Ne de illo querimonia moueatur, Vt Christi patrimo. deseruiatur. Ne velut infidelis condemnetur.

¶ De primo, Ecclesiastici quadragesimoprimo: De patre inpio conquerentur filij. Sed Dominus fecit sententiam Genesis quadragesimotertio: Non videbitis faciem meam, donec adduc. fratrem vestrum minimum. De secundo, Bernard. Lucrantur cantando, reddent flendo. De tertio, Apostolus 1. ad Timoth.5. Qui suorum, maximè domesticorum curam non habet &c. Sed hodie maxima cura est de lana & lacte: sicut dicitur Ezech.34. minima de animabus.

Item solicitus sit { In sui ordinis executione, In subditorum cognitione, In vitiorum extirpatione.

¶ De primo nota, quòd magis iam student in schaco, quàm in antiphonario. Vnde officium vel ex toto negligunt, vel differunt, vel more fœminæ faciunt, aut malo modo. De secundo, Prouer. vigesimoseptimo: Diligenter cognosce vultum pecoris tui. De tertio, Ieremiæ primo: Ecce constitui te super gent. & reg. vt euellas. Sed magis laborant in euacuandis bursis, quàm peccatis.

¶ Item semper sit solicitus qualiter respondeat Deo in die iudicij facienti has quæstiones:

Quæstio

Quæstiones { Quomodo intrasti, Quomodo vixisti, Quomodo rexisti, Quomodo expendisti.

¶De primo, Io. 10. Qui nō intrat per ostium &c. de secundo primi Machab. 6. Refulsit sol in clypeos aureos. Debet autem vita prælati quasi regula esse subditi: sed modo incorrecta, & furati sunt eam sicut Achior. De tertio, Prou. 6. Fili, si spoponderis pro amico tuo &c. Item Esa. 62. Super muros tuos Ierusalem constitui custo. die & nocte. Sic ergo præsit vt prosit. De quarto, exemplum in filio prodigo.

Continens sit prælatus, { Vt in hoc mandatum Dei seruetur, Ne pœna incurratur, Ne irreuerenter Christus tractetur.

¶De primo, Luc. 12. Sint lumbi &c. De secundo exemplum in Oza, qui tangens arcam, percussus est. 2. Reg. 6. Psal. Fiat mensa eorum &c. De tertio, Esa. 52. Mundamini qui fertis vasa domini. in huius signum albam induunt.

Item hæc continentia { In lege præfiguratur, In scripturis commendatur, A Domino remuneratur.

¶De primo, exemplum Exod. 12. vbi comedentes agnum renes accingebant. Item sacerdos ministraturus vtebatur femoralibus. Exod. 28. De 3. Cant. 3. Lectulum Salomonis ambiunt.

Constans sit { Bonos defendendo, Malos puniendo, Tentationes vitando.

¶De primo Io. 10. Bonus pastor animam suam &c. Gl. super illud 2. ad Corint. 11. Dimissus sum in sporta per murum. dici quòd quando persona quæritur, fugere potest prælatus. Sed quando commune bonū periclitatur, tunc non debet fugere: sed animam ponere. De secundo, Gene. 1. Vt præsit volatilibus, id est superbis, & piscibus, id est luxuriosis, & bestiis, id est auaris. Nam subditi inquantum boni sunt, similes sunt prælatis. De tertio, Ezech. 3. Vt adamantem posui te.

Item constans sit { Iustitiæ rectitudine, Fortitudinis magnitudine, Perseuerantiæ longanimitate.

¶De primo, Greg. Misericordia & iustitia multum destituuntur, si vna sine altera teneatur. vnde gigas nō est occidendus cum acu, & pulex cū securi. De tertio Gre. Non hunc prospera eleuēt, nec

nec aduersa perturbent. vnde mulier non suscipit characterē ordinum. De tertio, dicit Bern. quòd noui sacerdotes primo anno sunt angeli, secundo homines, tertio dæmones, vnde comparantur statuæ, Dan. 2. quæ caput habuit aureum, tandem terminabatur in fictili. sed stola datur eis in signum perseuerantiæ.

Bona vita prælati { Affectum subditorum inflammat, Exemplo intellectum illuminat, Scandalum infirmorum declinat.

¶De primo, Luc. 12. Lucernæ ardentes in man. Sed heu, sol conuertitur in tenebras & lun. in s. Item secundum notatur in acolitatu. Item superiora per influxum virtutis suæ regunt inferiora. Tertium patet: quia dolente capite, dolent omnia membra. & sequitur: Qui scandalizat vnum &c.

Item per bonam vitam { Subditos sanctitate præcellat, Alios curans se non negligat, Maledictionem euadat.

¶De primo, secundi Regum quarto: Saul ab humero sur. Greg. Tantum eminere debet prælatus subditis, quantum gregem præcedere solet vita pastoris. De secundo: Apostolus primæ ad Corinthios nono: Castigo corpus meum. Vnde portat superhumerale. De tertio, Matthæi vigesimotertio: Væ qui decimatis mentham, & prætermittitis &c.

Item prælatus { Virtute decoretur, Doctrinæ propriæ conformetur, Laudabilis comprobetur.

¶De primo, Psal. Sacerdotes tui induantur iusti. De 2. Esa. 3. Super montem excelsum. &c. Gene. 27. Vox quidem vox Iacob est. Matth. 23. Super cathedram Moysi. De 3. 1. Petr. 2. Vos estis genus electum, Reg. sacerdot. Sed hæc omnia modo possunt legi per contrarium.

Item sint bonæ vitæ propter { Efficaciam prædicationis, Euasionem diuinę correptionis, Honorē sacerdotalis dignitatis.

¶De primo, Aggæi 1. Factum est verbum Domini &c. vnde Gallus cantans, primo alis percutit se. De 2. Iere. 11. Quid est quod dilectus meus in domo &c. De 3. Gen. 1. Faciamus hominē ad imaginē. Item datum est eis quod non angelis: scilicet cōsecrare corpus Christi. Item corona traditur eis in signum regalis dignitatis.

Item sit bonæ vitę, ne { Famam perdat, Exemplo corrumpat, Indignus prælaturam teneat.

¶De

¶De primo, Apostolus 1.Corin.4. Sic nos existimet homo. vnde cõsecratur chrisma, in quo ponitur balsamus. De secundo, Osee 5. Facti estis laqueus venationi siue speculationi. vnde comparatur gladio versatili quo clauditur paradisus. Gene.3. quia nec ipsi intrant, nec alios sinunt intrare. Matt.24. De tertio, Psalm. Quis ascendet in montem Domini?

Item viuat { Sobriè sibi, Iustè proximo, Piè Deo.

¶De primo, Apost. ad Tim.3. Oportet episcopum irreprehensibilem esse. Sed incrassatus est, dilatatus: vnde potest dici prælatus quasi præ aliis latus: scilicet in crassitudine & in vitiis. Nam modo aliqui plus terunt tabernas quàm ecclesias, & diem expendũt in ebrietate, & noctem in luxuria. De 2. Prou. 22. Pondus & pondus &c. De tertio legitur Num.18. quòd Leuitæ non habebãt hæreditatem inter tribus, quia pars illorum Deus. Sed modo prælati possunt dici prælati: & ministri Christi sunt, sed seruiunt antichristo.

CONTEMPLATIVVS sit prælatus per { Studij lectionem, Sanctã meditationẽ, Deuotam orationem.

¶De primo, Apoc.10. Comedi librũ &c. Itẽ animal quod non ruminat immundũ est. Leui.10. De 2. Apost. ad Phil.3. Nostra cõuersatio in cælis est: Quare vt hauriret in contẽplatione quod effunderet in prædicatione, dico vobis cum fiducia, quòd vos qui claues Petri geritis, & clauos Christi non respicitis, dæmoniũ incurretis. De 3. Eccle.44. In tẽpore iracundiæ factus est reconciliatio.

SCIENTIAM prælatus habeat. { Ianuam cæli aperiat, Fidem defendere sciat, Sibi commissos puniat.

¶De primo, Matth.6. Tibi dabo claues reg. cæle. sed istas modo resignauerunt & assumpserunt claues mortis & inferni: quia nec ipsi cælum intrant, nec alios intrare permittũt. De secũdo, 1.Pet.2. Vt sciant rationem reddere omni poscenti de ea quæ in vobis est spe. Malac.2. Legem requirent de ore eius. Quia officium eorum esset ad eam scire respondere, & scire Articulos fidei implicitè & explicitè. De tertio, Luc.6. Si cæcus cæcum ducit. Talis facit sicut medicus impius qui cauterizat cornua.

Item scientia prælati { Fulgore clarificat, Maledictionem declinat, Salubriter fructificat.

¶De

¶De primo, nota q̃ clarificat in futuro per gloriã. Daniẽlis duodecimo, Qui docti fuerint. In præsenti per gratiam. Exodi vigesimooctauo: Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron. Deut. vigesimosecundo: Maledictus qui errare fecerit cæcum in via. Et dicet omnis populus, amen. Sint ergo prælati animalia plena oculis, non loculis. De tertio, Psal. Erit tanquam lignum quod plantatum est. Sap. octauo: Venerunt mihi omnia bona, &c. sed econtrà dicitur de ignorantia, quia tu scientiam repulisti. Oseæ 4.

PRAEDICATOR debet esse prælatus, { Ne pro subditis damnetur, Vt incautus præmuniatur, Vt iussio diuina seruetur.

¶De primo, Exodi 28. Tintinnabula audiri debent Aaron, ingrediente ad ministerium in sancta sanctorum. Greg. Sunt nonnulli, qui magni videri volunt: & tamen magni non sunt. De secundo, nota q̃ tubis vtebantur & in bellis, conuiuiis, & tabernaculorum eleuatione. De tertio, Ioan.21. Pasce oues meas.

Item doceat { Verbo prædicationis, Exemplo bonæ operationis, Fama sanctæ opinionis.

¶De primo, 2.ad Tim.4. Prædica verbum, insta, &c. Item Ioan. vigesimoprimo: Pasce oues meas. De secundo, Ioan. primo: Ego vox clamantis in deserto. Et hoc ne vna manus sit ædificans, alia destruens. Bern. Multi sunt catholici prædicãdo, qui hæretici sunt operando: & tanto grauiores sunt, quanto præualent opera. Iob 19. Arcus meus in manu mea. Vnde os prophetæ calculo nudabatur. Esaiæ 6. De tertio, 1.ad Corin.4. Sic nos existimet homo. sed heu dispensatores modo sunt dissipatores.

Item prælatus prædicando { Affectum subditorum irrigat, Intellectum illuminat, Fidelem se demonstrat.

¶De primo, Gen.2. Sed ipsi sunt canalis quo aqua fontis egrediẽs de loco voluitur, transit, & vacuus tandẽ remanet, & lixiuia alios lauans ipsa sordidatur. De secundo, Psal. Lucerna pedibus meis verbum tuum. sed modo prælati comparantur faci, quæ lucens hominibus seipsam consumit. De tertio, Matth.24. Quis, putas, est fidelis seruus & prudens, &c.

BENIGNITAS, & misericordia prælati { Bonitati diuinæ se conformat, Seueritatem iudicij declinat, Humilitatis indicia demonstrat.

¶De primo, Chrysost. Si dominus largus, &c. Item. Deus semper

punit citra condignum. Confitemur enim in tribus personis, potentiam, sapientiam, bonitatem, quæ signantur per tria quæ fuerũt in arca. De secundo, Iac. 2. Iudicium sine misericordia illi qui nõ facit misericordiam: sit ergo flos per pietatem, nõ rhamnus. De tertio, Mat. 7. Quid vides festucã in oculo fratris tui. Nõ ergo camelum glutiat, & culicem excol. Ibidem 23. Sic fecit Dauid cum dixit ad angelum percutientem, Vertatur obsecro manus, &c. 2. Reg. 24. Greg. Quare dominus Petrum negantem cadere permisit? scilicet vt sua culpa disceret qualiter alijs misereri debuisset.

Item mansuetus sit prælatus { Per misericordiæ cõpassionem, / Per patientiæ lenitatem, / Correctionis moderationem.

¶ De primo, Iere. 9. Quis dabit capiti meo, &c. Apostolo. ad Ro. 12. Flete cum flentibus, &c. Sed sic nõ sunt modo: quia pastores mutati sunt in tõsores, imo excoriatores. De secũdo, 2. Reg. 23. Quasi tenerrimus ligni vermiculus, ex eis manus inungantur in consecratione. De tertio, nota q̃ stultus esset qui persequeretur pulicẽ cum securi. Matt. 23 Imponunt onera, &c. sed non quòd in subeundo strictior pars ad proprium subiectum conuertitur.

AMBITIONEM dignitatum fugiat propter { Christi conformitatem, / Pœnarum declinationem, / Humiliatis probationem.

¶ De primo, exemplum in Christo, qui fuit raptus in regem. Ioã. 6. sed econuerso rhamnus ingessit se prælationi lignorum cęterorum. Iudic. 9. Item inclinato capite quasi fugit titulum, vbi scriptum fuit, Rex Iudæorum. Ioan 19. De secundo, Luc. 14. Ne forte veniat, qui te inuitat, & incip. cum rubore nouiss. locũ tenere. Itẽ Nume. 16. Dathan & Abiron absorpti sunt. Giezi leprosus factus est. 4. Reg. 5. De tertio, Apostolus ad Hebr. 5. Nemo assumat sibi hono. &c. Item Iere. 1. A, a, a, domine Deus, nescio loqui. Matt. vigesimotertio: Amant primos recubitus.

VNICO beneficio sit contentus, vt { Ordinatio apostolica seruetur, / Res figuræ conformetur, / Stultitia declinetur.

¶ De primo, Apost. 2. ad Timo. 3. Vnius vxoris virum. Psal. Vnam petij à domino, hanc requiram, &c. Canticorum sexto: Vna est columba mea. De secundo, Gen. sexto: In vno cubito consummabis eam: scilicet aream. Tertium patet: quia stultus est qui vni ecclesiæ legendæ non sufficit, q̃ se de pluribus intromittit. Itẽ quia ad impossibilia se obligat, quia in vtraque ecclesia debet horas dicere, missas celebrare, & onus importabile sibi est impositum.

SIMONIACE non intret, ne { Lepra inquinetur, / Perditione damnetur, / Cælo priuetur.

¶ De primo, exemplum in Giezi, 4. Reg. 5. De secundo, Actuum octauo, Pecunia tua tecum sit in perditionem. De tertio, Matt. 21. Christus eiecit ementes & vendentes.

Item simonia { Maledictionem inducit, / Fures discernit, / Iussa diuina contemnit.

¶ De primo, Amos 6. Væ qui ingredimini pompaticè in domum domini. Itẽ Michææ tertio, Vę qui ædificatis Sion in sanguinib. De secundo, Ioan. decimo: Qui non intrat per ostium, &c. De tertio, Matth. 11. Gratis accepistis, gratis date.

DOTES animæ erunt { Cognitio primæ veritatis, / Dilectio summæ bonitatis, / Fruitio diuinæ maiestatis.

¶ De primo, Esaiæ sexagesimo: Tunc videbis, & affluues, &c. Matt. 5. Beati mundo corde, &c. Ioannis decimoseptimo: Hæc est vita æterna, &c. De secundo, Esa. trigesimoprimo: Cuius ignis in Siõ, &c. Gene. sexto: Arca linita fuit bitumine. Item propter charitatem, quod proprium est singulorum, commune est omnium. De tertio, Anse. Anteueniat oro tempus. Item nota circa primam, docentur animæ scilicet cognitionem, quòd illa visio cognitio erit matutina, vespertina, meridiana. Prima in verbo. Secũda in proprio genere. Tertia in aperta Dei visione. De primo, Gen. primo: Factum est vespere & mane, &c. Nam sicut modo creaturæ sunt speculum creatoris: sic erunt tunc econuerso. De secundo, Greg. Quid est quod non videt qui videt omnia? Bernar. Fili ad scholas propera. De tertio, Aug. Videbimus tuæ maiestatis &c. Esa. 33. Videbunt oculi tui regem in decore suo.

DOTES corporis erunt { Claritatis pulchritudo, / Agilitatis promptitudo, / Subtilitatis aptitudo, / Impassibilitatis fortitudo.

¶ De primo, Matt. decimotertio: Fulgebunt iusti, &c. Psal. Renouabitur, vt aquilæ, &c. Nota q̃ pulchritudo Absalonis est ibi fœditas. De secũdo, Esaiæ quadragesimo: Assument pẽnas, vt Aquilæ. Aug. Protinus vbi voluerit spiritus, &c. Nota q̃ agilitas Azaël is esset ibi claudicatio. De tertio, Sapien. 3. Tanquam scintillæ in. &c. Ioan. decimo: Intrauit Iesus ianuis clausis. Exemplum de sole qui vitrum transit. De quarto, Esaiæ vigesimoquinto: Præcipi-

tabit in sempiternũ. Nota q̃ fortitudo Samsonis esset ibi infirmitas, Moysi sanctitas esset ibi vilitas, Saulis strenuitas esset ibi debilitas, Dauid & Ionathę amicitia ibi esset peruersitas, Absalonis formositas ibi esset deformitas, Salomonis sapientia ibi esset stoliditas, Assueri diuitiæ ibi essent mendicitas, Augusti libertas ibi esset illibertas.

In vita æterna erit { Affluentia diuitiarum, Influentia delitiarum, Confluentia bonorum.

¶De primo, Gen. decimo quinto: Ego ero merces tua magna nimis. De secundo, Leuit. vigesimo: Dabo tibi terram fluentem lacte & melle. De tertio, Psal. Gloria & honore coronasti, &c. Esa. 61. Vt darem eis coronam pro cinere.

Item ibi erit Deus { Speculum visui, Cithara auditui, Mel gustui, Flos tactui, Balsamus olfactui.

¶De primo, Sapiẽt. septimo: Candor lucis æternæ, speculum sine macula. De secundo, Esaiæ 16. Venter meus quasi cithara. Item exemplum de cithara eremitæ. De tertio, Eccl. 24. Spiritus meus super mel dulcis. Psal. Quàm magna multi. dulcedo tua. Aug. Ducis me in quandam dulcedo. De tertio, Cant. 2. Ego flos campi, &c. De quinto, Eccl. 24. Sicut cinamomũ & balsamum aromat. &c.

Item ibi erit gloria sine { Contrarij permistione, Finis terminatione, Fastidij abominatione.

¶De primo, Esa. 1. Excoquam ad purum, &c. De secundo, Sap. 5. Iusti autem in perpetuum, &c. Nota quòd vita Mathusalem esset ibi mors. De tertio, Eccles. 24. Qui edunt me, adhuc esurient.

Item ibi gaudebimus de { Periculorum euasione, Mansionum ordinatione, Felicitatis communitate.

¶De primo, Psalm. Misericordias domini in æternum cantabo. De secundo, ibi, Locabuntur omnes secundum ordinem primogenituræ. De tertio, August. Bonum singulorum erit omnium, & quod quisque non habet in se, habebit in alio.

Item ibi erit { Conuiuium iocunditatis, Pax tranquillitatis, Facultas libertatis.

¶De primo, exemplum in conuiuio Assueri. Esther 1. Bernar. Angelorum

gelorum & hominum vnum conuiuium. Item actor seruitor. De secundo. Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine. De tertio, Cessabit omnis prælatio.

Item ibi erit { Gaudium in corde, Melos in ore, Redolentia in corpore.

¶De primo, Esaiæ nono: Lætabuntur coram te sicut, &c. De secundo, Esa. quinquagesimo primo: Gaudium & lætitia audietur in ea. Exemplum de auicula quæ CCC. annis cantauit. De tertio, Eccle. 24. Sicut cinnamomum, &c.

Item gaudebimus { Supra, de diuina consolatione, Infra, de loci amœnitate, Iuxta, de amicabili societate.

¶De primo, Apoc. cap. 21. Absterget Deus omnem lacrymam, &c. De secundo, Apoc. 21. Plateæ & muri eius, &c. De tertio, Bernar. Angelorum & hominum vnum erit conuiuium. Item de corporis & animæ glorificatione, Esa. 35. Fugiet dolor & gemitus, &c. Lucæ 6. Mensuram bonam & confertam.

Item ibi erit { Amœnitas vernalis. Lux æstiualis, Vbertas autumnalis, Quies hyemalis.

¶De primo, Ansel. O immarcessibilis decor. Ibi igitur rosæ, lilia & violæ. De secundo, Apoca. 22. Ciuitas illa non eget Sole & Luna. De tertio, Psal. Promptuaria eorum plena, &c. De quarto, Esa. 32. Sedebit populus meus in pulchritudine, &c. Idem: Sedebit vnusquisque sub ficu sua. Michææ 4.

Item implebitur { Rationalis sapientiæ illustratione, Concupiscibilis desideratorum adoptione, Irascibilis triumphi decoratione.

¶De primo, Bern. Fili, ad scholas propera, &c. De secundo, Psal. Qui replet in bonis desiderium &c. De tertio, de Dauid de quo cantabant 1. Reg. 29. Et Dauid decem millia in millibus suis.

Generaliter omne peccatum fugiendum est, quia { Dæmonibus placet, Deo displicet, Homini nocet.

¶Primum pater per hoc, q̃ diabolus semper homines tentat, vt in peccatũ præcipitet. Gregor. Nihil se fecisse æstimat, cum animas non sauciat. Idem: Assidua tentatione diabolus tentat, vt saltem tædio vincat. Secundum patet per hoc q̃ Deus semper est paratus peccata destruere, sicut dicitur Ezech. 18. Quacunque hora

peccator ingemuerit, &c. Item patet per hoc ꝙ nullum tantum amat, quem non pro peccato mortali damnaret, si id faceret. Item per hoc ꝙ filium tradidit vt peccata destrueret, & similiter matrem pati permisit, sicut dicitur Luc. 2. Tuam ipsius animam pertrãsibit gladius. De tertio, Gregorius: Quicquid patimur, peccata nostra meruerunt. ¶ Nota, peccatũ mortale est contemptus Dei, fuga angeli, odium sanctorum, clausura regni Dei, perditio virtutum, obtenebratio animæ, conformitas satanę, meritum gehennæ. Veniale peccatum est, distractio sensuum, impedimentum feruoris charitatis, obstaculum diuinæ consolationis, via peccati mortalis, dilatio futuræ retributionis.

Item peccatũ fugiendum est, quia { Benignitatem furibundam reddit, Angelũ custodię ab homine repellit, Corpus & animam occidit.

¶ De primo, Psal. Domine, ne in furore tuo arguas me, &c. De secundo, Exemplum in Vitis patrum, ꝙ quando loquebantur mala, dæmones in specie porcorum volutabant se corã illis gaudentes, & angeli à longe stabant. De tertio, exemplum 1. Regum 31. De Saul qui occidit se gladio proprio: sic quilibet peccato proprio. Item peccatum etiam occidit quasi venenum. Item quasi serpen. Item quasi sagitta diaboli.

Item peccatum fugiendum est, quia { Mala præterita reuocat, Vitam temporalem breuiat, A Deo elongat.

¶ De primo, Matthæi decimooctauo: Serue nequam, omne debitum, &c. De secundo, Psal. Viri sanguinum & dolosi, &c. Exemplum in Sodomis, in Dathan & Abirõ, in mari Rubro, in Adam & Eua. De tertio, exemplum in filio prodigo qui abiit in regionem longinquam dissi. Luc. 15.

Item peccatum { Excæcat rationabilem, Excæcat concupiscibilem, Debilitat irascibilem.

¶ De primo, exemplũ Tob. 2. De secundo, Psal. Anima mea sicut terra, sine aqua, &c. vnde tales æterno incendio præparantur. De tertio, exemplũ in Sampsone qui post abscisionẽ crinium, id est, donorũ Spiritussancti, non potuit aduersariis resistere. Iudic. 16.

Item peccatũ fugiendum est, quia { In naturalibus vulnerat, Gratuitis spoliat, Maculando deturpat.

¶ De primo, Esa. 1. A planta pedis vsque ad verticem capi. Threm. 4. Quomodo obscuratum est aurum.

Item

Item peccatum { Hominem captiuat. Conscientiam amaricat, Premendo grauat.

¶ De primo, Psalm. Educ de carc. &c. Idem: Anima nostra erepta est, &c. Peccatum autem ligat omnia membra, vt ad Christi obsequium sint inhabilia. De secundo. Ierem. 2. Vide quam malum & amarum est dereliquisse te, &c. Psalm. Conuersus sum in ærumna, &c. Esaiæ 66. Vermis eorum non morietur. De tertio. Psal. Sicut onus graue grauatæ, &c. nota quòd omnes montes non possent hominem premere tam profundè, sicut vnum mortale peccatum. Est enim mortale peccatum sicut lapis suspensus in collo canis, qui submergi debet. Et sicut canis primo sentit ponderositatem lapidis, quando de manu proiicitur, sic anima primo sentit grauitatem peccati, cùm exierit de corpore.

Item peccatum { Apostasiam inducit, Insensibilem reddit, Ad plura peccata trahit.

¶ De primo, exemplum in filio prodigo qui abiit, Lucæ 15. Facit autem peccator contra illud promissum baptismale, Abrenuntio satanæ, &c. & quia talis non soluit Deo promissionem suam, nec Deus soluet ei suam. De secundo, Psal. Aures habent, & non aud. Satis insensibilis est, qui non audit tonitruum prædicationis, & tubæ nouissimæ, & clamoris Christi in cruce. Item qui iacens in igne concupiscentiarum mundi non sentit. Item qui captiuus tenetur, & quotidie moritur, non sentit. De tertio. Gregor. Peccatũ quod per pœnitentiã nõ dimittitur, &c. & hoc ideo est, quia per peccatum iste efficitur minus potens resistere, quia naturalia vulneratur, & armis suis, id est, virtutibus spoliatus adiutorẽ suũ amisit,

Item peccatum { Deum damnificat, Angelum defraudat, Hominem contristat.

¶ Primum patet: quia animã aufert, quam proprio sanguine redemit, & Deum de domo propria expellit. Secũdum patet: quia angelus fraudatur illo gaudio, quod de gloria istius habiturus esset, sicut dicit Augu. ꝙ vnusquisque tantum ibi gaudet de bono alterius, sicut si esset in seipso. De tertio, nota ꝙ peccatũ iustius nocet hominibus in mundo per vnius adiutoris amissionẽ. Ecclesia enim est vt castrorũ acies ordinata. Can. 6. Itẽ nocet his qui sunt in purgatorio per suffragiorũ diminutionem. Item illis qui sunt in inferno per ignis augmentationẽ: quia non minus ardet, qui cum multis ardet: imò plus, quia materia ignis augmentatur,

Item peccatum { In præterito de paradiſo expulit, / In præſenti omnia mala inducit, / In futuro iudicio hominem confundit.

¶De primo, patet Gene.3.De ſecundo, Grego. Quicquid patimur,peccata noſtra merue. Igitur ſi odimus illum qui interficit patrem noſtrum, magis eſt odiendum peccatum quod mortalitatem inducit, & omnes parentes noſtros interfecit. Geneſ.2. Quacunque hora comede.morie. Imò Chriſtum occidit peccatum. Vnde 1.Petr.2.Qui peccata noſtra pertulit in corpore,ſcilicet ſuper.De tertio,Apoſtolus Hebræ.4. Omnia nuda & aperta ſunt.Dan.7.Antiquus dierum ſedit.

Gvla fugienda eſt } quia { Deiicit, / Idololatriam inducit, / Spiritualia bona contemnit.

¶De primo. exemplum in Adam qui propter cibum veritum deiectus eſt de paradiſo.Gen.3.De ſecundo,Exod.32.Sedit populus mandu.&c.Apoſtolus Philip.3.Quorum Deus venter eſt.De tertio exemplum in Eſau.Geneſ.25.

Item gula { Diabolo domum præparat, / Spiritum grauat, / Seruum contra ſe armat.

¶De primo,Matthæi 8.Mitte nos in porcos.Item exemplum in dialogo de illa quæ comedit dæmonem in lactuca. De ſecundo, Lucæ 21.Videte ne grauentur corda veſtra crapu. & ebr. De tertio,Prouer.29.Qui delicatè nutrit ſeruum ſuum.Eccle.33.Virga & cibus & onus aſino.&c.

Item gula { Luxuriam inducit, / Homicidia & Acediam malam facit, / Burſam vacuam reddit.

¶De primo,Apoſtolus Eph.quinto:Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria.Exemplum in Loth,Gen.19.De ſecundo,Exemplum in Ioanne Baptiſta,& filiis Iob,& Aman,qui omnes in conuiuiis perierunt.De tertio,Salomon Prouer.21.Qui amat pinguia,non ditabitur.

Item gula inducit mortem { Naturæ, / Culpæ, / Gehennæ.

¶De primo,Geneſ.2.Quacunque hora come. mori.De ſecũdo, Apoſtolus 1.Tim.5.Vidua viuens in deli.mor.eſt.De tertio, Geneſ.41.Septem boues,ſeptẽ anni ſunt,&c.Eſa.17.Auferetur gloria Iacob,& ping.car.eius mar.Vnde quidam in Vitis patrũ affli-

xit ſe in ſole propter cucumerem quem concupiuit.Species huius quinque ſunt.Vnde verſus, Præproperè,lautè, nimis,ardenter, ſtudiosè.

Ebrietas { Hominem maledicit, / Æternam ſitim inducit, / Apoſtatare facit.

¶De primo,Eſa.5.Væ qui mane ſur.&c.De ſecundo,Luc 16.Mitte Lazatum vt inting.&c.De tertio,Eccl.19. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt.

Remedia Gulæ { Spiritualium ciborum frequẽs ſumptio, / Futuræ carnis conſideratio, / Æternæ cœnæ meditatio.

¶De primo,Deuter. 8. Non in ſolo pane viuit homo. Vnde quſdam in Vitis patrum propter diuina colloquia ciborum ſunt obliti ſumptionem.De ſecundo,Eccle.10. Cùm moritur homo, hæreditabit ſerpentes,beſtias & vermes.Peccator enim tres habet hæredes.Amici nanque auferunt res,diabolus animam, vermes corpus.De tertio,Lucæ decimoquarto, Quidam homo fecit cœnam magnam.

Lvxvria fugienda eſt } quia { Placet dæmonibus, / Diſplicet angelis, / Deo eſt contumelioſa, / Proximo iniurioſa.

¶De primo,Iob 40.Behemoth dormit in locis humentibus. De ſecũdo,exemplum in angelo qui obſtruxit aures.De tertio, quia templum Dei inquinat.Apoſt.1.Cor.6.Qui autẽ fornicatur,in corpus &c.Itẽ quia ſponſam Chriſti violat.Apoſtolus 2.Cor.11.Deſpondi vos vni vi.virg.&c. De quarto,quia proximũ ſcandalizat. Oſee 5. Facti eſtis quaſi laqueus ſpeculationi, & quaſi rete ſpanſum ſubter mõtem Thabor.2.Reg.12.Non recedet gladius meus de domo tua.Hoc dicitur ad Dauid propter Berſabee.

Item luxuriosis { Pars viliſſima datur, / Mens infatuatur, / Chriſtus de corde repellitur.

¶De primo, Geneſ. 3. Quia obediſti voci vxoris tuæ plus quàm meę,maledicta terra, &c.De ſecundo, Oſee 4. Vinum & ebrietas auferunt cor. De tertio, exemplum de monacho qui filiam ſacerdotis idolorum voluit accipere vxorem, Matthæi ſexto: Non poteſtis Deo ſeruire & mammonæ.Item: Vulpes foueas habent.ibidem octauo.¶Item in peccato luxuriæ deliquitur tripliciter,Corde,ore,& opere.

Corde, per { Cognitionem, Delectationem, Consensum.

¶ Hæc tria signata sunt Ge.3. per serpentẽ, mulierem & virũ. De primo, Iob 31. Pepigi fœdus cum oculis meis. Et quidã dixit in Vitis patrum mulieri roganti, q̃ haberet sui memoriã, rogo Deum vt auferat memoriã tui à me. De secundo, Ge.3. Ipsa conteret caput tuum. De tertio, Iere.9. Intrauit mors per fenestras, &c.

Item ore tripliciter delinquitur, scilicet { Turpiter, Cum turpibus, De turpibus.

¶ De primo, Ps. Pone Domine custod. ori meo. De 2. Eccl.9. Colloquiũ eius sicut ignis exar. Exemplũ Ge.39. de Ioseph. De 3. Psal. Qui loquitur iniqua, non dir. in conspectu oculorum meorum. Talis similis est scrophæ, quæ semper rostrum ponit in stercore.

Item opere delinquitur { Ipso facto, Intuitu incauto, Tactu inordinato.

¶ De primo, Exo. 20. Non mœchaberis. De secundo, exemplum in Dauid, Bersabee, & Ioseph, Iudith, & Susanna. De tertio, Eccl. 23. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Eiusdem 26. Qui tenet eam, quasi qui apprehendit scorpionem.

Remedia huius peccati sunt { Mortis extrema cogitare, Occasiones fugere, De se non nimis præsumere.

¶ De primo, Eccl. 7. Fili mi, memorare nouissima tua, & in æternum nõ pecca. Hierony. Facilè contemnit omnia. qui se semper cogitat moriturum. De secundo, Apost. 1. a. Corin. 6. Fugite fornicationem, &c. nam contra alia vitia pugnandum est, illi uel tantùm fugiendum est. De tertio, nota quomodo Dauid cecidit sanctissimus, Salomon sapientissimus, Sampson fortissimus.

Item remedia sunt { Frequens occupatio, Carnis mortificatio, Tentationis repugnatio.

¶ De primo, Eccl. 11. Malitia vnius horæ obli. Item de secundo, 2. Regum 11. Factum est eo tempore quo reges solent ad bella procedere, &c. Matth. 17. Hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in oratione, & ieiu. Hieronym. Non sanat oculum quod sanat calcaneum. De tertio, Iac. 4. Resistite diabolo, & fugiet à vobis. de hoc nota exemplum in Vitis patrum, de illo qui impugnabatur à spiritu fornicationis, & sæpius veniens ad senem non est liberatus.

liberatus. Tandem seni ostensa est illius negligentia: quia quãdo dæmones ludebãt coram ipso in specie diuersarum mulierum, ipsis condelectabatur plus debito. Item de illo qui accepit carnes putridas illius mulieris de qua tentabatur, & posuit in cella sua. Item de monacho qui fecit limosam mulierem & filiam.

Per choream { Deum offendimus, Idololatriam introducimus, Festis iniuriam facimus.

¶ De primo, Exod. 32. qualiter multa milia interfecta, & tabulæ testamenti fractæ, quando coram vitulo cœperunt ludere. Secundum patet, quia processiones soli Deo exhibendæ sunt, & isti diabolo faciunt, vel hirco pro quo chorizant. De tertio, Augu. dicit. Melius est in dominicis diebus arare, quàm chorizare, vel choreas ducere. Exodi 20. Memento vt diem sabbati sanctifices, id est, te sanctum facias in eo, scilicet orando, bonis operibus vacando, non Deum impugnando.

Item per choream { Exercitus diaboli contra Deũ cõgregatur, Proximus scandalizatur, Miseria præsens non attenditur.

¶ De primo, 1. Machab. 9. Congregati sunt inimi. nostri, & gloriãtur. tot autem gladij sunt ibi, quot mulieres ornatæ. Hieronym. Species mulieris gladius igneus est. De secundo, Matth. 18. Qui scandalizauerit. scilicet vana audiendo, stulta loquendo, nociua tangendo. De tertio, Ecclesiast. 11. In die bonorum ne immemoris malorum. scilicet præteritorum quæ recolimus, præsentium quæ sentimus, futurorum quę timemus.

Item chorizatores { Mendaces se ostendunt, Impios se faciunt, Sacramenta ecclesiæ contemnunt.

¶ Primum patet: quia contra illam promissionem faciunt, Abrenuntio satanæ, &c. De secundo, Psalm. In circuitu impij ambulant. Tertium patet, quia baptismalem innocentiam amittunt, confirmationis signum deponunt, Eucharistiam quam sumpserunt paulò antè contemnunt, & sic de aliis sacramentis, scilicet pœnitentia, extrema vnctione, &c.

Item istorum { Passus omnes numerantur, Gaudium in tristitiam vertetur, Vita temporalis breuiabitur.

¶ De primo, Iob 13. Vestigia pedũ me. considera. De secũdo, Lucæ 6. Væ qui ridetis, quia flebitis. Esa. 3. Erit pro zona funiculus. De tertio, Apostolus 1. ad Corr. 11. propter quod dormiũt multi, &c.

Auaru

AVARVS { Naturæ contrariatur, A Domino maledicitur, Sceleſtus demonſtratur.

¶Primum patet: quia creaturæ ſe communicant, quod ipſe non facit. Item terram ſuper omnia diligit quam natura infirmã ordinauit. De ſecundo. Eſa. 5. Væ qui coniungitis domum ad domum. Auguſtinus: Meledictus diſpenſator auarus, cuius largus eſt Dominus. De tertio, Eccleſia. 10. Auaro nihil eſt ſceleſtius: dat enim Chriſtum pro denario. Vnde quãtũ ad hoc, peior eſt Iuda.

Item auarus eſt iniquus { In Deum, In ſeipſum, In proximum.

¶Primum patet: quia Deum ſuis donis impugnat. Secũdum patet: quia tranſeundo maria & Alpes ſeipſum euiſcerat. Tertium patet: quia proximum pro eleemoſynarum ſubtractione iugulat. De primo, Pſalm. Retribuunt mihi mala pro bonis. De ſecundo, Ioann. 4. Impij laborauerunt, & alij in labores eorum introſcilicet raptores vel mali filij. vnde diuitias quas ipſi acquirunt cum labore, poſſident cum timore, amittunt cum dolore. Iſti ſimiles ſunt araneę quæ faciendo telam vt muſcas capiat, ſeipſam euiſcerat. De tertio, Ambroſius: Paſce fame morientem: quòd ſi non pauiſti, occidiſti: & hoc ideo, quia in neceſſitate omnia ſunt communia.

Item auaritia { Introitum paradiſi claudit, In inferum demergit, Idololatram hominem conſtituit.

¶De primo, Matthæi 16. Facilius eſt camelum per fora. &c. De ſecundo, Auguſtinus, Naufragium fugies, & plumbum amplecteris. Vnde Socrates magnam maſſam pecuniæ proiecit in fluuium, dicens: Mergam te, ne demergas me. Item tertium patet: quia dat fidem auarus, ſpem & charitatem pecuniæ, quibus in Deum debemus moueri. Apoſtolus Epheſior. 5. Auaritia eſt idolorum ſeruitus.

Item amor pecuniæ. { Dominum interficit, Doctrinam contemnit, Cæcitatem ſpiritualem inducit.

¶De primo, habemus exemplum in Iuda. De ſecũdo, nota quòd Chriſtus docuit nos auaritiam declinare verbo, & exemplo. Verbo, Matt. 5. Beati pauperes ſpiritu. Item exemplo, Matthæi 8. Vulpes foueas habent. Lucæ 2. Inuenietis infantem pannis inuolatum. De tertio, exemplum Tob. 2.

Item

Item auaritia { Hominem captiuat, Hominem inquinat, In homine omnia vitia parat.

¶De primo, gloſ. ſuper lætatus ſum, Amor temporalium faſtus eſt pennarum cęleſtium ſiue æternarum. Apoſtolus 1. ad Tim. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in laqueum diaboli. De ſecundo, Oſee 2. Vt quid aggrauant cõtra ſe denſum lutũ? Exod. 1. In luto & latere. De tertio, primę ad Timoth. 6. Radix omniũ malorum &c. Ex hac enim ſequuntur oppreſſiones. Sen. Quietiſſimè viuerent homines, ſi hæc duo pronomina tollerentur, meũ & tuũ. Item ſequuntur lites. Exemplem habes in Abraham & Loth, Geneſ. 13. Itẽ ex hac ſequuntur gula, luxuria, inuidia, ſuperbia &c.

Item auaritia { In ſeruitutem redigit, In terram mentem figit, Inſatiabilem facit.

¶De primo, Eccle. 10. Pecuniæ obediunt omnia. Sed difficile eſt tali dominæ ſeruire, quæ facit famulam mori fame. Si quis ſeruit auaritiæ, non audet ad ſufficientiam comedere. De ſecundo, Gen. 3. Supra pectus tuum gradieris. Talis cõparatur talpæ. Sed nota, leuia tendunt ſurſum. vnde pauperum eſt cælum: quia in vltima ſponda dabitur illis, quibus primo non fuit datum. De tertio, Eccleſiaſt. 5. Auarus nõ implebitur pecunia. vnde comparatur hydropico, & ſacco pertuſo, & inferno qui nunquam dicit Sufficit: & mari, cui omnia influunt, & tamen non redundat. Hieron. Auaro tam deeſt quod habet, quàm quod non habet. Vnde accidet ei ſicut cani, qui voluit in aqua vmbram carnis capere, & illam quam habuit amiſit.

Vſurarius { Rem mortiferam ſitit, Magnum pretium negligit, Expenſas ſuper nobile pignus recipit.

¶De primo, Iob 20. Diuitias quas deuorauit euomet. vnde cõparatur ſanguiſugæ. De ſecundo, Auguſtinus: Fœnerare, & centuplum accipies. Idem: Vis eſſe optimus mercator, egregius fœnerator? da quod non potes retinere, vt conſequaris quod non potes amittere. Ber. Optimus mercator qui nil ſuorum ſibi præferendum putat. Item tertium patet, qui recipitur ſuper animam.

Item vſurarius { Viam paradiſi ſibi obſtruit, De aqua ignem accendit, Proprios filios occidit.

¶Primum patet: quia cùm arcta ſit via quę ducit ad vitã. Matth. 7. Ipſe tamen magnum pondus ſuper ſe ponit. De ſecundo, Eccleſia

Universidad de Deusto Biblioteca

clesiastici tertio. Aqua extinguit ignem. ita eleemosyna. Igitur cū quo deberet ignem extinguere, ignē accēdit. De tertio, Osee 9. Ephraim ad occisionem filios suos ducit. Vnde in inferno pater filio maledicit, & econuerso: quia vterque potest alteri causam damnationis imponere. Ecclesiastici 41. De patre impio conqueruntur filij, quoniam propter illum sunt in opprobrio.

Item vsurarius {
- Naturæ ordinem peruertit,
- Requiem & lucem vendit,
- Festa sanctorum contemnit.

¶ Primum patet, quia natura est vis insita rebus, ex simil. similia procreans: ipse autem ex auena facit triticum, & sui numi frumē tū pariunt, & hoc singulis diebus. De secūdo, Ezec. 7. Qui vēdit, ad id quod vēdidit non reuertetur, ergo vsurarius luce perpetua carebit. Non ergo cantetur ei Requiem æternam. Vēdit & tempus quod commune est omnibus. De tertio, habemus quòd colligens ligna sabbato mortuus est. Num. 15. prēterea omnes sancti derelinquent eum in die iudicij, quorum dies vendidit.

Item vsurarius {
- Legem triplicem transgreditur,
- Vix ab hoc vitio compescitur,
- Diabolo assimilatur.

¶ De primo, Gen. 3. In sudore vultus tui, &c. Sed iste sine labore vult comedere. Psal. In labore hominū non sunt. Item facit cōtra illud Deut. 23. Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno. vnde quantum ad hoc, peior est Iuda 20. Secundum patet, quia vix restituit. vnde peior est inferno, qui aliena in passione domini restituit. Iste autē passioni domini nil restituit, imò prædicationē eius fugit, sicut bufo odorē floris vinearū. Item ipse peior est Iuda, qui xxx. denarios restituit. Tertium patet: quia sicut diabolus nō dormit, ita nec iste, quantum ad lucrum. Ex quo igitur vsurarius nocte & die ad infernum tendit, non est mirū si citius peruenit. Ité diabolus aliena rapit, & est astutus in lucro animarū. sic & ille.

Item vsurarius {
- Plura peccata simul in diuersis locis perpetrat,
- Plus quàm latro spoliat,
- Stultum se esse demonstrat.

¶ Propter primum comparatur grandini, quæ propter suam dilationē simul in diuersis locis nocet: vnde quātum ad hoc peior est aliis peccatorib. Ex quo ergo rustici pulsant cōtra grandinē, multò fortius pulsare deberēt aduenīēte vsurario. Quia cū grādo percutit fructū in cāpo, percutit & fruges: iste vero pertulit ex arca frumentū, denarium de burta, lectū de dorso, palliū de collo. Secūdum patet, quia lacrymas & sanguinē pauperū deuorat. Esa. 9.

Esa. 9. Vestimētum mistū sanguine erit in cōbust. & cibus ignis. Econtra dixit Dauid 2. Reg. 23. Viuit Dominus, non bibā sanguinem virorum qui cum periculo hauserunt aquā. vnde peior est lupo: quia lupo sufficeret vna capra, isti nō sex porcæ. Præterea lupus tantum denub. sed quicquid iste habet comedit, imò & homines. vnde Esa. 33. Vę qui prædaris, nónne & ipse prędaberis? Item vsurarius spoliatur cælo, terra, & omnib. bonis. quò ergo deueniet cum diuidetur? quia datur caro vermib. anima dæmonibus, res parentibus. De tertio, nota quòd stultus esset qui asino suo vel iumento diuitias congregaret: sic iste facit corpori, non animæ. Item stultus apparet: quia Deum decipere putat, cum vsurā diuersis nominib. palliet. sed nónne est ita sicut asinus qui diuersimodè nominatur, & tamen semper est asinus?

Raptores {
- In oratione non exaudiuntur,
- Preces pro eis factæ frustrabuntur,
- Pro spoliatis damnabuntur.

¶ De primo, Esa. 1. Cum multiplicaueritis orationes vest. non exau. Secundum patet, quia lacrymæ pauperum obsistunt. Eccl. 35. Non despicit Deus preces pupillorum, imò lacrymæ viduarū per maxillam descendūt, & exclamatio super deducentē eas, scilicet super raptorem. Eiusdem 34. Vnus orās, & alter maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus? Nihil potest obtinere in curia regum, qui ibi multos habet aduersarios. De tertio, Sap. 5. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Item raptores {
- Homicidæ iudicantur,
- In iudicio damnabuntur,
- Diabolo assimilantur.

¶ De primo, Eccl. 34. Qui aufert in sudore panem, quasi qui fratrē suū occidit. De secūdo, Esaię 33. Vę qui prædaris &c. Gre. Qui mihi visibiliter rapit vrgēte exitu, inuisibiliter rapietur: & certe rapietur vt fur, cuius collo imponitur furtū, Thren. 1. Iniquitates meæ circūuolutę sunt & ligatę collo. Hęc attēdēs quidā in Vitis patrum, qui cū cucumeris rapere voluit, in sole se afflixit. Tertiū patet, quia diabolus in cęlo rapere voluit, & in paradiso, & adhuc facit. Item diabolus affligit malos, isti autem bonos & malos. Esa. 59. Qui recessit à malo, prędę patuit. Itē deferūt angelo ad cuslodiā deputato, iste nō: vnde quātū ad hoc peiores sunt diabolo.

Item rapina. {
- Deo est odibilis,
- Proximo detestabilis,
- Sibi damnabilis.

¶ De pri

¶De primo, Esa.61. Ego Dominus amans iudiciũ, & odio habens rapinam, Eccle.34. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui vic.fil. in cons.pat. Secundum patet, q̃ plus nocet proximo, quàm fur vel vsurarius: nocet enim manifestè & violenter. Item lupo comparatur qui semper viuit de alieno, imo sibi quãdoque sufficit capra vna, isti nõ. Itẽ sunt nuntij diaboli, quia perimunt homines in mundo, sicut ille in inferno, vnde eis Matæ. dicitur, Ite maledicti in ignem æternum. & sequitur, qui paratus est diabolo & angelis eius. De tertio, Aug. Lucrũ in arca, dãnum in anima. Item si damnabuntur qui sua non dant, quando saluabuntur qui aliena rapiunt? Vnde potest Dominus dicere: Esuriui & non solum non dedistis mihi manducare, sed quod comedere debui mihi abstuliſtis. & sic de aliis operibus misericordiæ.

Monachus proprietarius. { Furtum committit, Vilem se ostendit, Damnationem incurrit.

¶De primo, Ios.7. Achan furatus est chlamydem coccineã & regulam aureã contra prohibitionem Domini, propter quod multi sunt puniti. Item Genes.31. Rachel furata est idola patris. Ananias & Sapphira fraudantes de pretio agri, mortui sunt. Act.5. de secundo, Hier. Monachus habẽs obolum, non valet obolum: imo comparantur tales Iudæ qui loculos habuit. De tertio, act.8. Pecunia tua tecum sit in perditionem. ita dixerunt sancti patres ad quendam sepeliendum, sicut legitur in dialogo Grego. Vnde de porta cæli facit portam inferni: clausſtrum enim porta cæli est. Genes.38. Vidit Iacob scalam &c. & quia huiusmodi furtum est, meritò talis sicut fur suspenditur, imò vt gallus gallinaceus.

Item { Sacrilegium committit, Apostasiam incurrit, Stultum se ostendit.

¶ Primũ patet: quia sacrũ de sacro tollit, animas quoque fraudat propter quas eleemosynæ datæ sunt. Secundũ patet: quia non magis habere propriũ potest, quàm non ire de clausſtro. Itẽ molam asinariam amotã de collo iterum alligat, & in spinas quas euaserat iterato se proiicit: & luto quod proiecerat, secũdario se inquinat, vt sus lota, & canis reuersus ad vomitum, & vxor Loth respiciens retro. Luc.9. Nemo mittens manum ad aratrum. Tertium patet: quia cum in naui sit, guttã haurit, vt in mari se ipsum submergat. Cùm sit in horto, sal spargit, ne herba gratiæ sibi crescat: & fontem pietatis obstruit, ne sibi fluat. Item cùm mortuus sit mundo, timet fame mori. Item facit sua pretiosiora seipso.

Lusor

Lusor { Idololatriam incurrit, Proximum corrumpit, Multa bona perdit.

¶ Primum patet: quia Haschart dominum appellat, & ipsum inuocat, & plus obedit taxillis, quàm sanctus Martinus domino: quia ille dedit tantum dimidium pallium, iste totum. Secũdum similiter patet, quia conuenientes ad ludum ad similia incitãtur. Personæ quæ locant taxillos, asserem, & lumen, omnes peccãt, imò porrigunt illis gladium, vt se interficiant. Tertium patet: quia perdit tempus, gratiam & gloriam: diabolus autem nunquam perdit. Ad minus enim lucratur duas animas.

Item lusor { Maledictionem incurrit, Plura peccata committit, Stultum se ostendit.

¶ De primo, Esa.65. Maledictus puer centum annorum. Secundum patet: quia ibi sunt periuria, vituperia, maledictiones, iræ, rixæ, homicidia, mẽdacia, auaritia, furta, scandala, blasphemiæ. Vnde tales quandoq; puniuntur, sicut quidã qui iurauit per oculos Dei, & suus exiliit. Item quidam voluit sagittare Deum, & cruentata sagitta rediit. Tertium patet, quia illum ordinem peruertit. Ecc. 3. Est tempus flendi, & tempus ridendi. Nota exemplum in Balaam de quatuor gladiis.

Acedia fugienda est, ne { Præceptum domini negligamus, Maledictionem incurramus, A creaturis cæteris discrepemus.

¶De primo, Genes.3. In sudore vultus tui. De secundo, exẽplum de ficu quam dominus maledixit, quia folia tantum habuit. De tertio, nota quòd exemplum debemus sumere in corporibus inanimatis, sicut in herbis & arboribus, quę licet in hyeme sint nuda, tamen virtutem suam seruant, & tempore suo redeunt ad consueta. Item in corporibus sensibilibus. Pro. sexto: Vade ad formicam ò piger. Itẽ in rationabilibus. Aug. O si tales essemus amatores vitę permanentis, quales illi sunt vitæ fugientis. Idẽ: Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.

Item acedia fugienda est { Vt denarius diurnus recipiatur, Ne tempus amittatur, Ne vita temporalis succidatur.

¶De primo, Matthæi 10. Ite & vos in vineam meam. De secũdo, Ber. Nihil pretiosius tẽpore. hoc ideo dicit, quia breui hora potest quis acquirere veniam, gloriam, & gratiã, & sequitur in authoritate. Sed heu nihil vilius reputatur. Dicũt homines, Venite, duca.

mus tempus,cum breue sit.De tertio, Luc. 13. Succide illam, vt quid etiam terram occupat? Dignum est, vt inutiliter vitam expendens, vitam amittat.

Item acedia fugienda est { Vt futuram famem præueniamus, / Ne expectantē Deum cōtemnamus, / Ne cæli gloriam negligamus.

¶De primo Apostolus 2.Cor.9. Qui parcè seminat, parcè & metet,Pro.20. Propter frigus piger arare noluit. De secundo, Esa. quinto: Exspectaui vt faceret vuas,& fecit labruscas. De tertio,exēplum in fatuis virginibus. Mat.25. Item,qui non mercatur in nūdinis, postea non habebit. Itē qui propter pigritiam non extendit manum ad recipiendam gratiam, postea non habebit gloriam.

Item acedia { Deo displicet, / Diabolo placet, / Homini nocet.

¶De primo, Apocalypsis tertio, Vtinam frigidus esses, aut calidus: sed quia tepidus es,&c. displicet autem Deo, quòd in luto iacens propter pigritiam non vult surgere,& in igne concupiscentiæ,& in stillicidio præsentis miseriæ. De secundo, Mat. octauo: Mitte nos in porcos: & quum porcus mactandus est, permittitur in quiete pinguescere. Sed stultus est, qui propter pulchram viam tendit ad mortem. Exemplum de duobus sociis in Batlaam. De tertio, Prouerbiorum vigesimoquarto: Per agrum pigri hominis transiui,& per vineam viri stulti, & ecce totum repleuerant, &c. Nota quòd aqua corrumpitur ex quiete, & ferrū rubiginem contrahit. Augustinus, Differebam verè in te, & non differebam in me mori.

Item acedios⁹ { Hostem contra se armat, / Diabolo locum parat, / Tentandi fiduciam præstat.

¶Primum Patet: qui corpus per quietem nutrit, lasciuire facit. 1.Petri quinto: Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquam leo &c. De secundo, Hieronym. Semper aliquid operis facito vt te diabolus inueniat occupatum. Est pului-nar diaboli otiosus homo. Nota quòd patellam vacantem libenter petunt vicini non occupatam: sic & diabolus. Item muscæ libenter incidunt ollæ tepidæ, non feruidæ. De tertio, dixerunt sancti in Vitis patrum, quòd monachū operantem vnus dæmon impulsat, otiosum innumeri. Est enim otiosus homo quasi vrbs absque murorum ambitu,& sicut signum positum ad sagittam,& quasi cera subitò liquescens ad ignem.

Item

Item { Deum à se elongat, / Dæmonum pœnis se sociat, / Stultum se esse demonstrat.

¶De primo, Iob 28. Non inuenitur in terra suauiter vi. De secundo, Ps. In labore hominum non sunt. Tertium patet, quia metere vult,& non seminare. Item languens & paralyticus, & claudicans non quærit medicum, sciens se esse in aquis, non mouet manum: vincula non vult per pigritiam soluere.

Item nimis est acediosus qui { Furē fodientē parietē nō repellit, / Se receptaculum sordium facit, / Tonitrua audiens non surgit.

¶De primo, Mat.24. Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret. Mors fur quotidie tollit vnum asserem, id est, vnum diem. Exēplum in Balaam de vnicorne. Sen. Incertū est quo loco te mors expectet, ideo tu illam in omni loco expecta. De secundo, Bern. Omnium tentationum sentina est otium: nā occasio est luxuriæ. 2.Reg.11. Factum est eo tempore quo solent reges ad bella procedere, &c. Item nugarum. Athenienses ad nihil vacabant, nisi &c. Item curiositatis. 1.ad Tim.5. Discunt circuire domos. De tertio, Cantic.5. Vocaui,& non respondit mihi. Tonuit autem Christus in prædicatione,& tonabit etiam in die iudicij.

Item piger est qui { Ad cælum non scandit, / Stercora de oculo non eiicit, / Iaculum de vulnere non extrahit.

¶De primo, Mat. vndecimo: Regnum cælorum vim patitur, sed tardè peruenit ad locum mouens vnum pedem hodie, per annum alterum: sic & illi quorum motus est pes intellectus, sed nō affectus. De secundo, exemplum in Tob.2. Matth. septimo: Eiice primum trabem de oculo. De tertio, cantamus: Peccata mea dolor sicut sangui. Stultus est qui vulnera non præcauet arma sumēdo. Boëtius: Talia tibi consulueramus arma, quæ nisi prior abiecisses inuicta de infirmitate tuerentur.

Indeuotio nascitur ex { Remorsu conscientiæ, / Cibi spiritualis esurie, / Vitio superbiæ.

¶De primo. Aug. Palato nō sano pœna est pa. qui sano,&c. & oculis ægris odiosa lux, quæ puris,&c. De secūdo, Ps. Attuit cor meū, quia oblitus sum comedere,&c. Isti semper sunt in pascuis & mansuetudine manent,& hoc ideo, quia tædium habent terere aromata, & applicare olfactui. De tertio, 2.Reg.1. Mōtes Gelboë, nec ros, nec &c. Isti semper iuxta ignē frigidi manent, quia inter ipsos,

& solem iustitiæ ponitur mons superbiæ.

Item indeuotio nascitur ex defectu { Timoris, Amoris, Occupationis.

¶De primo, Eccl. 7. Qui timet Deum, nihil negligit. Est enim timor domini, quasi stimulus agitãs. De secundo, Gregorius: Qui amat ardentius, currit velocius, & peruenit citius. Charitas est ignis mobilis, & anima spiritualis subleuans hominem, & reddens agilem. Tertium patet, quia aqua ex quiete putrescit, & ferrum rubiginem contrahit.

Desperatio { Deo displicet, Dæmonibus placet, Homini nocet.

¶De primo, Hiero. Magis offendit Iudas quòd se suspẽdit, quàm quòd Deum tradidit. Secũdũ patet: quia homo per desperationẽ efficitur similis diabolo. De tertio, Pro. 24. Si desperaueris lapsus, in die angustiæ minuetur fortitudo tua. Nota, nimis arctũ haberet cor, qui timeret mori fame, si mũdus plenus esset panibus. Sic qui desperat, cũ misericordia domini plena sit terra. secũdũ Psa.

Item talis { Infinito finem ponit, Fontem misericordiæ Dei obstruit, Deum mutabilem credit.

¶De primo, Aug. Deus est inter omnia nõ inclusus, extra omnia non exclusus: quanta autẽ Dei est maiestas, tanta & bonitas. Vnde idem, Ingenti libertate atq; vbertate replet omnes creaturas pro capacitate earum. De secũdo, Anſ. O æternum & incessabile clarum & dulce profluuium, cuius vnda sine ortu, profundum sine fundo, cuius altitudo incircunscriptibilis, cuius puritas imperturbabilis. Cant. 4. Fons hortorum, puteus aquarum. De tertio, nota q; iste credit Deũ nunc crudeliorẽ, quàm quãdo latronẽ saluauit, Mariã Magdal. Paulũ, Petrũ, & deprehensam in adulterio.

Item remediũ desperationis est consideratio { Dominicæ passionis, Diuinæ veritatis, Misericordiæ virtutis.

¶De primo, Ber. Duplici ratione debetur vita æterna, scilicet filiali hæreditate, & meriti virtute: ideo vnũ sufficit, aliud mihi reliquit. Sic respondit diabolo volenti eum in desperationẽ ducere. Item desperans vilipendit passionem Christi, quasi nõ sufficiat delere peccata. De secundo, Ezechiel. 33. Quacunque ho. pecc. &c. Itẽ: Viuo ego, dicit dominus, nolo mor. Not. quòd peccator dicitur magnus propter peccatorũ magnitudinẽ vel multitudinẽ. Cõtra

tra hoc misericordia Dei magna est, & multa. Psalm. Miserere Deus, secũdum magnã misericordiam tuam, &c. Tãta verò Dei est misericordia, quòd geometrici nequeunt mensurare eius magnitudinẽ, nec arithmetici possent numerare eius multitudinẽ. Anſel. Quantò Deus maior est homine, tanto mea malitia inferior est bonitate eius. De tertio, Dixit beatus Martinus ad diabolum, Si adhuc ageres pœnitentiam, consequereris veniam.

Fervor indiscretus aufert { Corpori boni operis effectum, Spiritui affectum, Deo honorem diuinum.

¶Primum patet: quia arcus nimis tensus frangitur. Exemplum de illo qui propter nimiã festinantiã fregit ollas. De secũdo, Pro. 19. qui festinus est pedibus, offendet. Nota quòd periculosa est in firmitas, quæ est ex calore. Itẽ pejus est equũ habere inter hostes sine calcaribus, quàm cũ calcaribus. Tertiũ patet, quia aufert Deo debitũ sacrificiũ, quia sine sale. Item quia magistrũ scilicet Christum, volunt excedere: & eius obsequium fuit rationabile. Rom. 12. Rationabile obsequiũ vestrũ. sis ergo animal findens vngulã.

Item tales { Diurnum bonum breuiter destruunt. Arma nimis ponderosa sumunt, Vanam gloriam in se nutriunt.

¶De primo, Psſ. Fortitudinem meam ad te cu. &c. Nota, cũ quo subtrahitur auena, facit malam dietam. Ec. 33. Virga, & onus, & cibus asino. De secundo, exemplum de Dauid quando debuit pugnare. Nota nauis nimis onerata submergitur. De tertio, Bernar. Quæ maior superbia, quàm quòd vnus homo toti congregationi iudicium suum præferat, tanquam solus habeat spiritum Dei.

Ira { Imaginem Dei dissipat, Hospitium Spiritussancti turbat, Execrabilem se demonstrat.

¶De primo, Aug. Mansuetudo imaginem Dei in nobis seruat, qui semper tranquillus est: sed ira dissipat, & multis virtutibus priuat. De secundo, Greg. Dum ira animum pulsat, Spiritui sancto hospitium suum turbat. Ecc. 27. Furor & ira vtraque execrabilia sunt. & dicit gloſſ. interlin. in conspectu Dei.

Item ira { Diabolum introducit, Se Deum ostendit, Templum Dei incendit.

¶Primum patet, quia sicut in pace factus est locus Dei: sic ira locus diaboli. Secundum patet, quia vindictã quæ Deo seruãda est, sibi vsurpat. Romanor. 12. Mihi vindictam, & ego retribuã. Vnde

quidam in Vitis patrum, Domine, non es nobis necessarius. De tertio, Psal. Incenderunt igne sanctuarium tuum. Ioël. 1. Ignis comedit speciosa deserti. Isti sunt similes draconi qui vomit ignem.

Item ira { Excæcat, Captiuat, Mortificat.

¶ De primo, Act. 7. Domine, ne statuas illis hoc peccatum, quia nesciunt, &c. Idem dixit Christus. De secundo, Luc. 6. Dimittite, & dimittemini, &c. De tertio, Iob 5. Virum iniustum interficit iracundia, & furiosi solent se occidere. de his Aug. Qui per corpus suum mittit gladium vt lædat tunicam alterius: talis primo deberet vindicare in seipso, quia se occidit.

Item talis { Iudicium extremum præuenit, Aures Dei sibi claudit, Infirmum se esse ostendit.

¶ De primo, Apostolus 1. Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare. talis vult esse actor & iudex in eadem causa. Aug. Dicit malus, domine occide malum. Respondet tibi Deus, Quem vestrum? imò sic orando facis te iudicem, & Deum vis esse tortorem, quod est officium diaboli. De secundo, Eccles. 28. Homo homini reseruat iram, & à Deo quærit medelam. Item Luc. 7. Duo debitores erant cuidam fœneratori, &c. Tertium patet, quia ira tremere facit hominem, sicut febris mouens hominem decies in die. Vnde talibus infirmis potius est miserandum, quàm irascendum. Vnde vngendi sunt consolationibus, & non mortui lacerādi, sicut domus.

Item iracundus { Seipsum perdit, Stultum se ostendit, Bonum sibi malum facit.

¶ De primo, Luc. 21. In patientia vestra pos. &c. Prouer. 16. Melior est patiens viro forti. Ibidem: Melior est patiens expugnatore vrbium. Sancti temporalem pœnam lucrum putant, quia per hanc æternam euadere non ignorant. Secundum patet, Qui aufert tibi pallium bonę famę, da tunicā innocētię. Tertium patet, quia talis auro tribulationis obruitur, & fornace tribulationis annihilatur.

Per guerras { Fraternitas violatur, Maius periculum non præcauetur, Regnum animæ desolatur.

¶ Primum patet, quia sumus omnes fratres, & Deus pater noster est. De secundo, nota quòd minores guerrę sedeant propter maiores quæ imminent, scilicet propter mundum, carnem, & diabolum. De tertio, Mat. 12. Omne regnum in se diuisum desolabitur.

Item

Item per has { Beatitudo amittitur, Peccatum incurritur, Diabolus in extremis inuitatur.

¶ De primo, Matth. 5. Beati pacifici. De secundo, nota quòd ex talibus sequuntur rapinæ & incendia. Innocentes opprimuntur, & pauperes. De tertio, Prouer. 7. Semper iurgia quærit malus, angelus autem crudelis mittetur contra eum.

Peccatum incendij { Spiritui sancto contrariatur, Diabolo assimilatur, Stultum monstratur.

¶ Primum patet, quia puræ malitiæ est, nec quicquam excusationis habebūt in iudicio. cū enim Dominus improperabit in iudicio quibusdā, Hospes fui, & nō collegistis me: tūc quid istis dicet, qui nō solū non collegerūt eum, sed & expulerunt? Secundum patet, quia diabolus nunc incendit per concupiscentiam, & in inferno per pœnam. Tertium patet, quia seipsum incendit, tenetur enim ad restitutionem. Item parat sibi ignem æternum.

Homicida { Filium Dei occidit, Gladio peribit, Angelo contumeliam facit.

¶ De primo, Matth. 23. Vnus est pater vester, Deus. De secundo, Matt. 26. Omnis qui accipit gladium, gladio peribit. illo inquam gladio, de quo Apoc. 1. Et gladius ex vtraque parte acutus exibat. Tertium patet, quia occidit eum, cui angelus est ad custodiam deputatus.

Item homicidium { Ad Deum clamat, Diabolo se assimilat, Christum inhonorat.

¶ De primo, Gen. 4. Ecce vox sanguinis, &c. De secundo, Ioan. 8. Ille homicida erat. Tertium pātet ex eo, quòd naturam quam Christus assumpsit iugulat, & imaginem ad quam homo factus est, dissipat.

Remedia iræ sunt { Silentij obseruatio, Mollis responsio, Dominicæ passionis recordatio.

¶ De primo, Prouer. 26. Cùm defecerint ligna, ignis extinguetur. Nota quòd ex collisione duorū lapidū elicitur ignis: sic ex amaris verbis duorū ira. De secūdo, Prouer. 15. Respōsio mollis frāgit irā. Eiusdē 26. Quasi qui canē auribus apprehēdit, sic, &c. Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illū. De tertio, Greg. Si passio domini ducitur ad memoriam. Vnde respicientes serpentem æneum.

Inuidus { Per lumen excæcatur, De vita moritur, Diabolo assimilatur.

¶ Primum patet, quia ad bona proximi torquetur, vnde comparatur noctuæ, quæ lumen diei non potest sustinere. Secundum patet: quia sicut omnia munda mundis, sic omnia istis nociua, sicut febricitanti boni cibi sunt contrarij. De tertio, Sap. 2. Inuidia diaboli intrauit mors. Nimis esset inuidus qui vellet erui oculum, vt alij sic fieret: sic facit diabolus, & isti per hoc quod aliis inuident, sibi magis nocent. Vnde nota exemplum de inuido & auaro. Sicut ergo dicit Dominus Ioan. 13. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis: sic potest diabolus dicere de inuido.

Item inuidia { Proximum occidit, De vuis spinas colligit, Sensus corrumpit.

¶ De primo, Gen. 27. Fera pessima deuorauit filium meum, hæc etiam occidit Abel. & Ioseph vendidit, nec domino Iesu Christo pepercit. vnde Mar. 15. Sciēs quòd per inuidiam tradidissent eum. De secundo, Sen. Vtinā inuidi omnium oculos & aures haberent, vt de omnium profectibus torquerentur. Tertium patet, quia amara dulcia facit, & econuerso. Esa. 5. Vę qui dicitis bonū malum.

Item contrariatur { Spiritui sancto, Tollit bona proximi, Morem gerit perfidi.

¶ Primum patet, quia diuinitas omnia bona communicat, & bonum hominis sibi placet, mala verò displicent. De secundo, Hugo de S. Victore, Superbia aufert mihi Deum, inuidia proximum, ira meipsum. Aug. Quicquid in alio diligo, meum facio, bonum vel malum. Tertium patet, quia facit vt canis mordens à tergo, cum cauda blanditur in facie, & sicut fur qui subtrahit occultè, & sicut perfidus homo qui lædit alium, qui non contradicit ei prius, & talis magis nocet. Greg. Iacula quæ præuidentur, minus feriunt.

Superbia { Diabolo assimilatur, Gloriam Dei vsurpat, Perfectos impugnat.

¶ De primo, Iob 41. Ipse est rex super omnes filios superbię. Vnde est signum per quod diabolus suos cognoscit, sicut Christus suos per charitatem. De secundo, Esa. 42. Gloriam meam alteri non dabo. De tertio, Aug. Superbia etiam bonis operibus insidiatur vt pereant, vnde est quasi turris Babel, ad cœlum, id est, cælestes viros, pertingens, inexpugnabilis vt castrum in alto situm.

Item

Item superbia { Deo odibilis, Proximo detestabilis, Sibi damnabilis.

¶ De primo, Eccl. 25. Tres species odiuit anima mea, &c. Pauper superbus est homo respectu angeli. Secundum patet, quia subueniendum esset pauperibus de talibus quibus mulieres ornatę sunt, quasi laqueus, & rete, & hamus & gladius & sagitta diaboli. De tertio, Apoc. 18. Quantum glorificauit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum. Item amittit quod expendit in huiusmodi.

Item superbia { Bona expellit præsentia, Excludit absentia, Falsificat omnia.

¶ De primo, Greg. Superbia virtutes destruit. De secundo, 2. Reg. 1. Montes Gelboe, nec, &c. De tertio, Eccl. 13. Qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Est autem superbia quasi cuprum diaboli, quo falsificatur moneta Christi. Aug. Superbia etiam bonis operibus insidiatur, vt pereant.

Item superbia { Auxilium Dei subtrahit, Alia vitia parit, Hominem deiicit.

¶ De primo, Hugo de S. Victore: Superbia aufert mihi Deum. De secundo, Eccl. 10. Initium omnis peccati est superbia, scilicet hæresis, contentionis, rapinę, &c. vnde non venit sola, sed cum exercitu quasi regina vitiorum. De tertio, exemplum in Lucifero, & Adam. Luc. 14. Qui se exaltat, humiliabitur. Scandentes libenter cadunt, & qui se eleuant, sub ostio humili lædunt caput.

Item superbia { Memoriam hominis annihilat, A Deo elongat, Deum impugnat.

¶ De primo, Eccl. 10. Memoriam superborum. Psal. Vt perdat de terra memoriam eorum. De secundo, nota quòd elōgatio à Deo est dissimilitudo. Christus autem fugit ne fieret rex. De tertio, nota quòd quando alia cauentur, tunc istam præcipuè exercent homines, scilicet sacro loco, & sacro tempore.

Item superbia { Hominem confundit, Apostatam facit, Ordinem Dei peruertit.

¶ De primo, Esa. 3. Erit pro zona, &c. De secundo, Ecc. 10. Initium superbię hominis, apostatare à Deo, quia votum istud transgreditur, Abrenuntio satanę. De tertio, Eccl. 33. Est tēpus flendi, & tempus ridēdi. Præterea isti ancillam ornant, dominam nudant. Prę-

tereà mulieres cõtra naturę ordinẽ cornua sibi faciunt,& caudas. In Vitis patrum,quomodo diabolus equitauit super cauda talis.

Item superbia { Hominem decipit, Scandala tendit, Stultitiam facit.

¶ De primo,Matth.23.sepulchra dealbata. De secundo,nota mulieres videntes hoc, inuident, & quærunt similia, & maritis suis sunt molestæ,vt vestiantur,permittentes eos fieri vsurarios. Psal. Iuxta iter scandalum posuerunt mihi. Tertium patet,quia magna pro paruis vendunt,scilicet laude. Item stultus esset qui iudicaret equum suum ornatum felle. Item tales plus laborant vt oculos hominum reficiant,quàm suum ventrem.

Item superbia { Inflat, Captiuat, Damnat.

¶ De primo,Sap.4.Dirumpet illos inflatos.Nota,inflati non possunt currere: ita nec isti ad regnum cælorum. De secundo, nota quòd aues cum magnis pedibus capiuntur de facili cum laqueis. Item isti capillos nutriunt, & vestes multiplicant, vt teneri possint à diabolo.

Item isti offendunt { Deum, Sanctos, Angelos.

¶ Primum patet,quia templum Dei incendunt, id est, corda intuentium.Psal.Incenderunt igne sanctuarium tuum. Item vexillum inimici sui,id est,diaboli,ponunt in castro suo, & deponitur signum Christi, id est, crucis. Secundum patet, quia in festis sanctorum se ornant. Esa. 3. In die illa auferet, &c. Tertium patet, quia clientulos angelorum mortificant.

Superbia vestium reprehenditur { Pretiositate, Mollitie, Superfluitate.

¶ De primo,Luc.16.Induebatur purpura & bysso.Contra secundum,est consideratio vestium infernalium.Esa.14.Subter te sternetur tinea. De tertio, Iac.5. Vestimenta vestra à tineis comesta sunt,vnde perticæ clamare possunt in die iudicij,quia nimis onerabantur. Nota quòd pellis catti comburitur ne aliquis furetur, propter pulchritudinem ergo prædicantur vestes.

Item vestis reprehenditur ex { Colore, Forma, Ostensione.

De prim

¶ De primo,Esa.13.Facies combustę vultus eorum.Eiusdem 3.Erit pro zona,&c.De secundo,Gen.3. Fecit eis tunicas pelliceas. nota quòd artifex dolet cuius forma alteratur, sic dominus indignari potest nobis.Cõtra tertium,quia in Christo apparuit humanitas, latuit quod nobilius fuit,scilicet diuinitas.Nota quòd circulus est signũ venditionis vini,& frondes in capite,signũ vẽditionis equi.

Hypocrita { Homines decipit, Duplicitate viuit, Diabolum se facit.

¶ De primo, nota quòd assimilatur vulpi,& falsæ monetæ,& simulacro in horto. De secundo, Deut.22. Non indueris veste,&c. talis comparatur simiæ,quæ imitatur actus humanos,non tamen est homo.De tertio,2.Corint.11.Angelus satanæ transfigurat se in angelum lucis.vnde est quasi dæmonium meridianum.

Item hypocrisis { Animam deturpat, Spiritum sanctum fugat, Conspectu Dei se priuat.

¶ Propter primum comparatur sepulchro dealbato, & mirum est,quia omnia sua sunt munda,ipse autem turpis.Tales lauant de foris quod calic.&c.De secundo,Sap.1. Spiritussanctus disciplinæ effugiet fictum. De tertio, Iob 13. Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita.

Item hypocrita { A Deo maledicetur, In iudicio confundetur, Martyr diaboli efficitur.

¶ De primo, Matth. 23. Væ vobis hypocritæ. Nota de secundo, quòd accidet ei sicut coruo qui accommodauit pennas ab omnibus auibus:quibus ablatis,confusus stetit.De tertio,nota quòd isti portant crucem sicut Simon Cyreneus. vnde propter te mor. tota die.

Item { Virtutes in se corrumpit, In infernum se demergit, Lupum se constituit.

¶ De primo, Luc.12. Attendite à fermento Pharis. Isti sunt quasi arbores cum foliis sine fructu. De secundo,Apoc.6. Ioannes vidit equum pallidum, & infernus sequebatur eum, & qui sedebat super eum, nomen illi mors.Sic isti sunt equus pallidus per sanctitatem quam prętendunt.Matth.6.Exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes,& mors,id est,diabolus equitat eos, infernus autem sequitur, id est,æterna damnatio. De tertio, Matth. 7. Veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem

sunt

sunt lupi rapaces: quia hypocritæ spoliant homines.

Mala locutio { Angelos fugat, Pixidem Christi deturpat, A gratia cor euacuat.

¶De primo, exemplum in Vitis patrum, de porcis qui venerunt &c. Secundū patet, cùm enim homo communicat os suum, quasi pixis Christi est. De 3. Eccle. 20. Gratiæ stultorum effundentur.

Item mala locutio { Nocet loquenti, Nocet audienti, Et illi de quo fit sermo.

¶Primum patet, quia talis aperit inimicis suis portas castri sui. Ieremiæ nono: Intrauit mors per fenestras. De secundo, Iacob. tertio. Lingua inquietum malum est. Propter tertium comparatur gladio & sagittæ, quia nocet à remotis. Psal. Acuerunt linguas suas sicut serpentes.

Item { Vagum reddit, In iudicio confundit, In inferno punit.

¶De primo, exemplum in equo sine freno, & naui sine gubernaculo, & momento in statera, quod inclinatur vbi maius est pondus: sic qui de terra est, de terra loquitur. De secundo, Mat. 12. De omni verbo otioso, &c. ergo & de nociuo. De tertio, Luc. 16. Mitte Lazarum vt intingat, &c. Apocaly. decimosexto: Commanducauerunt linguas suas præ dolore. Propter hæc omnia tribus annis quidam portauit lapidem in ore, ne verbis excederet. Nota etiam exemplum de duabus mulieribus in Vitis patrum, quæ disponebant non loqui secularia.

Blasphemia { Essentialiter damnat, Subito mortificat, Insanum demonstrat.

¶De primo, Matt. 12. Spiritus blasphemiæ non remittetur. De secundo patet, quia sæpe videtur quòd vel exilit oculus, vel lingua punitur. Exemplum de illo qui voluit sagittare Deum, & sagitta rediit cruentata. Tertium patet, quia canis non mordet dominum suum nisi sit rabidus.

Item talis { Iudæos superat, Deum sine causa inhonorat, Mala pro bonis donat.

¶Primum patet: quia Iudæi blasphemant tantùm mortalem & ignoranter, iste immortalem & scienter. Item peior est bufone & serpente, quia omnis creatura Deum laudat suo modo: iste autem

tem vituperat. De secundo, Ierem. 2. Quid inuenerunt in me patres vestri? Item Michææ 6. Populе meus, quid feci tibi, &c. vnde homo facit Deo quod non faceret gartio. De tertio, Psalm. Rettribuebant mihi mala pro bonis.

Item talis { In statuam salis se conuertit, Ordinem diuinum peruertit, De alieno se intromittit.

¶De primo, in Vitis patrum, Qui querulosus est, monachus non est: quasi dicat, idolum est, siue statua, & simulacrum. Secundum patet, quia plus ponderat pabulum quàm pacem: mirum esset si mortuus loqueretur vel iumentum. Ipsi autem tales sunt. Psal. vt iumentū factus sum. Sed isti assueti monstris, vt Balaam, non curant. De tertio, Bern. Qui curam vestri semel nobis cōmissis, &c.

Murmuratores in claustro { Fel in escam Dei ponunt, Vacuos gratia se ostēdūt, De alieno se intromittūt.

¶De primo, Psalm. Dederunt in escam meam fel. Secundum patet: quia crepant ad ignem tribulationis, sicut vasa vacua. Item vt currus non vnctus murmurant. Ecclesia. trigesimotertio: Præcordia fatui quasi rota carri. de hoc potest dici, Ecce homo plenus quærela, falsus Dei cultor. De tertio. Bern. Dominus docet animas in hoc mundo perdere, hypocritas saluare, cuius consilio acquiescēs, cuius vis esse discipulus. Idem, Puta te quæso esse monachum, non medicum.

Periurus { Manum diabolo porrigit, Sigillum domini corrumpit, Peiorem diabolo se ostendit.

¶Primum patet, quia manum contra Deum extendit, vnde quando talis se benedicit, hoc manu diaboli facit. Secundum patet, quia scripturam sanctā vel reliquias ducit in testimonium de falso. Vnde excommunicatus est, sicut qui bullam domini papæ falsificat. Tertium patet similiter: quia licet diabolus sit mendax & pater eius, non tamen periurus est.

Mendax { Deum contemnit, Proximum fallit, Seipsum lædit.

¶Primum patet, quia veritatem necat, Deus autem est veritas. Secūdum patet, quia est velut denarius falsus: maximè enim fallit in mercationibus. Vnde Cain legitur primus mendax, qui interpretatur maledictionem passus. De tertio, Act. 5. de Ananiā, &c. Sapien. 1. Os quod mentitur occidit animam.

Item

Item { Diabolo assimilatur, / Filius diaboli ostenditur, / In lingua punietur.

¶De primo, Ioan.8. Mendax est, & pater eius. Genes.3. Nequaquam moriemini, &c. De secundo, Ioan.8. Vos ex patre diabolo estis. De tertio, Sap.11. Per quæ quis peccat, per hæc & punietur.

BILINGVIS est { Deo odiosus, / Sibi damnosus, / Proximo monstruosus.

¶De primo, Prouerb.8. Os bilingue detestor, &c. quia tales sunt Apostoli diaboli, loquuntur enim variis linguis. De secundo. Eccle.28. Susurro & bilinguis maledictus: multos enim turbauit pacem habentes. Iste est similis serpenti qui tortuosum habet incessum, quia modo mouetur huc amicabiliter loquendo, modo illuc detrahendo vel deridendo. Tertium patet, quia duplicem videtur habere linguam. vnde exemplum in Auiano, de illo qui propter duplicem flatum expulsus est. Gene.27. Vox quidem vox Iacob. vnde versus, Si Deus elinguem faceret quemcunque bilinguem, Vnaquaque die multi fierent Zachariæ.

SEMINATOR discordiæ est { Odibilis Deo, / Similis diabolo, / Damnandus in iudicio.

¶De primo, Prouerbio.6. Septimum detestatur anima eius, &c. Et est ratio: quia ipse pro concordia voluit mori, & videtur peccatum in spiritum sanctum. De secundo, Ioan.10. Lupus rapit, & dispergit oues. De tertio, Apostolus Galat.6. Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet.

DERISOR { Deo exprobrat, / Se damnat, / Proximum irritat.

¶De primo, Prouerb.14. Qui deridet pauperem, exprobrat &c. Hi sunt vulpeculæ quæ demoliuntur vineas, id est bonos: imò quasi bufones non sustinent odorem florentis vineæ. de secundo, Matthæi quinto: Qui dixerit fratri suo, fatue. De tertio, Exo.22. Si egressus ignis inuenerit spicas, &c. Et pòst: Reddet damnum, qui ignem succenderit: sed iste cor proximi incendit. Isti etiam quasi noctuæ lucem odiunt: & vt Pharao, & Herodes paruulos, id est, nouiter conuersos occidunt.

MALEDICVS { Regnum cœlorum amittit, / Seipsum interficit, / Vacuum gratia se ostendit.

De

¶De primo, 1.ad Corint. 6. neque maledici regnum Dei possidebunt. De secundo, Prouerbio. 26. Qui voluit lapidem, reuertetur ad eum. Augustinus: Dicit malus, domine, occide me. Vilis esset sagitta, quæ emissa perimeret sagittantem. Tertium patet: quia quod est in vase, de vase egreditur. vnde sicut facit, sic fiet ei in iudicio. Genes. 27. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus.

¶Detractionis tria distinguuntur genera super illud Psal. Detrahentem secretò proximo suo.

Gaudent { Malum de aliquo dicere, / Audita mala cum augmento referre, / Detractiones libenter audire.

¶De primo, Leuit.19. Non maledices surdo. Talis est vt canis rabidus mordens retro. Eccles. iaſt.19. Sicut sagitta in femore canis. De secundo, Leui.19. Carnem cum sanguine non comedetis. De tertio, dicit Bern. Nescio vtrum maius peccatum sit, detrahere vel detrahentem audire.

Item detractor crudelis est { Sibi, / Deo, / Proximo.

¶Primum patet, quia os inquinat. Psalm. Sepulchrum patens est guttur eorum. vnde comparatur porco, qui rostrum ponit in stercore, & ciconiæ quæ venenosis animalibus pascitur. Secundum patet, quia bonos qui Dei sunt, malos esse dicunt. vnde peiores sunt inferno, qui tantùm malos deuorant. De tertio, Eccles.10. Si mordeat serpens in silen. &c. in sexta feria comedũt carnes: imò vno morcello hominem deuorant, dicentes: Ille nullus est.

Item detractor { A domino maledicitur, / Furi comparatur, / Stultus ostenditur.

¶De primo, Genesi.4. Maledictus Cain. talis vrso comparatur, Daniel.7. qui habebat tres ordines dentium: quia iste sibi nocet, & auditori, & ei cui detrahit. De secundo, Amb. Tolerabiliores sunt qui vestes diripiunt, quàm qui famam nostram lacerant: imò quasi lupi qui oues errantes inuadunt, quæ potius essent reuocandæ. De tertio, Matth.7. Eiice primum trabem de oculo tuo. Item nota quòd vnius hominis testimonium, vel vilis nõ est accipiendum. Senec. Non refert de his garsionibus aut superioribus, quia non minus à superiori, quàm ab inferiori ferent.

Adulator { Deum gloria sua priuat, / Proximum in peccato ligat, / Contra se maledictionem congregat.

De

¶De primo, Apostolus primæ ad Timo.1.Soli Deo honor & gloria. Secundum patet: quia est quasi cæmentum quo peccator linitur,vt fortior sit in malo. Esaiæ 3. Populemeus qui te beatum, &c. De tertio, Esa. 5. Væ qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Ex isto patet,quòd sunt incantatores diaboli:quia dicunt bonum malum,& econuerso.Sed nota quòd qui laudem non habet,laudare non potest.

Item talis { Nutritor diaboli dicitur, Sacerdos eiusdem ostenditur, Proditor esse probatur.

¶De primo,Prou.1.Fili,si te lactauerint peccato.&c.De secundo, Gre.Tunc mortuus mortuum sepelit, cùm peccator peccatorem aggere adulationis premit.Iungitur etiam oleo in extremis.Psal. Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. De tertio,Luc.22. Osculo filium hominis tradis? Prou.27. Meliora sunt vulnera diligentis,quàm fraudulenta oscula.

Per iactantiam homo { Proprios filios occidit, Gratiam Dei effundit, Idolum seipsum facit.

¶Primum patet: quia bona opera sunt filij Dei, quæ per iactantiam amittimus. De secundo.Eccle.20. Gratiæ stultorum offundentur.istis contingit sicut gallinæ,quæ cùm facit ouum,cantat, & sic amittit. Tertium patet: quia seipsum colit per iactantiam. Nota quòd duo sunt in bono opere, gratia videlicet & vtilitas. Vnum Deus sibi tenuit,& aliud nobis dedit. Si ergo Deum fraudamus in parte sua,ipse fraudabit nos in parte nostra.

Multiloquium { Iustificationem impedit, Peccatum inducit, In iudicio punit.

¶De primo,Iob vndecimo. Nũquid verbosus iustificabitur? quia vbi multum est de palea,parum est de grano.De secundo Eccles. 10. In multiloquio peccatum non deerit. De tertio, Matthæi 12. De omni verbo otioso,&c,propter ista, equo est frenum iungendum,& vineæ sepes.

Item multiloquium { Pacem dissipat, Hominem præcipitat, Diabolo viam parat.

¶De primo, Prou. 26. Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.Vnde gladius acutus in vagina seruandus est.Psal.Lingua eorum gla. acu. Et fera crudelis incarceranda est. Iaco.3.Linguam nullus hominũ domare potest.Secundũ patet,quia fouea caueda est

est,in qua sæpe cadens collum fregit.de tertio, Iob 30.Quasi rupto muro &c.

Fractio silentij { Contemplationem impedit, Furem facit, Tempus amittit.

¶De primo,Thren.3.Sedebit solitarius,& tace.& leua.Nota,foramina obstruenda sunt,ne virtus vini enaporet. Secundum patet,quia lingua religiosi prælato est tradita:vnde si loquatur sine licentia,violator templi videtur,vel fur.Nota,si brutum animal loquatur,mirum videtur.Psal.Vt iumentum factus sum.De tertio.Greg.Licet fabulari,aiunt,donec hora pertranseat,quam sibi ad pœnitentiam agendam, ad obtinendam veniam, ad quærendam gratiam, ad promerendam gloriam miseratio conditoris indulserat. Nota,quòd lingua religiosi est calamus Spiritussancti,quo non debemus inutiliter vti.Psalm.Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.

Singvlaritas { Deo priuat, Mentem sordidat, Animam mortificat.

¶De primo,Thren.1. Quomodo sedet sola ciuitas.De secundo, Bernar.Vbi angulus,ibi sordes.De tertio,August. Vbi singularitas,ibi angulus.

Item { Lucem fugat, Maledictionem ostendit, Exemplum bonorum destruit.

¶De primo,Ioan.3.Qui male agit,odit lucem.Numeri 11.Extrema castrorum consumpsit ignis:talis comparatur vespertilioni. De secundo,Ecclesiast.3. Væ soli.econuerso, Ecce quàm bonum & quàm iucundum &c. Bernar.Arbitror quòd tu qui in congregatione es &c.De tertio Apostolus 1.ad Corinthios 9. Omnibus omnia factus sum &c.

Suspicio { Iudicium contra se prouocat, Officium diuinum vsurpat, Plus alios,quàm se,curat.

¶De primo, Matth.7.Nolite iudicare,& non iudicabimini. Secundum patet,quòd solus Deus nouit intentionem hominis. De tertio,Bernard.Integritatis tuæ &c.talis alienum hortum colit, suum relinquit.

Item { Spirituisancto detrahit, Tempus iudicij præuenit, Stultum se ostendit.

¶De primo, Ambrosius: Nescit tarda molimina Spiritussancti gratia. Actuum 2. Factus est repente de cæl. sonus. Gregorius: Qui videtur malè facere, subitò potest bonus esse. De secundo, Apostolus 1. ad Corinth. 4. Nolite ante tempus iudicare. Tertium patet: qui insultus est qui trabem habens in oculo &c. Item qui glutiens camelum &c.

FINIS.

Universidad de Deusto Biblioteca

NE aliquot pagellæ vacarent, Lector benevole, ea quæ sequuntur tibi exhibere voluimus, tum quòd eiusdem planè argumenti cum postremo capite, De vitio linguæ, viderentur, tum quòd tibi summopere profutura fore prospeximus.

Non loquaris contra proximum tuum falsum testimonium. Exodi xx.

HOc præcepto nominatim vetatur omne mendacium perniciosum, sive dum vocaris ad testimonium ferendum, sive extra iudicium in vulgari & communi locutione. Impliciè etiam omnia peccata ad locutionem pertinentia, quibus saltem infertur nocumentum proximo: vt sunt detractiones, calumniæ, irrisiones, & huiusmodi. Proximus autem est omni homini omnis homo: nihilque est tam proximum, quàm homo & homo. Attendamus enim Adam & Heuam, iam omnes fratres sumus. Quòd si fratres sumus, secundùm quòd homines sumus, quanto magis secundùm quòd Christiani sumus, quibus vnus est pater Iesus Christus, & vna mater sancta Ecclesia?

Contra hoc præceptum sic peccatur.

Accuso falsè, derideo, detraho, diras
Imprecor, & mecum malè iudico, concitò rixas
Assentor, simulo, mea sunt mendacia, damno.

Peccant contra hoc præceptum,

Qui mala voluntate, aut sine sufficientis causæ apparentia, alteri falsum crimen intendunt. In quo peccato

peccari potest ex parte iudicis, ex parte accusatoris, ex parte rei, ex parte causidici, ex parte cognitoris ipsius causæ.

Qui etiam veri criminis (occulti tamen) sine sufficienti necessitate & causa rationabili alterum palàm accusant aut reuelant, non seruato ordine diuini iuris.

Qui alterius bona opera & benefacta, conantur ostendere mala, aut fictè facta, vt eum hypocritam ostendant, aut aliorum ipsi concilient inuidiam.

Qui in iudicio ad interrogata cum dolo malo respondet.

Qui rei cum sint, fateri verum nolunt in casu, in quo tenentur veritatem fateri.

Qui verbis, aut cachinnis, aut naso corrugato alios irridet, aut gestus & corporis habitus figmento illudunt: quod peccatum tanto est grauius, quanto maior debetur reuerentia iis qui irridentur.

Qui beneficium quod in alterum cõtulerunt tempore indigentiæ, eidem coram multis exprobrant, in dispendium honoris eius.

Qui animo inferendi iniuriam, aliquid criminosum, aut animæ corporisue vitium exprobrant.

Qui etiam sine animo inferendi iniuriam, ea dicunt, si proximo ea iniuria damno est.

Qui absentis famam denigrant, voluntate famã lædendi: siue fiat dicendo verum, siue falsum, siue asserendo, siue referendo, siue addendo, siue minuendo, siue interpretando, siue alio quouis modo: & tales tenentur ad restitutionem famæ, si illa detractio importat infamiã. Auferunt enim homini famam, quod melius bonum est, quàm diuitiæ multæ. Vnde Hieronymus contra detractores: Si vis me corrigere delinquentem, apertè increpa: tantũ ne occultè mordeas. Quid enim mihi prodest, si aliis mala mea referas: si me nesciente peccatis meis imò detractionibus tuis alium vulneres, & certatim omnibus narres: si singulis loquaris, quasi nulli alteri dixeris? Hoc enim non est emendare me, sed vitio tuo satisfacere.

Qui ex loquacitate, & nõ animo alterius famã lædendi, aliena peccata cõmemorant, nõ tam grauiter peccãt.

Qui ex voluptate, quam in audienda proximi infamia percipiunt, delatoribus aures arrigunt. Bernardus: Porro detrahere an detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Hieronymus: Si hilari vultu audias detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: si verò tristi vultu hæc audias, discit non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri.

Qui non defendunt famam proximi iniustè diffamati, quando & possunt & debent, & propterea læsa est proximi fama. Homini enim Christiano parum esse debet amicitias aliorum non excitare, vel augere male loquendo, nisi etiã eas extinguere studeat bene loquendo.

Qui sibipsis detrahunt, & seipsos diffamant.

Qui aut sibi aut aliis diras imprecantur.

Qui aliis damnum animæ, corporis, famæ aut bonorum precãtur. Hæc enim charitati proximi cõtraria sunt.

Qui aut suæ, aut alterius natiuitatis diem maledicunt, detestando hominem natum, volentésque aut male natum, aut non natum.


Qui verba turpia, vt nomen cacodæmonis, aut similia identidem in ore habent ex consuetudine.

Qui creaturis irrationabilibus maledicunt, quia alterius res sunt: vt qui agro alicuius sterilitatem imprecantur, aut mortem eius pecudibus.

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca



Universidad de Deusto
Biblioteca